# AD REVERENDVM
## ADMODVM P.M. REGENTEM
### COELESTINVM BRVNVM S.I.O.

*Fratris Alberti Barræ Neapolitani Carmelitæ,*
*Epigramma.*

DOcte doces dictis homines dum BRVNE profundis,
Orbis & altiloquo pendet ab ore tui:
Celsa Dei sedes, terrarum te inuidet Orbi:
Tantus (ait) tantùm est Aethere dignus homo.
Te dici cum audit COELESTI Nomine Tellus:
Ardet, & à Cęlo ne capiare timet.
Sic cupiunt ergo te omnes, atque omnia te vnum,
Grandi laude ferunt, Aethera, Terra, Viri.

---

## DE EODEM PATRE M. REGENTE
### COELESTINO BRVNO,
Eiusdem Fratris Alberti Barræ,
*Distichon.*

AVt homo cęlesti in terris de sede moratur;
Cęlesti aut genuit semine Terra virum.



D. FRAN.

# D. FRANCISCI CAROBENI
## IN AVCTORIS HONOREM
### O D E.

QVò me, quò semel, & bis Pater optime
COELESTINE rapis perpes honor meus?
Tanquam si valeat nobile vilibus
Quod patras opus extollier arbitris?
Heu conor tenuis dicere grandia
Non poßent vbi, nec Phœbus, & Orpheus,
Nec Thebes fide, qui mœnia condidit
Amphion, Maro, nec Pindarus, ille nec,
Qui cæcus tribuit lumina vatibus,
Musarumq; nouem, nec Lyricum Chorus
Audent, audeat insignis Horatius
Vates, & patriæ dulce decus tuæ.
O, quantum Siculis Daunia regibus
Armis atq; togis (Alma Venusia
Te semper duce, te principe) profuit.
Mecænas vbi? Alexander, Asinius,
Et Cæsar generosus Sapientibus?
Non ires vacuis BRVNE Laboribus.
Vrbs inuicta Panormus, & aurea
Æternum studijs dedita Ciuitas,
Quod signat proprijs, vt puta, litteras
Vnis mox Aquilis armaq; regijs
Non ingrata bonis, te quoq; plurimum,

Qui

Qui meat rediens, quiq; scientijs
Cunctis Hesperia doctor ab vltima
Extremas geris, & perpetuas typos,
Pensabit meritis semper honoribus.
Nunc ergo potes, ò, Lector amabiles
(Gaude sorte tua) scire scientias,
Argus Luciferam dat tibi* Loggicam, *Aponthesis
Mentis sperne chaos plura volumina,
Hic cunctos superat iure libellos,
Hic est, hic satis, hic vnus, & omnia.

---

## PHILIPPI DE BLASIO

### Epigramma.

QValis apum studiosa thijmo fragrantia mella
Gens æstate noua leniter ore legit,
Hybleoq; suas distendit nectare cellas
Quo cuiquam detur posse liquore frui.
Sic tu (COELESTINE facis; sic, dum ordine magno
Hoc opus ex vario dogmate dulce legis,
Eia agite ingeniosa Cohors properate vicissim
Impleat os dulcè quisque liquore suum.
Dulcior hic quoniam simul, & præstantior illo est.
Colligit illa solo, colligit iste polo.



## IVLII CÆSARIS ROGGERII
Medici, atq; Philoſophi Neapolitani,

AD ADMODVM REVERENDVM PATREM
Cœleſtinum Brunum, Operis Authorem.

*DVM meditor, Venerande, tuas euoluere laudes*
*Cæleſtine, ſacræ Religionis honos.*
*Adſtitit auratis redemitus tempora flammis*
*Delius, & tales fudit ab ore ſonos.*
*Stulte tace, non fas humili, tibi dicere laudes*
*Carmine, quin nobis deficit ingenum.*
*Hic Sophiam cæcis Erebi reuocauit ab Vmbris:*
*Saxa animat, quoties intonat eloquio.*
*Inuidet hunc terris Diuum Pater optimus: at tu*
*Stulte poeta tace: ſit voluiſſe ſatis.*

---

*IACOBI AMOROSI, ANAGRAMMA.*
COELESTINVS. EST VNVS COELI.

*THreicij vatis ſpatioſo qualis in orbe,*
*Eſt Cæleſtini gloria, fama, decus.*
*Ille feras, cauteſq; rudes, teſtudine pulſa,*
*A ſyluis cantu ſæpe mouere ſolet.*
*Eſt Medico (ſicut perhibent) ab Apolline natus,*
*Lampade qui roſea luſtrat vtrumq; polum.*
*Hic culpis, veluti ſcopulos, duriſſima corda*
*Demulcens dictis, ad pia vota trahit.*
*Dicitur eſſe ſuus, quo multum gaudet, Apollo*
*Brunus: doctrina clarus in orbe pari.*
*Sed nil mirandum, ſimilis quòd ſcilicet Orpheo:*
*EST VNVS COELI; nomen id eſſe docet.*

# DISPVTATIO PRIMA,

## QVÆ DICITVR

## PROHOEMIALIS

*De Natura, & attributis Logicæ.*



VM consideratio rei in ordine ad se pręcedat eam, quæ ipsi competit in ordine ad alia; ideò priusquã sermo instituatur de his, ad quæ Logica se extendit, hanc necessariam decreui præponere disputationem, reliquorum omnium scriptorum vestigia sectans, in qua quinq; illas quæstiones, quas initio cuiuslibet facultatis prælibandas esse, docet Arist. 2. post c. 5. & 1. cęli. c. 11. diligẽter examinabimus, nimirum, An sit: Quid sit: Qualis sit: Quotuplex sit: & Quamobrem talis res sit. Et quia de quęstione: An sint: longum instituere sermonẽ, superfluũ esset, & nostro satis incongruum instituto, qui necessaria, facili, eaq; breui duximus methodo pertractanda: cum id omnibus certum sit, & apud neminem controuersum: vnico tantum, quod in sequenti sect. primo loco proponam, notabili, ab illa me expediam. sit igitur.

## SECTIO PRIMA.

### *An sit, & Quid sit Logica, scientia nè, vel Ars.*

PRimò igitur pro quæstione, An sit, not. est, certũ omninò esse, duplicem dari Logicam, alterã naturalem: alteram verò artificialem: Naturalis Logica nil aliud est, quam ipsamet hominis ratio, siuè discursus naturalis, quo (quãdo oportet) naturaliter ratiocinatur, & discurrit: quæ Logica naturalis non eodemmodo in omnibus hominibus reperitur: sed in vno perfectiori modo, quàm in alio, cum experientia cõstet dari inter Idiotas, quosdam, qui naturaliter optimè discurrunt, & ratiocinantur. Hæc autem diuersitas (si quibusdã Medicis Galenũ sequentibus fides est adhibenda) ex varia oritur corporum tẽperatura, quam animi sequuntur mores: hinc fit, quod qui molles habent carnes, aptiores, clariores, velocioresq; existimãtur ingenio: qui verò duras, ineptiores, crassioresq;. Secundum alios verò id prouenit à subtilioribus, vel grossioribus vaporibus ascẽdẽtibus à stomacho ad cerebrũ: sed hoc alterius est negotij. Dicitur hæc Logica naturalis: quia indita est homini à natura, de qua Logica nõ erit nobis sermo: sed de artificiali, quam etiam dari nulli dubium est: nam (vt puncto primo 1. lib. nostræ paruæ Dialect. diximus) omnis potentia naturalis, vt facilè, promptè, ac sine impedimento operetur, indiget habitu, seu facultate aliqua, quæ eam adiuuet, facilitet, ac expeditam reddat ad operationem: hoc modo se habet Logica artificialis cũ nostro intellectu: dirigit enim illum, vt verè, ac facilè valeat diffinire, diuidere, & argumentari: & dicitur artificialis, eo quod non est à natura homini indita: sed per studium, diligentiam, artemque parata: & hactenus circa primũ quæsitum.

Quoad

Quoad secũdũ, quod diffi cilius est, quo quęritur, Quid sit hęc logica artificialis? not. secundo, quod ad interroga tionem factam per Quid? debemus respõdere per rei dif finitioné (vt in nostra parua Dialect. docuimus;) cumq; diffinitio constet genere, & differentia, cum de Logica quærimus, quid sit? tantum ipsius diffinitionis genus exa minãdũ quęrimus pro nunc: est etenim valde apud Doc tores cõtrouersum, An illud sit habitus scientiæ, vel habi tus artis, vel aliquid aliud. Intellectus enim noster p hoc, quod iterum, atq; iterum, & sic pluries eosdem cõsidera tionis elicit actus circa ean dem rem, vel etiam circa di uersas: eiusdem tamen ratio nis, producit in se facilitaté, ac promptitudinem quandã ad huiuscemodi operationes eliciendas, quæ facilitas, & promptitudo vocatur habi tus, qui propter nimiam pro pensioné, quam ad consimiles actus habet, per quos productus est (vnde extat illud Arist. Ex frequẽtatis actibus fit habitus) inclinat ipsum intellectum ad illos: vnde habitus dicitur, ab eodem Arist. cap. de Qualit. Qualitas diffi cile mobilis à subiecto. ideq; voluit cælebris ille vulgaris vates, quando asserit.

*E viene l'vso à farsi,*
*L'habito poi difficil'e à mutarsi.*

Logica igitur, cum sit habitus quidam resides in intellectu nostro (vt ex infra dicendis constabit) opus est inuestigare; quinam habitus sit?

Pro quo not. tertio, quod Arist. 6. Ethic. c. 3. docet, quin que veros habitus reperiri in nostro intellectu, quẽ etiã sequitur d. Th. 1. 2. q. 57. ar 2. & 3. scil. Habitum Intelligẽtiæ, qui etiam ab aliquibus appel latur Intellectus; Habitu Sapientiæ: Habitum Scientiæ; Habitum Prudentiæ: & Habitum Artis. Intelligẽtia, siue Intellectus est habitus, quo verè iudicamus de primis principijs. Prima autem prin cipia sunt illa, quæ non possunt per alia priora probari: vt, quod homo sit rationalis, non potest probari à priori; quia id non potest per aliquã

causam cognosci: potest tamen probari à posteriori, & per effectum: ex eo .n. quod homo discurrit, ratiocinatur, &c. dicimus statim hominē esse rationalem, discursiuum, &c. Sapiētia est habitus, qui versatur circa contemplationem rerum diuinarū, & altissimarum, quo nomine solum sacra Theologia, & Metaphisica dignæ esse videntur, quæ de Deo, separatisq; substantijs disserunt. Scientia est habitus, qui fertur circa conclusiones certas, & euidētes per demōstrationem acquisitas; in qua definitione, Habitus, locū generis obtinet: acquiritur enim sciētia ex frequentatis actibus scientificis. Dicitur, versari circa cōclusiones certas: ad differētiam Opinionis, quæ versatur circa cōclusiones probabiles, & topicas. per ly, euidētes, differt à fide, quæ licet feratur circa certa, non tamen circa euidentia: fides .n. est de non visis. Tandem dicitur (per demonstrationē acquisitas) ad differentiam habitus Intelligētię, qui versatur circa prima principia, quæ licet sint certa, & euidentia: non tamen parantur per demōstrationem, sed eorum cognitio est à natura indita nobis: cum hoc tamen stat, quod possint à posteriori demōstrari (vt paulò supra diximus) hoc .n. non obstat ad hoc, vt dicantur esse in nobis naturaliter cōgenita. Prudentia est habitus practicus, qui fertur circa aliquid agendū rectā cū ratione: huius .n. habitus est, interiores actiones, moresq; cōponere. Ars, tādem, est habitus, qui fertur circa aliquid faciēdum rectā cum ratione: ad artē, namq; spectat directio operū externorum, ad hoc, vt rectè, & artificiosè conficiantur.

Sed dices: hæc definitio Artis videtur esse eadē cum definitione Prudentiæ (vt considerāti patebit.) R. quod est valde diuersa vna diffinitio ab altera: nam in diffinitione Prudentiæ ponitur (ly agendum:) in definitione verò artis (ly faciēdum) factio enim dicit opus externum, & factibile: actio verò ad actus refertur internos.

Quarto not. quod ars communiter diuiditur in Liberalem,

lem, & Mæchanicam: Liberalis est, quæ reddit hominem liberũ: Mæchanica, quæ reddit hominem seruum: Liberales sunt Grammatica, Rethorica, Dialectica, Aritmetica, Musica, Geometria, & Astrologia. Mechanicæ verò sunt Agricoltura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgia, Testoria, & Nautica. Quæ omnes, tam liberales, quàm Mæchanicæ continentur in his versibus.

*Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra.*
*Rus, Nemus, Arma, Ratis, Vulnera, Lana, Faber.*

Primus versus continet Liberales, secundus verò Mæchanicas, per, Linguam, intelligitur Grãmatica, cuius munus est congruè, & emendatè loqui. per Tropum, Rhetorica, cuius pars præcipua est elocutio, quæ tropis, & figuris constat. per Rationem, Dialectica designatur, cuius officium, diximus in nostra parua Dialectica, & infra latius, esse, perficere operationes intellectus. per Numerum Arithmetica. per Tonũ, Musica. per Angulũ Geometria, & tãdem per Astra significatur Astrologia, quæ sunt liberales artes.

Item per Rus intelligitur Agricoltura, quæ complectitur rationem seminãdi, plantandi, curam pecorum, atq; apum, & deniq; omnẽ actionem rusticam. per Nemus intelligitur ars venãdi, & aucupandi. per Arma, militaris ars significatur. ꝑ Ratẽ ars Nautica. per Vulnera Chirurgia, ad quam reducitur etiam ars Pharmacopolarũ. per Lanã omnes illæ significãtur artes, quæ versantur in cõficiendis vestibus quibuscũq;, seù calceamentis, & in præparandis materijs. per Fabrum tãdem ars fabrilis intelligitur: sic optime enumerãtur omnes hæ artes à Conimbricensibus in ante prohœmialibus.

Quinto not. est, quod hoc nomen, Sciẽtia, multipliciter potest vsurpari (vt optime notat Pater Tol. 1. post c. 2. q. vnica) primò, pro quacumq; lata, & communissima cognitione, & hoc modo quicquid cognoscimus, dicimus scire, vt cum video hominem aliquem à longe gradientem, dico,

dico, ſcio hominē quemdam illac tranſiſſe. Altero modo ſumitur ſcientia ſtrictius pro cognitione clara, & euidēti, & in hac conſideratione (ait idem Tolet. & Alber. etiam tract. 2. cap. 1.) quod ſumitur quatrupliciter: primo, pro cognitione clara, & euidenti rerum contingentium, vt cum clarè Petrum currētē video, dico, certè, & euidēter video Petrum currere: cæterū, neq; hoc modo eſt ſcientia, cū ad rationem ſciētiæ requiratur, quod ſit de re permanēte, & neceſſaria, & quod ſit p cauſam, quod deficit in iſto caſu. Sumitur ſecundo, pro cognitione illarum rerum, quæ plerumq; ſunt per cauſam, vt cū dicimus, ſcire, pluuias eſſe in hyeme, & in autumno tonitrua, licet id aliquando deficiat, & propterea horum cognitio nō eſt ſcientia ſtricto, & riguroſo modo. Tertio ſumitur ſciētia, pro cognitione rerum neceſſariarū, quæ ſemper ità ſe habent; vt ſunt prima principia immediata, & per ſe nota: ſed nec horū cognitio, rigurosè loquēdo eſt ſcientia: licet enim ſit de neceſſarijs: tamen non habetur per cauſam (vt diximus in 3. not.) tandem quarto ſumitur ſcientia, pro clara, & euidēti rei ſimpliciter neceſſariæ cognitione per ſuam cauſam, & hæc propriè, & rigurosè dicitur ſimpliciter ſcientia. Vnde Ariſt. 1. poſt. cap 2. diffinit ſcire, dicens: Scire autem arbitramur vnumquodq; ſimpliciter, ſed non ſophiſtico modo, qui eſt ſecundū accidens, cum cauſam exiſtimamus cognoſcere, propter quam res eſt, quod illius cauſa eſt, & non cōtingit hoc aliter ſe habere. Hæc Ariſt.

Sexto not. quod ſcientia hoc vltimo modo ſumpta, duplex eſt, actualis, & habitualis: actualis eſt actualis cognitio alicuius rei p ſuas cauſas: vt cum cognoſco, hominem eſſe riſibilē per hanc demonſtrationem à priori: omne rationale eſt riſibile; omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſibilis. Habitualis vero, eſt quædā facilitas cauſata in intellectu, inclinans illum ad actus ſimiles illis, quibus cōparata eſt. ſcientia, ſeu cognitio ſcientifica actualis

multi-

multiplicatur ad multiplicationem conclusionũ: at verò habitualis nõ multiplicatur: sed magis intẽditur in subiecto. Item actualis tandiu durat, quandiu intellectus operatur: at verò habitualis perseuerat etiam in nobis, adhùc nõ operãtibus, immò adhuc dormientibus.

His positis; circa propositã quæstionẽ sentiunt nonnulli, logicã nullo modo esse scientiã. ità Ammon. in prol. prædicab. Simplic. in prol. prædicam. Philopon. in prol. priorũ. Alexan. initio Topic. Maxent. lib. 1. de interpret. in princ. Themist. 5. post. c. 24. Petrus Niger. q. 10. Clyp. Zimara Theoremate 89. Zabarella 1. lib. de natura Logicæ. Villalpan. q. 5. prohœm. Balduinus quæsito primo, & alij tùm ex antiquis, tùm etiã ex recentioribus.

In cuius sentẽtiæ probatione non est cur adducatur, id quod cõmuniter adducitur ex Arist. 2. met. c. 3. vbi docet, absurdum esse simul quęrere scientiam, & modum sciendi. Vbi per modum sciẽdi D. P. Aug. d. Th. Cõment. & Ninfus intelligunt logicam: nam statim adest respõsio, (quicquid alijs videatur) aliud esse modum sciendi; aliud verò tradere modum sciendi: Logica ergo nõ est modus sciendi simpliciter: sed tradit modum sciendi. quãdo verò supradicti Doctores vocant logicam, modum sciendi, non sunt intelligẽdi, itaut credãt, logicã esse formaliter, & simpliciter modum sciendi, sed causaliter: quia nempè tradit sciendi modum: ipsa namq; est, quæ docet diffinire, diuidere, & argumẽtari, sine quibus nequit aliqua scientia cõparari, vt infra videbimus.

Neq; aliquid hanc sententiam iuuat locus ille Arist. 1. Rethoricorum 2. vbi asserit: Si quis Dialecticam, & Rethoricam, vt scientias, & non vt facultates pertractat, imprudens eorum naturam subuertit. Ibi enim Arist. nullam de logica mentionẽ facit: sed tantũ de Dialectica. pro quo summopere notandum est, ꝙ licet sępè, Logica, & Dialectica pro eodem vsurpẽtur à Doctoribus: nihilominus tamen non sunt idem. Sed vt hoc

hoc melius percipiatur, videamus, quid nomine Dialecticæ, quidque nomine Logicæ significetur. Dialectica igitur deriuatur à verbo Græco διαλέγομαι. quod idem significat ac (disputo) vel, vt alij interpretantur (comprobare disputata) quasi Dialecticæ munus sit comprobare vera, & reprobare falsa. Hinc est, quod hoc nomen (Dialectica) in quatruplici sensu capi potest. Primo .n. apud Stoycos significat facultatem bene dicendi; per bene dicere autẽ intelligunt, vera, & conformia proferre. Secundo sumitur apud Platonẽ in sophista, pro arte colligendi multa in vnũ, & distribundi vnũ in multa: quorum prius fit beneficio diffinitionis, & argumentationis: nam media diffinitione, & argumentatione multa in vnũ colligimus: posterius autem fit beneficio diuisionis; diuisio quippè est, quæ vnũ in multa distribuit. Tertio sumitur apud Arist. 1. Top. cap. 1. pro arte Topica, quæ docet facere syllogismũ probabilẽ; vel disputare per syllogismos probabiles. Vltimo sumitur apud eundem Arist. pro arte disputãdi, tam ex necessarijs, quam ex probabilibus, & sophisticis. Logica verò deriuatur à termino Græco λόγος. vnde quatuor apud Arist. obtinet significata: primo namq; Rationẽ significat: secundo Diffinitionem: tertio Verbum: & quarto Argumẽtationẽ. quæ quidẽ significata sic à Doctoribus vsurpantur; itaut idem sit logica, ac ars dirigendi rationẽ; vel ars diffiniendi: vel ars argumentandi: vel tandẽ ars differẽdi, & sermocinãdi. Sed si strictius cuilibet voluerimus significatum assignare; dicamus, Dialecticam esse artem disputandi tantũ ex probabilibus: Logicã verò, tam ex necessarijs, quam ex probabilib⁹, & sophisticis. Vnde, quando Dialecticã vocamus Topicã, pars illa Topica duobus modis potest cõsiderari: primo modo, quatenus in ipsa inueniuntur quædam loca communia ad disputandum de omnibus rebus per argumentum probabile, & sic propriè dicitur Dialectica: secundo modo considerari potest, quate-

quatenus in ipsa traditur ratio, traduntarque regulæ ad cõficiendum rectè argumentum probabile, & hoc pacto pars est Logicæ: nam ad Logicam spectat tradere modũ cõficiendi omne argumentũ. Et idem philosofandũ est de parte sophistica. Dialectica autem sub hac acceptatione vocatur ab Arist. loco supra citato, facultas, & nõ scientia, quare sic poterit meo iudicio diffiniri. Dialectica est facultas quædam, quæ adiuuat intellectum ad iudicãdum probabiliter de quacũq; re proposita. Hac doctrina facilè solui possunt ferè omnia loca Arist. quæ adducuntur in fauorem huius sentẽtiæ. Quarè aliunde petẽdæ sunt rationes ad illius confirmationem. Id autem verum est, quod rationes omnes, quæ adduci solent parui momenti sunt, & nullius roboris, & ex illis hæ sunt præcipuæ.

Prima sit. Sciẽtia debet esse de rebus certis, & euidẽtibus, perpetuis, &c. Sed Logica in primis non agit de rebus perpetuis; cũ agat de ente rationis, q̃ tandiũ durat, quandiũ actualiter ab intellectu cognoscitur: ergo, &c. Item nõ tractat de rebus certis, & euidentibus, cũ vna ex partibus Logicæ sit Topica, quæ agit de rebus ꝓbabilius, quæ possunt esse, & non esse vera, vel falsa. Sic etiam alia pars eius sunt libri Elencorũ, qui agunt de syllogismo fallaci, & tandẽ tota Logica agit de secundis intentionibus, & entibus rationis, quæ sunt entia ficticia, & non vera: ergo Logica non est scientia.

Secunda ratio sit. Si Logica esset sciẽtia, maximè, quia in Logica dantur aliquæ demonstrationes: sed nullæ dantur veræ demonstrationes in Logica: ergo non est scientia. ma. patet mi. prob. Vbi non datur diffinitio, neque datur vera demõstratio: sed in Logica nulla datur diffinitio: ergo nulla vera demonstratio. ma. est certa: siquidem diffinitio est medium demõstrationis. mi. prob. ex Ar. 4 met. tex. 19. vbi docet, solius substãtiæ esse veras diffinitiones: sed ad Logicam non pertinet agere de substantijs, nam vel substãtiæ possunt cõsiderari, vt abstrac-

tæ, & sic ad Metaphisicũ pertinet earum tractatio; vel cõtractæ, & compositæ, & quatenus substant accidentibus materialibus, & sic pertinent ad Phisicum, ad quem pertinet agere de substantijs naturalibus materialibus: ergo in Logica nulla datur diffinitio; & ex consequẽti nulla demonstratio: vnde manifeste sequitur non esse scientiam.

Tertia ratio sit. omnis scientia debet procedere ex proprijs, vt docet Arist. 1. post. c. 7. Sed Logica nõ procedit ex proprijs: ergo, &c. prob. mi. quia Logica non habet aliquod propriũ obiectũ, circa quod versetur: sed vt docet Arist. 1. post c. 17. est facultas quædam communis; siquidẽ diuagatur p omnes scientias: & vtitur rebus pertinentibus ad alias scientias: ergo non procedit ex proprijs, & ex cõsequẽti non est scientia.

Quarta ratio. si Logica esset scientia, omnes actus procedentes ab habitu Logicæ essent actus sciẽtifici: sed sunt aliqui actus, qui rè vera procedunt à Logica, & nõ generant scientiam: ergo Logica non est scientia. ma. patet: mi. probatur: nã hi syllogismi in Barbara. Omnis A. est B. omnis C. est A. ergo omnis C. est B. Et omnis homo est leo: omnis Canis est homo: ergo omnis canis est leo; si alicuius Logici intellectui se offerant; statim, dicet rectas esse cõsequẽtias, & vere esse actus pcedẽtes ab habitu Logicæ: sed isti potius generant falsitatẽ, quã veritatis scientiam, & certitudinem: ergo habitus à quo eliciuntur nõ erit scientificus.

His tamen, & alijs non obstantibus sit prima conclusio nobis tenẽda: In Logica dantur multi actus scientifici, ex quibus producitur ipse habitus scientificus Logicæ. Hæc est D. P. August. in libello, qui inscribitur: principia Dialecticæ c. 1. D. Th. 4. met. lect. 4. p. 2. Alberti Magni c. 1. suæ Logicæ: Auicennæ in principio Dialecticæ: Scoti q. 1. prædicab. Boetij in principio prædicabiliũ. Alpharabij initio suę Logicæ. Fonsecæ 2. met. c. 3. Alfonsi à vera cruce q. 1. prohœm. Didaci à Iesu q. 5. prohœm. Et fundamẽtalis Ægidij nostri Rom. initio Priorũ:

licet

licet aliqui Doctores illũ pro contraria sententia citent 1. Elencorũ: sed immerito quidem. hanc etiam cõclusionẽ defendit Toletus q. 2. phẹm. Sotus ibid. & est cõmunis hodie inter recentiores.

Potest autem facile, & euidenter probari hæc nostra assertio. Actus scientificus nil aliud est, quã actualis cognitio certa, & euidens alicuius conclusionis: sed in Logica dantur multæ actuales cognitiones certæ, & euidẽtes procedentes ex principijs certis, euidẽtibus: ergo dãtur actus scientifici. prob. mi. nam in parte demõstratiua datur cognitio certa, & euidẽs de hac conclusione: (ergo omnis demonstratio generat scientiam) quæ sic se habet: Omnis syllogismus procedẽs ex principijs certis, & euidẽtibus generat scientiam: sed omnis demõstratio est syllogismus procedens ex principijs certis, & euidentibus: ergo omnis demonstratio generat sciẽtiam. Item in prædicamentis datur actualis cognitio certa, & euidens huius conclusionis (omne, ꝙ ponitur in recta linea prædicamentali est ens completum.) quæ sic efformatur. Quicquid constat ex genere, & differentia, ex actu, & potentia est ens completum: sed omne id, ꝙ ponitur in recta linea prædicamentali constat ex genere, & differentia, ex actu, & potentia: ergo quicquid ponitur in recta linea prædicamentali est ens completum. Item in Topica habetur cognitio actualis certa, & euidens huius conclusionis: (omnis syllogismus Topicus generat probabilitatem) sic: omnis argumentatio cõstans ex præmissis probabilibus generat probabilitatem: sed syllogismus Topicus constat ex præmissis probabilibus: ergo generat probabilitatẽ. Et tandem in parte sophistica nõne habetur certa, & euidens actualis cognitio de illa conclusione: (omnis syllogismus sophisticus generat fallaciã,) ex eo, quod constat ex præmissis tãtum apparẽtibus, vt diximus in fine nostræ paruæ Dialecticæ? Cum ergo dentur in Logica tot actus scientifici, necessario debet dari habitus scientificus productus per il-

 los,

los, qui habitus est ipsamet Logica, quæ ad consimiles actus inclinat.

Huic rationi respondent aliqui ex Aduersarijs; verum esse, Logicam esse habitum acquisitum per demõstrationem, non tamen esse scientiã; quia talis cognitio est de rebus, quæ fiunt à nobis, nempè, de diffinitione, diuisione, argumentatione, &c. atq; ita possunt esse, & non esse, quia in nostra potestate sunt: scientia verò debet esse de rebus perpetuis, quæ fiunt à natura.

Cæterum isti gratis, & sine fundamento occurrunt. Et primo: quia cõcedunt Logicam esse habitum acquisitum per demonstrationẽ, cõuicti illo argumento, & postea negant illam esse scientiam: quæ mihi videtur cõtradictio maxima, siquidem omnis demonstratio generat scientiam: ergo si Logica est per demonstrationem acquisita, verè erit scientia. Item assignantes rationẽ quare Logica nõ sit scientia, etiã si sit habitus per demonstrationem acquisitus, aiunt: quia eius cognitio est de rebus, quæ fiunt à nobis; cũ cognitio scientifica debeat esse de rebus perpetuis, & quæ fiunt à natura: quod etiã dictum indignũ est docto viro: siquidem, qui dicit, Demonstratio: dicit, syllogismus procedens ex certis, euidẽtibus, & perpetuis: cũ generet scientiã, quæ est de certis, euidentibus, & perpetuis.

Tùm secundo, quia sequeretur, diffinitionẽ sciẽtiæ assignatam ab Aristotele, & communiter ab omnibus receptam; nempè, esse habitũ certum, & euidentẽ per demonstrationem acquisitum; non esse exactã: quia deest illi illa particula, nimirum, de rebus, quæ non fiunt à nobis, sed à natura. Nequè sufficit, quod subintelligatur: ea nãq;, quæ simpliciter faciunt ad essentiam diffiniti, & quibus ablatis nõ explicatur exactè eius natura, necessario debent expliciter collocari in eius diffinitione: ergo si tã necessaria est illa particula, vt ea ablata, etiam si cæteræ cõditiones, in diffinitione sciẽtiæ positæ, adsin, non explicetur exactè essentia scientiæ, nõ est subintelligenda; sed exprimenda.

Tùm

Tùm tertio, quia si id esset verum, nempè, quod scientia non debet versari circa factibilia à nobis; sequeretur, quod neq; Phisica scientia de homine esset propriè scientia: quia homo etiam est factibilis ab alio homine per potentiã generatiuam.

Respondent ad hoc: Phisicam cõsiderare hominem in communi, & vt sic non est à nobis vllo pacto factibilis.

Sed contra: nam idem dicimus de Logica, quæ primo, & per se tractat de Argumentatione, Diuisione, & Diffinitione in communi, quæ nullo pacto possunt fieri à nobis: secundario verò considerat hunc, vel illum syllogismum, siuè Diffinitionem, &c. sicut etiã Phisica secundario considerat hunc, vel illum hominem in particulari.

Respondent iterum, quod licet Phisica secundario agat de hoc, vel illo homine in particulari; tamen neq; vt sic dicitur homo fieri à Phisico per eandem potẽtiam, per quam habet de illo notitiã: sed per potentiã naturalem generatiuã: at verò Logica tractat de Argumentatione, Diuisione, & Diffinitione in particulari, qui actus sunt factibiles ab ipso logico per eandem potentiam, per quam habet de illis notitiã: & sic Phisica est propriè scientia, nõ verò logica.

Sed contra hoc est, quia sequeretur, Arithmeticam non esse propriè scientiam: patet, quia numerũ, quem ipsa considerat speculatiuè, ipsamet etiã practice ordinat, & constituit per intellectum in particulari computatione. Vnde concludo, quod nunquã Aristoteles has expostulauit conditiones: bene verũ est, quod voluit, quod subiectum scientiæ nõ sit factibile à nobis, eo modo, quo primò consideratur scientificè, quo pacto verũ est: quia sic cõsideratur in vniuersali, nõ in particulari.

Secunda conclusio: Logica exactè diuiditur in Logicam docentem, & vtentem: hæc cõclusio est D. Th. 5. met. lect. 4. Scoti q. 1. in Porphyr. & initio Elencorũ; & omnium recentiorum; præterquã quod, apud antiquos Arabes (vt optimè notat Pater Didacus à Iesu q. 4. prohœm.) sub iisdẽ termi-

terminis inuenitur, & apud Græcos etiā licet sub diuersis nominibus: Logicam namq; vtentē appellabant rebus cō cretam: docentē verò à rebus abstractam. Itaq; hæc cōclusio est apud omnes receptissima, licet non omnes eodem modo illam explicent; & sic, quod certè facillimū est, difficillium reddidere. Relictis ergo multis dicēdi modis circa explicationē huius distinctionis: mihi videtur dicendū, Logicam docentem cōsistere in hoc, quod est docere, sic, vel sic esse conficiendam diffinitionem, diuisionem, & argumentationem, indicando veras regulas, & præcepta, ne in aliquā incidat intellectus fallaciā in huiusmodi actibus cōficiendis. v. g. quod in componendis syllogismis medius terminus in prima figura collocetur loco subiecti in maiori propositione; in minori verò loco prædicati: in secunda vtrobiq; sit prædicatū: in tertia tandem vtrobiq; subiectum, & quod nunquā ingrediatur conclusionem, & reliqua huiusmodi. Sic etiam in tradenda diffinitione, quod sit clarior suo diffinito: quod constet ex genere, & differentia, &c. & in aliquid diuidendo, quod totum diuisum sit cō uniuscuius qualibet parte per se sumpta: & ꝙ partes simul sumptæ adæquent totum diuisū, &c. hæc dicitur Logica docens. Vtens verò est quando intellectus vtitur illis regulis, & præceptis in cōficiendo similes actus: vt quando conficit syllogismū in prima figura iuxta traditas regulas sic: omne animal ē substātia: omnis homo ē animal: ergo omnis homo est substātia: hic dicitur vsus præceptorum, & regularū, quæ explicatio mihi videtur conformior rigori ipsarum met vocum; docentis, scilicet, & vtentis Logicæ.

Hæc autem distinctio omnibus potest artibus conuenire: nam quatenus præscribūt regulas, & præcepta ad opus artificiale artificiose peragendum, dicuntur docentes: quatenus verò iuxta illas regulas, & præcepta operantur, dicuntur vtentes.

Tertia cōclusio: Logica docens, & vtens est vnus, & idē habitus Logicæ. Hæc hodie est

est etiam cõmuniter apud recentiores recepta; prasertim eam habent Soto q. 2. Tolet. Oña. Pater Didacus à Iesu, & alij; & mihi videtur omninò certa: quia ad eundem habitum, ad quem pertinet docere modum sciendi, spectat etiã reddere intellectũ promptum, & facilẽ ad illius vsum: promptior namq; inuenitur mens nostra ad syllogizãdũ, postquam rectè cognouit syllogismi naturam, didicitquè veras regulas, & præcepta syllogismorum, quam antea.

Hinc patet falsum esse id, quod aliqui somniauere; Logicam, nimirùm, vtẽtem esse quendã habitum genitum ex assuefactione, & frequẽtatione diffiniendi, diuidendi, & argumentãdi, & sic esse diuersum ab habitu Logicę docentis: assignantq; exemplum de his, qui habent facilitatem, & promptitudinẽ, celeritatẽq; ad cytarizandum distinctam ab ipsa facultate. Neq; repugnat (inquiunt) quod sint habitus distincti, & vnus ex alio generetur: sicut in illo qui ammisit fidem supernaturalẽ infusam, nõ repugnat relinqui; immò de facto relinqtur habitus alter, diuersus a supernaturali deperdito, genitus, & acquisitus ex frequentatis actibus fidei, quo facilius, & promptius credet alijs articulis fidei, & tamen iste habitus fuit productus ex assuefactione, & frequentatione actuum habitus infusi: sic ad propositum, postquã intellectus noster est instructus per habitũ Logicę docẽtis regulis, & pręceptis diffinitionis, diuisionis, & argumentationis (asserunt hi Doctores) elicit huiusmodi actus conformiter ad illas regulas, & præcepta: tamen cũ aliqua difficultate, & formidine, & non expeditè, & promptè: verum frequentãdo hos actus acquirit facilitatẽ quandam, & promptitudinem ad illos promptius, facilius, & expeditius conficiendos: & hęc dicitur habitus vtens.

Hæc, inquam Doctrina, licet videatur habere aliquam probabilitatẽ: tamen est omninò falsa, quod per hunc discursum patebit: Habitus. n. est qualitas acqsita ex actuũ frequentatione, quæ qualitas est similis illis actibus p quos

producta est: & insuper inclinat semper intellectũ ad producẽdũ similes actus, ad quorum entitatem, & substãtiam concurrit, vt optimè probat Pater Suar. in sua Metaph. disput. 44. sect. 6. si ergo habitus Logicæ docentis inclinat intellectũ ad actus similes illis per quos productus est, ex frequentatione horum actuum procedentium ab habitu Logicæ docentis, nõ poterit produce alius habitus à primo diuersus: siquidem sunt ijdem actus essentialiter cum illis, per quos prior habitus genitus est: bene verum est, quod perficitur magis, atq; magis talis habitus, & magis intẽditur in intellectu, redditurq; magis prompta, & facilis potẽtia ad eliciendos huiusmodi actus, frequentando illos.

Neq; aliquid valet id, quod adducitur de habitu fidei: nã cum habitus fidei supernaturalis nõ generetur ex actibus potentiæ naturalis, sed infundatur à Deo, bene poterit ex actibus procedentibus à tali habitu frequentatis, produci in intellectu habitus naturalis acquisitus, qui (etiamsi deperdatur fides infusa) inclinet adhuc ad credẽdum alijs articulis. Vbi enim sunt duo agentia, alterum supernaturale, alterum natutale; bene poterit duplex effectus reperiri, alter naturalis, alter verò supernaturalis. Nec valet dicere, quod illi actus procedẽtes ab habitu infuso sunt supernaturales, cũ ipse habitus supernaturalis sit: ergo nõ poterunt habitum acquisitum, & naturalẽ producere: nam statim Respõdetur illos actus esse supernaturales secũdum modum: non autem secundũ substãtiam, secundum quam naturales sunt, & optimè Patres Teologi in materia de fide, & hoc sufficit ad hoc vt possint producere habitũ naturalem, & acquisitum.

Constat etiã ex dictis, satis impropriè loqui eos, qui docent Logicam: ideò dici vtentem, quia aliæ scientiæ vtuntur illa: vt sic enim potius illæ scientiæ, quæ vtuntur Logica deberent dici vtentes; siquidem, ly, vtens, vox est actiua, non passiua: vnde satis miror quosdã Doctores graues, qui, pro eodẽ vsurpant (ly vtens)

ac (ly vſitatum) neque enim credibile eſt, & D. Thomam, & alios antiquos, qui huiuſmodi Logicæ diſtinctionem adinuenere, ignoraſſe differẽtiam, quæ inter vtens, & vſitatũ repetitur; & ſic potius vſitatam nuncupaſſent Logicã, ſi eorum fuiſſet intentũ, illam appellare vtẽtem; ideò, quia aliæ ſciẽtiæ vtuntur ea. Neq; verò negamus nos, omnes alias facultates vti inſtrumentis Logicalibus, nempè diffinitione, diuiſione, & argumentatione: cæterũ non ideò Logica dicitur vtens; ſed ipſa inſtrumenta dicuntur vtenſilia, vt optimè adnotauit Gregorius Bruxellenſis q. 1. dub. 1. verum ideò dicitur vtens, quia inclinat intellectum ad hoc, quod in cõficiendo diſfinitionem, diuiſionem, & argumentationem vtatur regulis, & præceptis præſcriptis ab ipſamet Logica, in quantum docens eſt, vt nos ſupra diximus: & ſic Logica docens, & vtẽs tantũ ratione differunt.

Ex his ſtatuitur quarta cõcluſio, quod non ſolum Logica docens eſt ſciẽtia, (vt færè omnes recentiores fatentur;) ſed etiã Logica vtẽs eſt verè, & propriè ſciẽtia: hæc eſt cõtra cõmunem Dialecticorum ſententiam, qui docent Logicam docẽtem eſſe ſcientiam; Logicam verò vtentem eſſe artẽ: vno excepto Patre Didaco à Ieſu, qui huic noſtræ aſſerſioni fauet q. 5. prohęm. dict. 3. & mihi videtur omnino vera, probatur ſic ex dictis: Logica vtens nõ eſt diuerſus habitus ab habitu Logicæ docentis: ſed idẽ eſſentialiter, & realiter, vt iam probauimus, & ſtatuimus: ergo nõ poterit ſibi vindicare diuerſũ genus, quale eſſet Ars: patet cõſequẽtia euidẽter: nam ea, quæ sũt vnũ ſpecie, ſub eodẽ genere proximo cõtinentur: ſed Logica docens, & vtens ſunt idẽ eſſentialiter habitus: ergo ſub eodem genere ſcientiæ collocantur.

Neq; valet ad hoc reſpondere, quod licet Logica docens, & vtens ſint idem habitus: tamen ſecũdum diuerſas rationes poteſt eſſe ars, & ſciẽtia; nimirũ, quatenus docens eſt, ſcientia eſt: ars verò, quatenus vtens, adducẽdo exemplum de motu, qui ſi cõſide-

retur in ordine ad agẽs, quatenus ſcilicet procedit ab agẽte, dicitur actio: ſi verò conſideretur in ordine ad paſſum, nimirum quatenus ſubiectatur in paſſo, dicitur paſſio, vt dicemus in prædicam.

Hoc inquã nil valet: quia ideò motus ſecundum diuerſam conſiderationem induit rationẽ actionis, & paſſionis; quia eſt quid ſuperius ad actionem, & paſſionem: verum namq; eſt dicere; omnis actio eſt motus: omnis paſſio ẽ motus: non autem; omnis motus eſt actio, &c. ſicuti verum eſt dicere; omnis homo eſt animal; omne brutũ eſt animal: non tamen; omne animal eſt brutum: vnde ſicut animal, ſuperius ad hominẽ, & brutum, poteſt, ſecundum diuerſas rationes cõtrahentes ipſum, cõtrahi ad eſſe ſpecificum hominis, canis, &c. nempè per rationalitatem, & latrabilitatẽ, &c. ita motus, qui eſt via agẽtis ad paſſum, per diuerſas rationes inferiores contrahentes, quales sũt ordo ipſius ad agens, & ordo ad paſſum, poteſt contrahi ad eſſe actionis, & paſſionis. At verò Logica eſt inferior ad ſcientiam, vel Artem, qui ſunt habitus ſuperiores, & ſic per rationes docentis, & vtentis non poteſt contrahi ad eſſe generis ſuperioris: ſicut animal v.g. per rationale, & irrationale non poteſt cõtrahi ad eſſe corporis, vel viuentis, quæ ſunt genera ſuperiora: quod autem Logica ſit inferior ad ſciẽtiam patet, quia ſciẽtia collocatur in genere Accidẽtis, ſub qualitate, & ſub genere intermedio habitus, & ſub ipſa tanquam ſub genere proximo continetur Logica; itaut ſit verum dicere; omnis Logica eſt ſcientia: non autem omnis ſcientia eſt Logica, & hæc ratio mihi videtur potiſſima ad impugnãdã ſuperiorẽ reſpõſionẽ.

Præterquam quod, poſſumus etiam dicere, quod Logica, cum ſit vna ſimplex qualitas, vna ſimplex ſcientia ſpecie ſpecialiſſima (vt infra dicam) non poteſt diuidi in plures ſpecies, vel in plura ſpecie diuerſa.

Neque valet adducere authoritatem Ariſt. 2. poſt. c. vlt. vbi videtur aſſerere, eadẽ eſſe principia artis, & ſciẽtiæ: artis quidem

quidem, si circa operationē aliquā versentur: sciētiæ verò si circa speculationē. Id enim verissimum est: nam cum, & scientia, & ars habitus sint intellectus, qui ex frequentatis actibus producuntur, cum dicit eadē esse vtriusq; habitus principia, voluit, quod sicut actus generāt habitum scientiæ, si sint scientifici; ità actus etiā, si operatiui sint, generāt habitum artis.

Neq; valet obijcere, quod nos supra not. 4. annumerauimus Logicam inter artes liberales: quia respondere possumus, quod ibi sit mentio de Dialectica, non autem de Logica; quæ valde differunt (vt nos supra adnotauimus circa primam sententiam,) vel (& melius) dicimus, quod sicut diximus not. 5. sciētiam posse vsurpari dupliciter, vel in lata quadam, & communissima acceptione, vel in strictiori, & rigorosa: ita de arte fatēdum est, posse dupliciter vsurpari, primo in cōmuni quadā acceptione, vt indifferens quid, superius ad scientiā, & quatenus versatur circa opus qualecunque illud sit, quomodo omnis intellectus actio, etiam speculatio dicitur operatio: & sic omnis sciētia est ars: vel strictè, & rigorosè, pro habitu intellectus à reliquis condistincto, qui versatur circa aliquod operabile extrinsecum recta cum ratione: primo modo Logica dicitur ars, sicut etiam omnes aliæ scientiæ: secundo modo Logica nullo modo potest dici ars: siquidē eius operatio actio est solius intellectus, & nullo pacto cōsistit in operatione, seù actione corporea, quod videtur esse de ratione artis in rigore sumptæ.

Et notate, quod, sicut dixi, omnem scientiam posse dici artem in illa cōmunissima acceptione sumptam, sic à pari fatendum est, omnem artem, adhuc seruilem, & mæchanicam, posse dici scientiā in sua etiam communi acceptione sumptam: hoc patet: nam bonus artifex euidentem habet notitiam de regulis, & præceptis suæ artis, quæ certa sunt, infallibilia, & euidentia: ergo habet scientiam de illis: ergo scientificus est.

Restat modo satisfacere rationi-

tionibus pro contraria senten tia adductis. Quare ad primã Respondeo, negãdo, Logicã primò, & per se agere de secundis intentionibus: sed tan tum per accidẽs, & secundario, quatenus aliquo modo inseruiunt ad habendam per fectam notitiam de primario obiecto (vt in infra latius videbimus.) Ad id autẽ de parte Topica, & sophistica. Respondeo, quod licet Logica agat de fallacijs syllogismorum, & de syllogismo probabili, qui syllogismi non generant scientiã: tamen tractando de illis demõstratiuè procedit, ostendendo per principia certa, & euidẽtia, syllogismum Topicum generare pro babilitatẽ, & Elencũ fallaciã.

Vel secundo Respondeo, quod scientia debet agere de rebus perpetuis secũdũ essentiam; non autem secundũ existentiam, vt probat argumentum: vnde Arist. 1. post docet, scientiam non curare de existẽtia rei; & sic, licet ens rationis, quoad existentiam nõ sit perpetuum: est nihilominus perpetuum, quoad essentiã: quia essentiæ rerũ sũt æternę: sic etiã, licet syllogismus, Diffinitio, Diuisio, &c. non semper existãt; eorũ tamen essentia perpetua est, & perpetuæ veritatis, vt quod syllogismus sit argumentatio, in qua quibusdam positis, &c. Diffinitio sit oratio explicans naturam rei, &c. & Diuisio distribuat totum in suas partes. hæc, inquam, & alia huiusmodi perpetuæ veritatis sũt, & hoc sufficit ad hoc, vt detur scientia de illis.

Ad secundam rationẽ Respondeo neg. mi. ad cuius probat. negatur pariter minor: & ad id, quod ex Aristotele adducitur. Respondeo, Aristotelem ibi tãtum voluisse, quod solius substantiæ possunt assignari potissimę diffinitiones. cum illæ tantum per earum intrinseca, & sine ordine ad aliud extrinsecũ diffiniantur: Accidentia autem, & entia rationis diffiniuntur per additamentum, scilicet, vel per ordinem ad substantiã, cui inhę rent, vt accidentia: vel per ordinem ad potentiam, à qua effinguntur, vt entia rationis: nihilominus tamen verissimę sunt, & proprijssimæ diffinitiones,

tiones, quæ assignātur tùm ab ipso Aristotele, tùm ab alijs Doctoribus, & Accidentium, & entium rationis; (vt suis locis videbimus.)

Ad tertiam rationem Respondeo neg. Logicam nō habere aliquod proprium obiectum, (vt videbimus agentes de obiecto Logicæ.) versatur ergo Logica circa propriam materiā: vidimus enim supra, in qualibet parte Logicę dari demonstrationes propriè Logicales quando autem docet Arist. Logicam esse scientiam communem; ideò id asserit: quia omnes sciētiæ indigent instrumentis Logicalibus: in qualibet enim scientia reperiuntur diffinitiones, diuisiones, & argumentationes, quæ instrumenta Logicalia sunt; & ea, potest Logicus applicare omni materiæ, tùm reliquarum sciētiarū, tùm etiam artium.

Ad vltimam rationem Respondeo, quod in illis syllogismis potest considerari consequentia, & etiam potest considerari consequens: licet autē in illis non detur actus scientiæ consequentis, quod materiam concernit: datur tamen vera scientia consequentiæ, quæ respicit formam, & cum præcipuè ab habitu Logicæ dependeant quoad formam, & secundum formā sint optimè dispositi in modo, & figura, sequitur scientificum esse habitum Logicæ, & ad actus scientificos inclinare: & hæc dicta sufficiant de hac prima sectione: quæ, cum omnibus possit alijs facultatibus adaptari, & multa contineat alijs materijs applicabilia, ideò aliquantulū prolixa euasit.

## SECTIO SECVNDA.

*Qualis scientia sit Logica, Practica nè, vel speculatiua?*

CIrca explicationē huius tituli multa essent dicenda, præcipuè in exponendo, quid sit Praxis? vnde deriuatur ly Practicum; quare legēdi sunt Pater Suar. 2. tom. met. disp. 44. sect. 13. à nu. 20. & deinceps; Vazq. p. p

dis.

disp. 8. c. 5. & disp. 9. c. 2. Fons. 2. met. cap. 3. Pater Didacus à Iesu q. 6. prohoem. & alij recentiores omnes: ex antiquis verò ferè etiam omnes in prohoem. Theologiæ, & ne nos sicco vestigio rem adeò necessariã transeamus, pro nũc 1. not. quod ly Practicum, & ly speculatiuum, nomina sũt concreta, quorum abstracta sũt praxis, & speculatio: Quid speculatio significet, apertũ est: At Praxis est nomen Græcũ, & deriuatur à verbo Græco, Prato, quod idem est, ac Ago, seù operor: vnde Praxis idẽ est, ac operatio, siuè actio: & Practicũ nil aliud est, quã operatiuum, siuè actiuum.

Secundo not. est, quod nõ omnis actio, siuè operatio dici potest praxis, siuè practica: sed esse debet alterius potentiæ ab intellectu: sic enim praxis diffinitur, & optimè, à Scoto q. 4. prol. in princ. dicente: Praxis est actus alterius potẽtiæ ab intellectu, posterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectę, ad hoc vt rectus sit, quæ diffinitio licet non probetur Suar. & Vazq. locis sup. cit. tamen re vera inficiari minime potest: siquidẽ est expressa Arist. præsertim, quod praxis, quæ sit primario, & per se dicitur nequeat esse operatio intellectus. dixi, quæ per se, & primario praxis est: quia bene potest actus intellectus practicus esse, si cadat sub electione liberæ voluntatis, & sub directione prudentiæ, & etiã si ordinetur ad operationem alterius potentiæ: hoc autem non habebit primo, & per se, quatenus, scilicet, operatio intellectus est, sed secundario, & per accidens, nẽpè, ratione ordinationis ad id, quod primario, & propriè praxis est.

Quod autẽ id doceat Aristoteles, patet: nam 3. de Anima tex. 50. asserit, Intellectũ fieri practicum extensione: dum ait: Practicus alicuius gratia ratiocinatur, & principium est agendi: quod necessario debet intelligi de actione, quæ sit extra ipsum intellectum: nam intra ipsum intellectum, etiam intellectus speculatiuus est principiũ agẽdi. Ex his verbis igitur Aristotelis ortum habuit vulgaris illa propositio modo dicta: nimirum,

rum, intellectũ fieri extensione practicũ. Cuius sensus nõ est, quod intellectus secundũ suam entitatem, & naturam extendatur: quia cũ extensio ad quantitatem pertineat, & intellectus sit omninò incorporeus, & spiritualis, omnis quantitatis expers, extendi minimè potest; sed eius sensus est, quod intellectus quando tendit in actum, & operationem alterius potentiæ dirigendo illam, nè in suis operationibus deficiat, tunc fit practicus: vnde quia tunc tendit extra seipsum, dicitur extendi; sicut Rex, ex eo, quod vniuersa sibi sublita regna gubernat, dicitur extendi, licet non in omnibus sit secũdum præsentiam, sed tã um in Hyspania: sic intellectus, licet secundum suam entitatem nõ possit extẽdi: quia tamen gubernat voluntatem cęcam, & reliquas potentias, extendi dicitur, id est, extra se tẽdere. Ex quo secundum mentem Aristotelis infertur, ꝙ quando intellectus stat præcisè in actibus suis, diffiniendo, diuidendo, & argumentando nõ est practicus: quia non tendit extra se: sed in se ipso manet.

Tùm etiam, quia 2. met. c. 1. loquens de obiecto sciẽtiæ practicæ; docet illud debere esse cõtingens, id est liberum: actio autem libera solius voluntatis est, quæ est potentia formaliter libera: ad intellectum vero solum potest pertinere per denominationẽ, & imperium eius: igitur praxis voluntatis est, nõ intellectus, secundum Aristotelem.

Item fauet etiã D. Tho. qui 1. 2. q. 57. ar. 1. ad primum sic ait; (Practicũ, vel operatiuũ, quod diuiditur contra speculatiuũ, sumitur ab opere exteriori, ad quod nõ habet ordinẽ habitus speculatiuus: sed tãtum ad interius opus intellectus, quod est speculari verum.) Vbi, per opus externũ, non solum intelligitur opus, quod in externam transit materiam: sed etiã omnis actus alterius potentiæ, qui externus dicitur respectu potẽtiæ intellectiuæ (vt optimè adnotauit Corradus,) qui ex alio loco D. Th. sic concludit. Habetur ergo, quod actus intellectus nõ est praxis, sed opus exterius, id est alterius poten-

tiæ

tiæ cadens sub electione, & cōsilio: quarè Logica est speculatiua. Hinc est, quod Capreol.q.2. Prologi sentētiarū ad primū hoc tribuat D.Tho.

In eadē quæst.57.art.3. ad tertiū idem S.Doctor,in confirmationem eorum, quæ diximus circa 4. conclusionem præcedentis sectionis, & etiā ad propositū præsens, sic ait. Etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modū cuiusdā operis(puta constructio syllogismi,aut orationis congruæ, aut opus numerādi, vel mensurandi, ) & ideò quicunque ad huiusmodi opera rationis, habitus speculatiui ordinantur, dicūtur per quandā similitudinē artes. Vnde duo colliguntur. Primum,pro præcedenti sectione; Logicam non esse artē stricto modo sūptā, sicut nec Arithmeticam,Rhethoricam, &c. sed per quandam similitudinē (inquit D. Tho.) quatenus ordinatur ad actionē intellectus, quæ etiā aliquo modo in lata, & communi acceptione potest dici opus(vt nos diximus.) Secundum est,non esse cōtra rationē habitus speculatiui, ordinari ad opus, si hoc opus, rationis sit, neq; constructionē syllogismi, &c. habere rationem praxis.

Potestq; ratione etiam ididem cōfirmari, desumpta ex Arist. 2. met. tex. 3. vbi distinguit scientiam speculatiuam à practica, ex eo, quod finis speculatiuæ est veritas; practicæ verò opus. Tunc sic. Nulla cognitio veritatis potest habere rationē praxis: sed omnis actio intellectus, quæ extra ipsum intellectum nō tendit; cognitio veritatis est, vel ad cognitionem veritatis tendit: ergo nulla actio intellectus esse potest practica, seu praxis, primo,& p se.ma.est certa ex ipso Arist. vbi supra. mi. etiā patet:nam vel intellectus immediatè tēdit ad suū obiectum, quod est verum, (sicut voluntatis est bonum ) diffiniendo, diuidendo, & argumentādo: vel tendit ad regulādos huiusmodi actus: si primò, ille actus cognitio est veritatis. si secundo, cū adhunc actum tendat, ad veritatis cognitionem tendere dicitur: ergo omnis actus intellectus, vel est cognitio veritatis, vel tendit

tendit ad cognitionem veritatis: ergo nullus actus intellectus est praxis, neq; practici rationē induit, si secūdum se consideretur, & nō tendat extra se.

Cōfirmatur, quia ille actus tantum dicitur practicus, qui ordinatur ad praxim: sed vterque ille actus intellectus cognitio ē veritatis, & neuter est praxis: ergo etiam si alter ex ipsis ordinetur ad alterū, non poterit esse practicus. Hinc ergo seqtur necessario (quicquid Suar. sine fundamento doceat) praxim debere esse operationem alterius potentiæ ab intellectu.

His omnibus addere possumus ethimologiam huius nominis (speculatio) ꝙ (vt notat P. Didacus à Iesu) idē est, ac specu latēs cognitio, idest cognitio, quæ manet in specu ipsius intellectus, & non extenditur ad aliam potētiā; seu ad operationes alterius potentiæ. Hinc Auerroes hoc ipsum explicans loco paulo sup. cit. com. 3. inquit: per speculatiuam scimus, vt sciamus: per practicam verò sumus scientes, vt operemur: quia finis practicæ opus est: ergo quantumuis per operationē intellectus dirigamus aliam operationem ipsius potētiæ, semper scimus, vt sciamus: quia tam operatio directa, quam dirigens, scire est. Restat ergo fortiter stabilitū, praxim esse operationē alterius potentiæ ab intellectu; ex mente Arist. D. Thomæ, & etiam cōformiter rationi: speculationem verò solius intellectus actionē esse, non ordinatā ad dirigendam actionem alterius potentiæ, sed tantum gratia sui esse: est actio solius intellectus: q a solus intellectus est potentia speculatiua: sicut visio est solius potētiæ visiuæ: ita tamen solius intellectus est speculatio, vt nō tendat extra illum; ad ordinandam operationē, quæ non sit eiusdē potentiæ, & ideò dicitur esse gratia sui ipsius.

Sed est summopere not. 3. duplicē posse finem considerari in vna quaq; scientia, vel arte: alterum ipsius facultatis, qui intrinsicus dicitur: alterū verò Artificis, seù scientifici, qui dicitur extrinsecus: sit exemplū in Metaphisica, &

reperitur eius finis intrinsecus, qui est cognitio substantiarum separatarũ,& hic dicitur finis scientiæ, & etiam potest reperiri finis extrinsecus addiscentis,nimirũ,huiusmodi Metaphisicã, vt v.g. si quis huic scientiæ operã daret animo lucrandi pecunias,vel ad aliquod aliud peculiare intẽtum. hic finis extrinsecus non potest variare scientiã de practica in speculatiuã,vel è conuerso. quando ergo nos dicimus, finem scientiæ speculatiuæ esse veritatis cognitionẽ: practicę verò,opus:loquimur de fine intrinseco: nam bene posset quis addiscere artẽ aliquam mæchanicam, non animo operandi: sed vt dicatur vniuersalis in scientijs,& artibus, &c. non tamen ideò dicenda esset ars illa speculatiua: quia semper habet eumdem finem intrinsecum;& sic de singulis.

Nota insuper quarto,quod quãdo nos dicimus finẽ scientiæ speculatiuæ esse cognitionem veritatis, non negamus, finem etiam practicæ sciẽtiæ esse cognitionem veritatis: siquidem cognitio veritatis est finis generalis omnium scientiarum:sed dicimus,quod illa cognitio veritatis est finis speculatiuæ, quæ non ordinatur ad aliquod opus vlterius: practicæ verò est etiam cognitio veritatis,quæ ordinatur ad dirigẽdum aliquod opus exterius: itaq; practica non sistit in cognitione veritatis, sed transit ad opus, ad quod non se extendit speculatiua: sed sistit in illa veritatis contemplatione.& sic Auer.(vt supra retuli) asserit,quod per speculatiuã scimus, vt sciamus: per practicã verò scimus, vt operemur; qui verò plura circa hãc materiã videre desiderat, legat authores in principio huius sectionis citatos.hæc.n. dicta sufficiunt pro explicatione tituli quæstionis, refutatione eorum,quæ Suar.opponit cõtra illam particulã diffinitionis praxis,traditæ à Scoto, nempè, (esse actũ alterius potẽtiæ ab intellectu,)immò, & ꝓ facili enodatione totius præsentis dubij: satis.n.impugnatæ manent ex dictis omnes sentẽtiæ,quæ docent Logicam sciẽtiam practicã esse: & confirmata verior opinio

asseren-

asserẽtium illam esse speculatiuam: sed vt clarius procedamus breuiter in medium illas omnes adducamus.

Et primo, non est cur mentionem faciamus de illa, quæ docet, Logicam, neq; practicam esse, neq; speculatiuam: sed instrumentum vtriusque, vt fatentur, qui tenent Logicam, neq; artem esse, neque scientiam: sed tantum instrumẽtum quodam: nam, quam falsa sit horũ opinio, satis patet ex his, quæ diximus in superiori sect. vbi docuimus Logicam esse verè, & propriè scientiam.

Quarè alij cẽsent, esse scientiam practicam, vt sunt nonnulli ex Nominalibus, præsertim Gab. in Prologo sententiarũ q. 10. Greg. 16. q. 5. eandem tenent Paulus Venet. in prohœm. Log. dub. 2. Iandunus 6. met. q. 3. Fõseca 2. met. c. 3. Conimbric. q. 4. prooem. & alij nonnulli, tùm ex antiquis, tùm etiam ex recentioribus.

Cæterum hæc sententia ex dictis supra de praxi facilè ruit: praxis enim debet esse alterius potẽtię ab intellectu, & hi habitus tãtum dicuntur practici, qui ad praxim ordinãtur: Logica autem ordinatur ad dirigẽdas operationes ipsiusmet intellectus, & eius finis, vt infra dicam: ergo nõ poterit esse habitus practicus: nam etiam si tendat ad opus, cum tale opus sit opus rationis, vt diximus supra ex D. Th. dicitur opus per quandam similitudinem, & potius per modum cuiusdã operis: opus namq;, quod praxis est, debet esse externum ipsi intellectui.

Sed dices: Prudentia est habitus practicus: & quia dirigit omnes actus virtuosos, etiã dirigit aliquos actus intellectus, qui sunt actus virtutis: immò consultatio, & præceptũ, qui sunt actus prudentiæ, sunt actus intellectus, vt tenẽt ferè omnes cum D. Th. ergo directio operationũ intellectus practica est: sed Logica dirigit per nos operationes intellectus: ergo est scientia practica.

Respondeo tamen, concedendo, Prudentiam esse habitum practicum, quod habet ex hoc, quod per se primo di-

 rigit

rigit operationes voluntatis: si autem aliquādo etiam dirigit aliquos actus intellectus, nō dicitur dirigere illos, quatenus actus intellectus sunt præcisè: sed quia liberi sunt, & à voluntate dependent, vt docet S.Tho. 2.2.q.47.

Neq; obstat, quod Logica nō est propter se, sed propter alias sciētias: de ratione autē habitus speculatiui est, quod sit gratia sui. Nam licet Logica vtilis, & necessaria sit ad alias scientias: nihilominus tamen de se expetibilis est: nam perficit intellectū, & dirigit illum ad veritatem assequendam sine formidatione, & errore.

Aliqui ex Recētioribus suscitauere emortuā iam quandam sententiam quorundam Nominaliū, quos refert Ayal. super prædicabilia, nimirum; Logicam esse sciētiam simul practicam, & speculatiuā: sic tenet præsertim Pater Vazq. tom. 1. in p.p. D.Tho. disp. 9. cap. 2. nu. 1. quem sequuntur multi hisce tēporibus, eamq; Suar. in fine disp. 44. sup. cit. probabilem existimat.

Cæterum hæc sententia, si asserit, Logicam esse simpliciter speculatiuā: verum, posse etiam, secundū quid dic: practicam, & per quandam similitudinem: sicuti, supra diximus, per quandam similitudinem etiam dici artem, vera est: quia Logica versatur circa aliquid, quod se habet per modum operis, licet in rigore opus non sit; vt est constructio syllogismi, &c. vt optimè D.Tho. loco sup. cit. At verò si docet, illā esse propriè practicam, sicuti propriè est speculatiua, est omninò falsa, vt ex supra adductis satis patet: semper namq; per Logicam scimus, vt sciamus: & iā actio, quæ immediatè ad suum obiectum tendit, quàm illa, quę hanc dirigit, speculatiua est simpliciter, & cognitio veritatis.

Neq; obstat, quod Arist. 6. met. c. 1. diuidens speculatiuā scientiam in Phisicam, Matematicam, & Metaphisicam, nullam mentionem faciat de Logica, quia ibi non diuisit omnem scientiā speculatiuā, sed tantum sciētiam purè speculatiuam, quæ nullo modo tēdit ad opus, etiam rationis.

Logi-

Logica autẽ, licet simpliciter speculatiua sit tamen, saltem impropriè, potest dici practica: quia tendit ad opera rationis.

Restat ergo nobis tenenda verior sentẽtia, quam probauimus esse secũdum mentem Aristotelis, & expressã D. Th. citatis locis, & etiam alibi: est etiã Magni Patris August. 8. de ciuit. c. 4. vbi Logicã inter speculatiuas scientias connumerat. Scoti in prol. sentẽtiarum q. 4. Capreoli ibid. q. 2. ad primũ Aureoli, Bachonij, Antonij Andreæ 6. met. q. 3. Iauelli q. 7. Sonci. q. 6. Auicennæ, initio suæ Logicæ cap. 1. Auerr. 7. met. com. 7. Corradi loc. sup. cit. Soti q. 4. prohæm. Toleti ibidẽ, Patris Didaci à Iesu q. 6. prohoem. & Suar. loco sup. cit. vbi postquã vt probabilem refert superiorẽ sententiam, sic asserit: Ad eundem modũ possumus probabiliter loqui de Logica (nempè, quod sit simul speculatiua, & practica,) quamuis opposito modo: est enim simpliciter sciẽtia speculatiua, quãuis ex parte etiã sit practica: dirigit enim operationes intellectus, vt artificiosè fiant eo modo, quo fieri possunt: vnde, & ars liberalis appellatur: tamen ad hanc directionem multa, & ferè maiori ex parte contemplatur purè speculatiuè, & ipsammet directionẽ magis facit speculando naturam, & proprietates naturales ipsorum actuum intellectus, quã practicè instruendo intellectum, quomodo debeat operari, vt bene animaduertit Herueus quodlib. 1. q. 3. Hæc Suar. In quibus verbis apertè ostẽdit, Logicam esse simpliciter dicẽdam scientiã speculatiuã: tamen per quandam similitudinem, & analogiã, seu impropriè (eo prorsus modo quo nos supra docuimus) posse dici practicã.

Vnde possumus diuidere sciẽtiam speculatiuã in communi (secundum id, quod ex Arist. 6. met. tex. 1. & 2. & deinceps deduci potest) in Theoricam, & speculatiuã: Theorica est illa, quæ nullo modo tendit ad opus, qualecumq; illud sit, etiam rationis: speculatiua verò, bene potest tendere ad directionem alicuius operis, si illud opus rationis sit.

sit. Itaq; Logica nõ est Theorica scientia, quatenus omninò contra Practicã distinguitur; itaut nullo modo, etiam impropriè, dicatur tẽdere ad opus: sed est dicenda simpliciter, & propriè speculatiua scientia, quatenus cõtra practicam, quæ sic propriè, & in rigore dicitur, condistinguitur, neque aliquid aliud prò hac quæstione mihi videtur dicendũ. Hic modo esset disputáda Quæstio quarta in ordine, nẽpè, quotuplex sit Logica? in qua de vnitate ipsius solet pertractari, at verò quia eius resolutio pendet à quæstione de obiecto, ideò hanc præmittẽdam consulto duxi.

## SECTIO TERTIA.

*Quod nam sit Subiectum, siuè Obiectum Logicæ?*

PRO tituli intelligentia not. primo, quod licet magnum discrimen sit inter subiectum, & obiectũ: cum subiectũ deriuetur à verbo, subijcio: obiectũ verò ab obijcio: tùm etiam propter alias rationes, quas adducũt, D.Th. 2.2.q.1.art.1. Capreol. q.4. prol.art.2.concl.2. Dur. q.5.prol.nu.6, Bañes.p.p.q.1. art.7. nu.1. & Vazq. p.p.q.1. disput.10.cap.1. nihilominus tamen, pro eodem communiter vsurpari solent. Nam subiectũ potest accipi multipliciter (vt bene notat Tol.q.5. prohœm.) vel pro eo, quod est alicui inferius in prædicatione, vt est, homo, respectu animalis, quod de illo prædicatur: vel pro vna parte propositionis, quæ subiectum dicitur: vel pro subiecto inhæsionis, vt manus dicitur subiectum caloris, quia calor est in manu, tamquã in subiecto inhæsionis: vel tandẽ pro subiecto attributionis, siuè scientiæ, & illud est, ad quod ordinantur ea, quæ considerãtur in tali scientia, quod etiã dici solet materia, circa quam versatur scientia: & hoc est illud, quod sumitur ꝓ obiecto: sub hac enim cõsideratione sumptum, idem sũt subiectum, & obiectum. Et licet etiã possemus

mus quærere de subiecto inhæsionis ipsius Logicæ: quæ cum habitus sit de prædicamento qualitatis, accidẽs est: vnde indiget subiecto, cui inhæreat: tamen, quia hoc nulli dubium est, esse ipsum intellectum, quem perficit: ideò nõ est cur peculiarẽ instituamus de hoc subiecto quęstionem: tãtum ergo procedit præsens quæstio de subiecto attributionis, siuè de obiecto.

Secundo not. est. Obiectũ alicuius scientiæ duplex esse: alterum materiale: alterũ formale, sęù rationẽ formalẽ: primũ dici solet obiectũ quod: secũdum verò, obiectũ quo. Obiectũ materiale est illud, quod consideratur à scientia non ratione sui, sed ratione obiecti formalis, sęù rationis formalis: Obiectũ autem formale, sęù quo, est ratio, propter quam scientia tendit ad obiectum materiale; & idem est de obiectis potentiarum, sit exemplum: obiectum materiale intellectus, est ens, sed non cõsiderat intellectus ens, quatenus ens est, sed sub ratione veri: vnde, verũ erit obiectum quo, & quicquid considerat intellectus sub hac ratione cõsiderat; quatenus, scilicet, verum est: sic etiam voluntas, omnia appetit sub ratione boni: quia bonũ est ratio formalis obiecti ipsius voluntatis: sic etiam, albedo dicitur obiectum materiale potentiæ visiuæ: obiectum verò formale est color: quia ideò ad albedinem tẽdit: quia color est. In scientijs eodem modo filosofandum est: corpus namq; humanũ est obiectum materiale Medicinę: quia versatur circa corpus humanum: cæterum non quomodocumque; sed tantum, quatenus sanabile est, & medicabile, hoc autẽ erit ratio formalis. Circa idem obiectũ materiale possunt multæ scientiæ versari: non tamen circa idẽ obiectũ formale: vnde Phisica, Medicina, & Mathematica, versantur circa corpus humanum, tamquã circa idem obiectũ materiale, sed sub diuersis rationibus formalibus: Phisica namquè considerat corpus, quatenus mobile est: Medicina, quatenus sanabile, vel curabile: Matematica tandem, quatenus mensurabile secundum

dam triplicem dimẽsionem, nempè; secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Vna scientia potest habere plura obiecta materialia, quia multiplicatio obiectorum materialiũ nõ multiplicat scientiã, neq; diuidit vnam scientiam in plures: at verò non potest vna scientia habere plures rationes formales: sed vnicã tantũ, quia scientia sumit suam vnitatẽ, & specificationẽ à modo tendendi ad obiectum materiale, siuè ab obiecto formali, vt alibi dicam.

Tertio not. est, quod obiectum quod scientiæ duplex est, adæquatum, & inadæquatum: siuè totale, & partiale: adæquatum, siuè totale, est illud, quod comprehendit omnia, quæ tractãtur in scientia, vt in Metaphisica, obiectum adequatum, & totale, est ens: inadæquatũ verò, & partiale illud est, quod scientiam non adæquat, sed est pars obiecti adæquati. Et hoc secundum duplex est aliud præcipuum, quod inter partialia obiecta principatum obtinet, & cuius cognitio magis, & præcipuè intenditur, vt in Metaphisica est Deus, q inter omnia entia tenet principatũ: aliud minus præcipuũ, vt sunt in Metaphisica reliqua entia creata.

Quarto not. est, quod possumus Logicã dupliciter cõsiderare, vel secundum se, secundum totam suam latitudinem, & omnes suas partes, ad quas se extendere potest: vel quatenus ordinata est ab ipso Aristotele, & redacta ad optimam methodũ. Si hoc secundo modo consideretur Logica, nulli dubium esse debet, quod eius obiectum est syllogismus, siuè argumẽtatio: q a cum Aristoteles vellet sibi tribui huius scientiæ inuentionem, quicquid pertractauit in traditione illius, ordinauit ad syllogismum, seu ad argumentationẽ: & hinc est, quod Scotus q. 2. in Porphy. Iauel. q. 1. c. 2. & alij multi considerantes hoc modo Logicam, eius obiectum docuerũt esse syllogismum. Albertus Magnus, &c. primo suæ Logicæ cap. 4 Argumentationẽ. Alij demonstrationem: quia vt sic videtũt omnia, de quibus agitur in Logica, esse ad demonstar-

strationem, siuè syllogismū, siuè argumentationem ordinata ab ipso Aristotele, vt cōsideranti patebit. Vnde optimè adnotarūt AEgid. in prohœm. Caiet. in prin. cathegor. Aristotelis, & Tolet. q. 5. prohœm. concl. 6. (licet non expressè) syllogismū, siuè argumentationem potius dici obiectum artificis, quā artis, seù scientifici potius, quā scientiæ; quam distinctionē nos supra tradidimus, sect. præced. not. 3. At verò si cōsideretur ipsa Logica, secūdum totam suam latitudinem, eo modo, quo per infusionē Dei, cum alijs scientijs fuit in nostro primo Parente, qui postea eam traddidit posteris suis, aliud iudicium certè faciēdum est de eius obiecto.

Pro quo not. 5. quod profectò errāt à via veritatis, qui laborant, in tribuendo inuentionem huius scientiæ alteri, quā Deo, modo supra dicto: siquidem (vt sacri Theologi fatētur.) Ideò Adam creatus fuit cum ætate perfecta: quia futurus erat caput omnium; & etiā, quia futurus erat omniū Doctor, & Magister, creatus fuit cum intellectu perfecto: sed perfectio intellectus cōsistit in cognitione omniū scientiarum, & artium: ergò fuerunt illi à Deo infusæ omnes scientiæ: sed Logica est scientia scientiarū: ergo nullo modo dici debet, quod non fuerit cū reliquis Adamo infusa: licet tamen postea, cum ferè iàm cæcidisset iniuria tēporum, & inædia hominum; tēporis progressu, Mortaliū labore, & præcipuè Aristotelis, fuerit restaurata, & ad præsentem, quem tenet ordinem redacta. Et quāuis ipse Arist. 2. Elenc. c. vlt. dicat, se fuisse adinuentorem artis argumentādi: quia tamen Græcus erat natione, qui mendaces sunt, vt D. Pau. in Epist. ad Tit. c. 1. affirmat, & in reb⁹ præsertim ad propriū honorē spectantibus, ipse gloriosus, non est in hoc illi adhibēda fides. Nam ante ipsum, certū esse debet, fuisse Logicā: (vt enim D. P. Aug. refert 8. de ciuitate Dei cap. 4. Plato distinxit Phisicā in naturalem moralem, & rationalem; vbi per rationalem intelligit Logicam: siquidem ait, quæ verū à falso discernit,

quod est proprium Logicæ: Immò ibid. affirmat idē S. P. quod Plato peritissimus erat in Phisica naturali: non poterat autem esse in tali scientia peritus, absq; Logica, & arte argumētandi, & syllogizzandi: ergo Aristoteles non fuit inuētor argumētationis, siuè syllogismi. Itaq; ad propositum: si consideretur Logica secundū se: quia vt sic ad plura se extendit, quam ad argumentationē, siuè syllogismū, de quibus non egit Aristoteles: Perspicuum enim est (vt Toleti verbis vtar) nō egisse Aristotelem de diffinitione, & diuisione per se, vt per se faciunt scire essentiā, & partes rei: sed solū quatenus Argumētationi, sęù demonstrationi subueniunt: (vt etiam per optimè adnotarūt Alber. Mag. Auicen. Alfarab. Caiet. & AEgid.) Ideò non potest dici Argumentatio, siuè syllogismus obiectum adæquatum Logicæ secūdum se. De hoc ergo obiecto, siuè subiecto nos quærimus in titulo quæstionis.

His adnotatis non est cur immoremur in referendo, & refutando sententiam Nominalium, quos refert, & sequitur Villalpan. q. 5. prohœm. asserentium, obiectum Logicæ esse voces ipsas significantes: siquidē, ideò (aiunt) dicitur sermocinalis sciētia: quia tota in sermone, & vocibus sita est, vnde in lib. de Interpretratione, de Nomine tractat, & verbo, &c. & diffinitiones ipsę in vocibus significantibus consistunt; & prædicabilia, quinque voces nuncupantur.

Hæc enim opinio meritò ab omnibus reijcitur, vt omninò improbabilis: quia si nulla esset, vel esse posset vox, adhuc esset operatio nostri intellectus, quæ posset dirigi, & regulari: ergo adhuc tunc esset scientia, à qua dirigenda, & regulanda esset; sed à nulla alia sciētia regulatur intellectus, & dirigitur in suis actibus: p̄terquā à Logica, vt infra patebit: ergo si nulla esset vox, adhuc esset Logica, & ex cōsequēti, voces nequeunt esse obiectum Logicæ. ans patet: quia intellectus in suis actibus non dependet à vocibus, cum possit producere intel-

lectio-

lectiones, sine eo, quod illas exprimat. prima cōsequētia etiā patet: quia natura nil imperfectū relinquit, itaut non habeat à quo perficiatur: sed si aliqua potentia naturalis posset decipi, & errare in suis operationibus, & nō haberet à quo regularetur, & dirigeretur, natura diceretur fecisse illam omninò imperfectam, & frustra: ergo dicēdum est, quod si nulla esse poss..t vox, & esset operatio nostri intellectus, quæ posset regulari, & dirigi, necessario cōcedenda esset aliqua scientia, vel ars, quæ illam regulare posset, & dirigere: ergo adhuc Logica esset.

Tùm etiā, quia de voce, vt quid naturale est (aer, scilicet, verberatus) pertinet agere ad Phisicum: de illis in ordine ad congruitatem sermonis, ad Grammaticum: & tandem in ordine ad sermonis ornatum, ad Rethoricum: vnde si Logica etiā de vocibus tractat, nō agit de illis propter se: sed propter intellectiones regulatas, & ordinatas, quatenus sunt vicariæ intellectionum: & sic Aristoteles docet, voces esse signa eorū, quæ in anima reperiuntur: itaq; secundario, & per accidēs de illis agit Logicus. vt si ageretur de aliqua re significatiua, quatenus signum, & immago alterius est, principalius diceretur agi de re significata, quam de signo: quia, propter quod, & vnumquodquè tale illud magis. vt docet Arist. 1. post. & est exēplū in sacra Theologia in materia de Adoratione immaginum, quæ nō adorantur propter se, sed propter significatū, ad quod principaliter intentio tendit. sic ad propositum, (vt diximus ex Aristotele) voces sunt signa eorum, quæ sūt in intellectu: ergo si Logica de vocibus agit, propter actus intellectus, quorū sunt signa, de illis tractat, & sic secundario, & per accidēs. Et propterea etiā dicitur Logica sermocinalis, q̄a agit de sermone interno, & intellectuali: nam sicut voces dicuntur sermones vocales, & externi: ità intellectiones dicuntur sermones intellctus, & interni, quare à Philosofis intellectio dicitur verbū mentis.

Hac ergo opinione tāquā

improbabili ommissa prima, famosior hisce tẽporibus sententia est ferè omnium Thomistarũ, D. Thomam sequentiũ, opus. 16. & 4. met. lect. 5. quã præcipuè habent Caiet. cap. de genere. Sotus q. 5. pro hœm. Tolet. ibid. conclus. 5. Auer. 4. met. Comen. 2. Zimara in annotat. vlt. super lib. 2. met. Iand. 2. met. vbi asserit, hanc esse sentẽtiam omnium bene sentiẽtium: immò citat Illustriss. AEgidium nostrum in lib. Elen. qui tamen (vt infra videbimus,) aliud docet, quam etiam sequũtur Petrus Niger q. 12. Clipei. Aquarius 4. met. q. 5. Iauel. 6. met. q. 7. Noster Veracrux. Balduinus. Ayala. Flãdria, & alij, qui omnes asserunt ens rationis esse obiectum Logicæ.

Huius sententiæ intelligentia pendet ab his, quæ infra trademus, agentes de ente rationis: verùm pro nunc breuiter supponẽdum, ꝙ ens rationis illud dicitur, ꝙ intellectus iudicat cõuenire reb⁹, non secundũ se, sed quatenus ab ipsomet intellectu, hoc, vel illo modo apprehẽdũtur, quod nos in nostra introductione, seu Parua Logica, agentes, de Terminis, nuncupauimus, Terminũ secundæ intentionis. Exemplum. Postquam intellectus apprehẽdit hominem cum suis attributis essentialibus, quæ illi conueniunt à parte rei, & secũdum se; nimirũ, quod sit substantia, animata, sẽsitiua, rationalis, &c. cognoscit, & videt, quod in prædicationibus, Homo inferior est animali, superior indiuiduis; vnde, quatenus inferior est, vocat hominem, subsubiectũ; quatenus superior, prædicatũ; & cũ prædicetur de pluribus indiuiduis, nẽpè, de Petro, Francisco, Carolo, &c. apprendit hominem, vt speciem, vnum ex quinq; vniuersalibus, &c. hæ notiones, subiecti nẽpè, prædicati, speciei, vniuersalis, &c. nõ cõueniunt homini secũdum se, & à parte rei: sed tantum per ipsum intellectum, qui hoc, vel illo modo hominẽ apprehendit, nihil reale addens rei apprehensę. Et hæc dicũtur entia rationis, quæ, secũdũ Thomistas, sũt Logicæ præcipuũ obiectum.

Cæterũ hæc sententia non mihi

mihi videtur ꝓbanda: primo: quia sciētia pēdet in suo esse, & cōseruari ab obiecto: nam scientia alicuius scibilis scientia est: vnde si impossibile esset obiectum, certè impossibilis etiam esset scientia, cuius esset obiectū: ergo si obiectū Logicæ esset ens rationis, si tale ens esset impossibile, esset etiam ipsa Logica impossibilis: hoc est falsum: ergo, & id ex quo sequitur: falsitas consequētis patet: nam si nullum daretur ens rationis, adhuc esset intellectus noster potēs operari, & actualiter operās: quia non ipse intellectus pendet ab ente rationis: sed potius ipsum ens rationis pēdet ab ipso intellectu in fieri, & cōseruari, (vt dicā suo loco:) ergo huiusmodi operationes (etiam si nullum daretur ens rationis) essent dirigibiles, & regulabiles: ergo, etiam si nullū daretur ens rationis, immò etiā si impossibile esset, adhuc daretur facultas, quæ dirigeret, & regularet ipsas, ad hoc, vt sine vitio, sed cum artificio fierent: hoc autem ad Logicā pertinet: ergo, &c.

Et cōfirmatur, quia obiectum scientiæ non minus, quā ipsa scientia debet esse certū, & omni alia re certius: siquidem sciētiæ certitudo ab obiecti certitudine, & veritate dependet: sed adhuc sub lite est, an detur ens rationis: ita ut aliqui illud dari negent, (vt suo loco videbimus,) & alias facultatē Logicæ dari certissimū semper extitit: ergo nequit ens rationis esse Logicæ obiectum.

Item insurgo contra superiorem Thomistarum sententiam, argumento desumpto ex Patre Iesu q. 3. si ens rationis esset obiectū Logicæ, Logica esset ens rationis: hoc est falsum: ergo. ma. patet: quia totum esse sciētiæ desumitur ab obiecto, à quo naturam habet, (vt optimè Arist. 2. de Anima:) ergo si obiectum est rationis: esse scientiæ erit etiā rationis: non enim possibile est, quod ens rationis cōmunicet alicui entitatē realem, quam non habet in se, neque virtualiter, cum totum suum esse sit esse fictitiū, & dependentiæ: fingitur enim ad modum entis realis; & tādiù durat, quandiù actualiter ab intellectu

tellectu concipitur: falsitas illius primæ minoris etiã patet: (ex his, quæ diximus sect. 1.) vbi asseruimus, Logicam esse qualitatẽ, & collocari sub genere intermedio habitus, & sub genere proximo scientię: ergo nullo modo ens rationis potest esse obiectũ Logicæ.

Cõfirmatur: obiectũ scientiæ, & scibile idem sunt: ergo quod nõ est per se scibile, nõ potest esse per se obiectum: quia obiectum, de quo loquimur, est, quod per se in scientia cõsideratur: sed ens rationis non est per se scibile, aliàs esset ens reale: ergo nõ potest esse obiectum scientiæ.

Ex dictis colligere possumus, quod, etiam si in Logica tradantur aliqua de ente rationis, nempè subijcibilitas, prædicabilitas, vniuersalitas, &c. & agatur de genere, specie, & reliquis prædicabilib⁹: non ideò dicendum est, Logicã agere de huiusmodi affectionibus entis rationis primo, & per se: sed secũdario, & per accidẽs, quatenus scilicet deseruiũt directioni, & artificio operũ intellectus, vt facilius, cõmodius, & melius fiant.

Neq; valet obijcere, quod Logica dicitur scientia rationalis, ex eo, quod de ente rationis principaliter agat; id enim falsum est: sed potius dicitur rationalis: quia est directiua actuum rationis, vt optimè Angelicus Doctor initio posteriorũ, vbi sic habet. Proprium est partis intellectiuæ, vt in se ipsa reflectatur: nam ratio de suo obiecto ratiocinari potest: sicut ergo ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, inuẽta est ædificatoria, vel fabilis ars, per quam homo faciliter, & ordinatè, hos actus exercere potest: eadem ratione, ars quædam necessaria est, vt sit directiua ipsius actus rationis, per quam homo in ipso rationis actu ordinatè, faciliter, & sine errore procedat, & hæc ars est Logica, idest, rationalis scientia: ità Sanctus Doctor, vbi videtur asserere apertè, ideò Logicam dici rationalem scientiam, quia directiua est operum rationis.

Vera tamen sententia est, quod obiectum formale, & adæquatum Logicæ sunt tres illæ intellectus actiones, de

quibus

quibus nos egimus in principio nostræ Introductionis, siuè Paruæ Logicæ, quatenus regulabiles sũt, & dirigibiles, nè errent in ordine ad veritatis assecutionem: non autem præcisè, quatenus operationes intellectus sunt, neq; quatenus entia realia sunt: quia, si cõsiderentur, quatenus actus intellectus, & Animæ sũt præcisè, pertinẽt ad Animasticũ: & quatenus entia realia sunt, spectant ad primum Philosophum, nempè ad Methaphisicum.

Hãc opinionẽ tenuit olim Plato dial. de Iusto, quẽ omnes eius discipuli sectati sũt, vt refert Alcionius de doctrina Plato. c. 2. citatus à Patre Iesu vbi supra. Eam videntur etiam indicare Arist. 12. met. tex. 15. & D. Isidorus lib. 2. Ethimol fauet Magnus Pater Aug. 2. de doctrina Christiana cap. 37. Fundamẽtalis Doctor AEgid. Romanus 1. poster. in princ. 2 post. tex. 26. & 2. met. cap. 3. Fonseca 2. met. cap. 3. q. 1. sect. 5. Suar. disp. 1. met. sect. 4. eam etiam docet Cano lib 9. de locis cap. 1. in illis verbis post medium: Dialectica est locata in peritia, vsuq; partiendi, finiendi, argumentandi; id quod Theologo est pernecessariũ. Immò est expressa sententia D. Thomæ, loco paulò sup. cit. nempè initio poster. vt eius verba perpendenti facilè patebit: si enim Logica (vt ipse asserit) est directiua operationum intellectus, sequitur euidenter, tẽdere ad illas, vt dirigibiles, & regulabiles, tamquam ad suum obiectum: sicuti enim ars domifactiua versatur circa domum factibilem, tãquã circa suum propriũ obiectũ: ita Logica, quæ est facultas regulatiua actuũ intellectus, versari debet circa huiusmodi actus, quatenus dirigibiles, & regulabiles sunt, tãquã circa suũ propriũ obiectum, eodẽ namq; modo se habet regulatiuum, & directiuũ ad regulabile, & dirigibile, quo factiuum ad factibile.

Sed antequam probemus nostram sententiam: oportet summopere adnotare, operationẽ nostri intellectus duobus modis posse considerari dirigibilem, & ordinabilem: vel secundũ se: vel cum ordi-

ne ad obiectum: esse dirigibile primo modo, nil aliud est quam esse corrigibile; idest, quod id, quod sinè ordine, regula, & artificio operatur aliquid, possit veris regulis, recto ordine, artificioq; perfici ad hoc, vt ordinatè, artificiosè, & sine errore operetur. Esse verò dirigibile cum ordine ad obiectum, nil aliud est, quã posse ad aliquod obiectum ordinari: vt ipsa Logica, licet sit scientia per se: potest tamen ordinari, & deseruire alijs scientijs. Quando ergo nos dicimus, obiectum Logicæ esse operationes nostri intellectus, quatenus dirigibiles: intellige de dirigibilitate primo modo; primario: secundario verò, & per accidẽs, de dirigibilitate secundo modo.

Iterum aduertite, primam dirigibilitatem nõ esse passionem naturalem, seu proprietatem intellectus, quatenus intellectus est præcisè, & potentia Animæ rationalis: quin potius per accidens se habet respectu illius, sic cõsideratæ verum esse passionẽ ipsius intellectus inordinatè operantis, & sine artificio: vnde sequitur, huiusmodi dirigibilitatem nõ pertinere ad Philosophum naturalem: quia non semper consequitur naturam intellectus, neq; est ꝓprietas quarto modo illius: sed potius accidens quintum prædicabile.

Item supponendũ est tamquam certum, huiusmodi dirigibilitatem esse realem: non autem rationis, (vt quidam Iuniores, non potentes aliter inficiari nostram sententiam, male sentiunt:) & ratio est; quia potẽtia ad actum, & formam realem, realis necessario est: sed illa dirigibilitas nihil aliud est, quam potentia quædam ad actũ directionis passiuè, idest ad esse directum, seu regulatum, & ordinatũ, q. est proculdubio q. d reale: ergo illa corrigibilitas realis est. prima par. minoris, ex his, q̃ paulò sup. notauimus patet: quod autẽ hoc, quod est esse directũ, sit quid reale, certissimum est apud me: siquidem corrigibile, & correctum, seu regulabile, & regulatum realiter distinguuntur; sicuti domus factibilis, & domus facta: sed distinctio realis debet

versari inter extrema realia: ergo,&c. ma.patet: nam ordinabile,& ordinatum; siuè directũ, & dirigibile producũt effectus realiter distinctos: quia effectus, a potentia, sęu facultate bene ordinata,& directa, procedentes, constant debito artificio, debitis praeceptis, & regulis certis ipsius artis regulantis: at verò effectus procedẽtes à potẽtia, sęu facultate non ordinata, & regulata, sed potente ordinari, & regulari, inordinati sunt,& sine debitisregulis artis:vnde diuerso modo cõficit intellectus discursum aliquem cum logica,quã sine illa: ergo,&c. Et Cõfirmatur eadẽ positio: quia omnes fatentur, Philosophiam moralem versari circa actus voluntatis,quatenus dirigibiles sunt,& nemo vnquã dicere ausus est,dirigibilitatẽ illam actuũ voluntatis, rationis esse: ergo à pari:siquidem nulla extat disparitas in hoc inter vtranq; dirigibilitatem. Hac doctrina in his tribus Periodis adnotata,facillimè Aduersariorũ omnia parui momenti argumenta contra dirigibilitatem hanc, corruent.

Modo probatur breuiter, & facilè nostra sententia: primo. Actus intellectus,vt dirigibiles, ad aliquam facultatẽ directiuam illorum, per se necessario pertinẽt: sicuti actus voluntatis, quatenus dirigibiles, ad Phisicã moralem: sed vt sic non pertinent ad Metaphisicam, quae considerat entia, quatenus entia praecisè: nõ ad Phisicam,quae considerat entia, quatenus naturalia,idest habentia naturam in se, quae est principium motus,& quietis (vt 1.Phis. Deo dante docebimus) neque ad sciẽtiam de Anima, quae cõsiderat ipsos actus intellectus, quatenus actus vitales sunt, & opera procedentia à fonte vitae: ergo à sufficiẽti enumeratione,ad Logicam spectare debẽt, quae est directiua illorũ, vt docet D. Th. lo.sup.cit.

Secũdo pbatur. Logica scientia est: ergo alicuius per se scibilis scientia: sed hoc non potest esse ens rationis; non argumentatio, siuè syllogismus, non voces,neq; aliquid aliud eorum, quae Aduersarij statuũt pro obiecto ipsius, vt vidimus, & fortissimis ratio-

nibus reiecimus: ergo terminatur ad actus rationis, vt dirigibiles.

Tandē tertio ꝓbatur. Illud dicitur obiectum adæquatū in aliqua facultate, ad quod ordinantur omnia, sęù quod continet omnia, quæ tractantur in illa: itaut nil prorsus sit, quod ei nō tribuatur: sed triplex operatio nostri intellectus dirigibilis cōtinet omnia, de quibus agit Logica, & omnia ordinantur ad dictas rationis operationes: ergo, &c. ma. patet: ex 3. not. in princ. quæstionis posito. mi. etiā patet: ex diuisione sufficiēti omnium partium Logicæ, quam posuimus in principio nostræ Introduct. siuè Paruæ Logicæ: vbi Logicā diuisimus in tres præcipuas partes, secundum triplicem nostri intellectus actus, nempè in eam, quę ordinatur immediatè ad diffinitionem, quæ deseruit simplicium apprehēsioni: qualis est liber prædicamentorū, in quo de simplicibus rerū prædicatis disserit Arist. & etiam liber prædicabiliū, in quo de Genere, Differentia, Proprio, & Accidētti, agit Porphyr. ex quibus constat omnis diffinitio, siuè essentialis, siuè accidentalis, (vt ibidē vidimus,) & etiam de Specie, quæ sola potest doctrinali diffinitione diffiniri. Item in eam partem, quæ ordinatur ad cōficiendā compositionem, & diuisionē, quæ subdūtur Iudicio, & hæc secunda Logicæ pars cōtinet libros Perhiermen. siuè de Interpretatione: tandē in eam partem, quæ ad argumentationem ordinatur, quæ subditur Discursui tertio intellectus operi: & huiusmodi sunt libri Priorum, Posteriorum, Topicorum, & Fallaciarum: in quibus de consequentijs, syllogismis, argumentationibusq; tam demōstratiuis, quā topicis, & sophisticis, disputat Perhipateticorum Princeps: sed nil aliud continetur in tota Logica: ergo quicquid continet ipsa Logica, id totū ordinatur ad triplicem nostri intelleetus actionē: & ex consequēti triplex operatio nostri intellectus, quatenus dirigibilis, est obiectum adæquatum Logicæ. Itaut actus intellectus sint obiectum materiale, sęù quod: dirigibilitas

verò

verò illa, obiectum formale, ſeù, quo: ſiuè ratio formalis, ratione cuius ipſa Logica tendit ad dictos actus: ſicuti obiectum Phiſicæ, eſt ens naturale, ſiuè corpus mobile, vel naturale: ita tamen, quod, ly ens, ſiuè corpus, eſt obiectum materiale, ſeù, quod illius: naturalitas autem, ſiuè mobilitas eſt obiectũ formale, ſeù, quo, ratione cuius ipſa Phiſica, ens, vel corpus cõſiderat.

Si autem loquamur de obiecto inadæquato, quot ſunt partes in ipſa Logica, tot ſunt partialia obiecta, vt ſuis locis videbimus: obiectum autem præcipuum inter inadæquata certiſſimũ eſt, eſſe ſyllogiſmũ ſcientificum, ſiuè demonſtratiuũ: quia eſt præſtantiſſimũ opus intellectus, & cuius cognitio præcipuè intẽditur in Logica: ſiquidem difinitio, & diuiſio, etſi non ſemper, tamen, vt plurimum, ordinãtur ad argumentationem, & præcipuè ad demõſtratiuã: nam quando nõ inuenitur veritas in Definitione, neq; ĩ Diuiſione, ſtatim quæritur Argumentatio, & præcipuè Demonſtratio, quæ (vt ita loquar) eſt veritatis appuratiua.

Nec valet objcere, quod deſubiecto, ſaltẽ aliquæ proprietates, & paſſiones demonſtrantur, & in Logica nulla proprietas de triplici intellectus actu demonſtratur: Hoc enim falſum eſt: nam in tota Logica demonſtrantur affectiones, & paſſiones, Diffinitionis, Diuiſionis, & Argumẽtationis: nimirum, quod diffinitio ſit clarior ſuo diffinitio, ꝙ conſtet genere, & differentia; non ſit ſuperflua, nec diminuta: Quod diuiſio euacuet totum diuiſum; quod vna pars non includatur in altera, &c. Quod in argumentatione, ex verò, nõ niſi verum: ex falſo, aliquando verum, aliquando falſum, &c. quæ omnia latè tradidimus in noſtra Introductione, ſeù Parua Logica, & sũt paſſiones, & proprietates ipſorum actuum intellectus. Argumẽta autẽ, quæ alicuius ponderis, & momẽti ſint contra dicta, non inuenio: immò ea, quæ extant friuola, ſoluta manent ex dictis in tota hac ſectione.

## SECTIO QVARTA.

### *Quotuplex scientia sit Logica, an scilicet vna tantum, & vna simplex Qualitas?*

HAEC erat quarto loco nobis disputãda quæstio secũdũ Aristotelicum præceptũ: in cuius tituli explicatione. Not. 1. quod non est hic sermo de diuisione Logicæ in naturalem, & artificialem: seu de illa alia, in docentem, & vtentem; de quibus nos egimus sectione prima: sed tantũ quærimus: an sciẽtia, quæ dicitur Logica, diuidatur in plures Logicas, vel constet pluribus habitibus partialibus, vno nimirum, qui inclinet ad assensum diffinitionis: alio, qui facilitet intellectum ad diuisiones; & alio, qui reddat eandẽ potentiam promptam, & facilem ad argumentationes, seu syllogismos componẽdos: an verò, idẽmet habitus specie specialissima; & vna, eadẽq; Logica indiuisibilis in alias Logicas specie distinctas, ad omnes hos actus inclinet?

Pro quo Not. 2. quod vnũ ex Caietano cap. 4. de ente, & essentia, & q. 6. diffinitur, Id, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio; vt Petrus, qui à se ipso indiuisus est: tamen à quolibet alio indiuiduo distinguitur: sic etiã vnitas est quædã negatio diuisionis: Hæc autem triplex est, prima dicitur numerica, quæ excludit, & dicit negationem cuiuslibet diuisionis per differentias indiuiduales, seu materiales: talis est vnitas indiuidualis Petri; Petrus .n. non potest diuidi in plura indiuidua. Secunda dicitur specifica, & hæc excludit quamlibet diuisionem in plura specie differentia; licet non repugnet illi, posse diuidi in plura indiuidua: talis est vnitas leonis, qui licet sub se plures leones numero, & indiuidualiter distinctos cõtineat: nõ tamen cõtinere potest, seu diuidi in plures leones specifica differentia differẽtes, quia eandẽ rugi-

rugibilitatem specificam omnes leones participát. Vltima dicitur generica, & hæc excludit quamlibet diuisionem in plura genere differétia: nó tamen repugnat illi diuisio in plures species, & per consequés, neq; diuisio in plura indiuidua, & talis est vnitas, quam habet animal, quod est genus vltimum de prædicamento substantiæ: & non potest diuidi in plura animalia genere differentia: nam licet sub se contineat hominé, leonem, canem, &c. nó differunt differentia aliqua generica, sed specifica tãtum: nam alia est differétia essentialis, & specifica hominis, alia leonis, alia canis: ea autem differunt genere, quæ collocantur sub diuersis prædicamétis; at verò homo, leo, canis, &c. sub eodem prædicaméto substantiæ collocantur. Cumque (vt idé Caiet. præsertim loco cit. inter alios docet) priuatio ꝑ habitum cognoscatur, & vnitas sit priuatio diuisionis, dicédum est, quod cum triplex sit vnitas, triplex etiam sit diuisio, seu distinctio. Numerica, scilicet, Specifica, & Generica: quarum natura ex supra dictis patet: nam ea dicuntur numero distingui, quæ licet in vna natura specifica, & in vna diffinitione essentiali cóueniant: tamen sortiuntur diuersam vnitatem indiuidualem; vt est distinctio, quæ reperitur inter Petrum, & Paulũ. Ea dicuntur distingui specie, quorũ diffinitio, idem genus includit; non autem eandem differétiam: talis est distinctio, quæ reperitur inter leonem, & canem; qui licet cóueniant in vno genere animalis, differunt tamen ratione differétiarum essentialiũ: nempe rugibilitatis, quæ loco differentiæ specificæ ponitur in diffinitione leonis, & latrabilitatis, quæ ponitur in diffinitione canis loco eius differétiæ essentialis. Tádem ea dicuntur genere differre, quæ collocantur sub diuersis generibus generalissimis; talis est distinctio, quæ reperitur inter animal, & colorem: animal enim ponitur in prædicamento substantiæ, color verò in prædicamento qualitatis, vel ea dicuntur, sic differre (secundũ Tolet. q. 3 prohœ.)

quæ

quæ habent diuersas diffinitiones cómunes, & sub se varia genera comprehẽdunt; & talis est distinctio, quæ reperitur inter animatum, & inanimatum.

His positis, nostra quæstio non est, an Logica sit vna scientia vnitate numerica: id enim certũ esse debet, tot esse Logicas numero distinctas, quot sũt intellectus numero distincti, in quib⁹ reperiũtur: cum enim Logica sit scientia, & scientia habitus, & habitus accidens de prædicamento qualitatis, sumit suam vnitatem numericã à subiecto inhæsionis, scilicet ab intellectu, quem perficit, & cui inhæret, tamquã suo subiecto accidens: vnde quot erunt intellectus Logica prædicti numero distincti, tot erunt Logicæ numero distinctæ: & sic alia est Logica mea, alia Aristotelis, alia Platonis, alia Toleti, &c. Vnitas enim numerica in scientijs, siuè in accidentibus, sumitur ab vnitate subiecti proximi, in quo ipsa accidentia reperiũtur; vt, vna est albedo, quæ reperitur in hoc Cygno, aliá quæ reperitur in alio, vt optimè Pater Tolet. loco sup. cit. tantũ ergo quæstio est, de reliquis vnitatibus: Quærimus itaq; ; Vtrum Logica sit vna sciẽtia, & vnus habitus vnitate specifica: itaut diuidi non possit in plures Logicas, & in plures habitus specie distinctos: an verò sit tantum vna vnitate generica, & vnus habitus, qui tamẽ diuiditur in plures habitus partiales specie differentes: itaut, diuersus sit habitus diffinitionis ab habitu diuisionis, vel argumentationis.

Vnde 3. not. pro nunc (supposita illa distinctione obiecti in materiale, & formale, quam tradidimus sect. præcedenti, ) quod quilibet habitus, sicut, & potẽtia naturalis quælibet, duplicẽ habet vnitatem, sẽu specificationẽ, alteram intrinsecam, quæ ei conuenit ab intrinseco; alteram extrinsecam, quæ ei tãtum ab extrinseco prouenit: hanc habet ab ipsa vnitate obiecti formalis: quando enim obiectũ formale, siuè ratio formalis est vna, etiã si multa sint obiecta materialia; scientia, sẽu potentia, quæ tendit ad tale obie-

obiectũ,eadẽ vnitate vna est, & indiuisibilis: sit exemplum in potentia visiua, cuius obiectũ formale est color,vt sic: materiale verò albedo,nigredo,&c.licet autem albedo,& nigredo specie differant:quia tamen in eadem ratione formali coloris conueniunt,non diuersificant potẽtiam: itaut diuersa sit potẽtia visiua,quæ tendit ad albedinem, ab illa, quæ tendit ad nigredinẽ: ita etiã in scientijs. Phisica enim, & tractat de elementis, & de lapidibus, & de viuentibus, quæ omnia valde distant,sed quia de his agit,tamquam de obiectis materialibus sub vna ratione formali, nempè, quatenus naturalia, siuè mobilia entia sunt,vna scientia est,nõ plures: vnitatẽ verò,siuè specificationem intrinsecam sumunt scientiæ,& potentiæ ab intrinseco, & essentiali ordine,& respectu,quẽ dicunt ad tale obiectũ formale:vt ordo quem dicit potẽtia visiua ad colorem,vt sic,dat vnitatem, & specificatem intrinsecã illi potentiæ; lumen verò, quod requiritur ad hoc, vt potẽtia tendat ad obiectnm visibile; est cõditio sine qua nõ; quicquid aliqui parũ firmè dicãt, & hoc sufficit,vt intelligamus, vnde sumatur vnitas in scientijs, sine eo, quod inuoluamur difficultatibus,& obscuritatibus Caiet. & aliorũ Thomistarum, quæ potius Tyrunculorum ingenia confundunt,quam veritatem aliquã aperiant.

His igitur notatis; non est cur immoremur in opinione Nominalium,omninò improbabili, asserentium, Logicam esse vnã vnitate speciei subalternæ,diuisibilẽ tamen in plures Logicas,specie specialissima distinctas, iuxta numerũ eorum, quæ tractãtur in illa: itaut alius sit habitus, & alia Logica, quæ docet diffinire, alia, quæ docet diuidere, & alia,quæ docet argumentari, argumento Topico:alia,quæ docet argumentari argumento Demonstratiuo: immò tot esse Logicas,& habitus,quot extant in Logica conclusiones. Hi namq; Doctores forsan existimauere, vnitatem in scientia sumi debere ab obiectis materialibus, quæ multa sunt in omnibus sciẽtijs, & diuersa,

diuersa, non solum specie, sed nonnulla etiã genere, vt sũt intelligentiæ, & quantitates &c. de quibus Metaphisicus agit, tamquã de obiectis materialibus, sub vna tamen ratione formali entis: vnde si ab ipsis sumenda esset vnitas, & specificatio, dicendũ esset, Metaphisicam, nulla vnitate ex tribus enumeratis esse vnã scientiam: siquidem diuideretur in plures Metaphisicas genere distinctas, cum genere distinguantur eius obiecta materialia: Itaq; vnitas, & specificatio in Logica nõ debet sumi à cõclusionibus, diffinitione, diuisione, &c. quia huiusmodi sũt obiecta materialia illius: sicuti vnitas porẽtiæ visiuæ non debet sumi ab albedine, nigredine, &c. sed à colore, vt diximus, quia sub ratione coloris tendit, tam ad albedinem, quam ad nigredinem.

Prima ergo sententia cælebris est Francisci Toleti q. 3. pro hoc. concl. 1. & 3 qui duo dicit: Primum est, Logicã absolutè, & simpliciter esse dicendam vnam scientiam: sed ibi nõ innuit, qua vnitate, genericanè, vel specifica? & probat, ex eo, quod vnicũ habet obiectũ, nempè ens rationis, (vt ipse ait) seu modũ sciendi. Secundum est, in Logica esse plures habitus particulares, secundum diuersas partes præcipuas ipsius Logicæ, qui habitus specificè differunt, & ex illis resultat vnus habitus totalis: sicuti ex partibus mei corporis, quæ specie distinguntur, vnum corpus componitur; & partes domus vnam domum cõponunt: sic Logica (inquit) cõstat ex pluribus habitibus partialibus, vnã scientiam facientibus, nõ plures Logicas, neq; plures scẽtias, vt falso arbitrabantur Nominales; & in hoc tãtum differre, videtur ipsius Toleti sententia ab illa Nominaliũ, qui nullo modo vnam esse Logicam affirmabant, sed plures cum ipse in tertia conclusione fateatur, esse vnam, sed vnitate generica, vbi ait: obiecta illorum habituũ partialium cõuenire in vnica ratione generica formali.

Hoc secundũ Toleti dictũ potest probari nõnullis rationibus, quæ rè vera aliquã dif-

ficul-

ficultatẽ facere videntur: prima ergo ratio sit. Habitus distinguuntur per specificã distinctionem actuum: sed in Logica sunt plures actus specie distincti; nempè actus diffiniendi, diuidẽdi, &c. ergo, &c. minor cum consequentia patet: ma. est clara: quia habitus per actus generantur consimiles illis, ad quos inclinat: cumq; vnus habitus in specie nõ possit inclinare ad actus specie distinctos, optimè sequitur, neq; posse generari ex actib⁹ specie distinctis: & sic optimum argumentũ est, quando plures apparent actus specie distincti, illos produci ab habitus specie distinctis.

Cõfirmatur primo: quia si esset idem omnium actuum habitus, sequeretur, quod acquisito habitu diffiniẽdi, etiã sciremus diuidere, & argumẽtari: hoc est falsum: ergo, &c.

Confirmatur secundo. In Logica sunt plures conclusiones specie distinctę: alia enim est hæc: Omne vniuersale prędicatur de multis: alia hæc; Omnis demõstratio generat scientiã: alia hæc; Omne ens completũ in suo esse, & finitũ collocatur in recta linea prædicamẽtali, &c. ergo sunt plures habitus: patet cõsequẽtia: quia alias sequeretur, quod quam primũ Petrus haberet notitiam vnius conclusionis, acquireret notitiã omnium; & sic per notitiam vnius conclusionis, quam acquisiuit, haberet totam Logicam, quod falsissimum esse apparet hoc exẽplo, videlicet: sit Petrus, qui tantũ didicit hanc primã conclusionem; omne vniuersale prædicatur de multis: & Franciscus, qui maturiori studio, & labore didicit totã Logicam: tũc sic: Habitus Petri, & Habitus Francisci sunt eiusdem speciei: ergo tantum didicit Franciscus tribus annis, & tanto labore; quantum Petrus nõ maiori ingenio quindecim diebus, quod est ridiculum.

Secũda Ratio sit: experientia cõstat, Petrum. v.g. habere facilitatem circa aliquas conclusiones, & difficultatem circa alias: item, quod maius est, habere scientiam aliquarum, & errorem, & ignorãtiam circa alias conclusiones: ergo signum est, habere habitum facilitan-



cilitan-

cilitantem intellectum ipsius ad illas, ad quas se promptũ, facilem, & expeditum cognoscit, & non habere habitum aliarum.

Tertia Ratio: in Logica sũt aliquæ conclusiones acquisitæ per demonstrationẽ: & aliquæ acquisitæ per syllogismũ probabilem, &c. ergo istarum non potest esse vnus habitus: vnde Arist. 1. post. tex. 44. ponit distinctionem inter habitum scientiæ, & habitum opinionis; dicens, scientiam esse habitum certum, clarum, procedentem per demonstrationem: opinionem verò habitũ cum formidine acquisitũ: sed scientia inclinat ad cõclusiones scientificas, & demonstratiuas; opinio verò ad conclusiones Topicas, & probabiles: ergo in Logica dantur plures habitus.

Hæc tamen Toleti sentẽtia falsa est, & ab illa Nominaliũ minimè differt: quia Logica essentialiter est habitus nostri intellectus, sicuti homo essentialiter est animal: ergo sicut ex eo, q homo vnus sit, non benediceremus, hunc vnum hominem esse plura animalia etiam partialia: ita si Logica vna est, vnicus necessario erit habitus, vel si plures habitus particulares, plures etiã erunt Logicæ saltem particulares.

Quæ ratio, vt melius intelligatur, & ex illius intelligentia pateat falsitas superioris sententiæ, supponendum est, Habitum esse speciẽ intermediam, seu subalternã de prædicamento Qualitatis, sicuti corpus de prædicamẽto substantiæ: illos autem quinque habitus enumeratos sectione prima: nempè, Intelligẽtiam, Sapientiam, Scientiã, Artem, & Prudentiã, esse etiam quasi species intermedias, quæ subsunt habitui, vt sic, tamquam generi proximo: nã veræ sunt hæ prædicationes, & formales; Intelligentia est habitus, Sapientia est habitus, &c. eo modo, quo animal subest corpori: hanc verò Scientiã, hãc Artem, &c. nimirũ Metaphisicam, Phisicã, Logicã, Rhetoricam, Grammaticam, Artem fabrilem, & reliquas artes, & scientias, esse species infimas cõtentas sub scientia, & arte, tanquam sub immediatis generibus: eo modo, quo leo, canis,

canis, homo, &c. sunt species infimæ, & subsunt animali; tanquã generi immediato, & vltimo. Hoc supposito facile reijcitur Toleti opinio sic.

A' prędicato inferiori ad superius eodẽ modo valet consequentia: vt, est homo? ergo animal, & vnus homo? ergo vnum animal: sed Logica est prædicatum inferius de genere qualitatis, & subſtat omnibus alijs prædicatis ipsius generis, nempè, Scientiæ immediatè, Habitui mediatè, & Qualitati, tãquam generi generalissimo: ergo a Logica ad scientiam, habitum, & qualitatem valet consequentia; nimirũ, est Logica? ergo scientia: ergo habitus: ergo qualitas: sicuti, est homo? ergo animal: ergo corpus: ergo substantia. Sed Logica in se vna simplex species est, & infirma: ergo, & vna sciẽtia, vnus habitus, & vna simplex qualitas: ergo nõ diuiditur in plures habitus, etiã partiales specie distinctos. Oportet modo probare, quod Logica sit vna vnitate speciei specialissimæ: omnis sciẽtia sumit suam vnitatem, & specificationem ab vnitate sui obiecti formalis, vt supra diximus, & est Arist. 1. post. cap. 23. sed obiectum formale Logicæ est vnum in specie specialissima: ergo, &c. minor patet, quia obiectum formale, siuè ratio formalis, ratione cuius Logica cõsiderat, & tẽdit ad suum obiectũ materiale, est dirigibilitas, (vt sect. 3 diximus) nemo autem dicet, dirigibilitatẽ hãc posse diuidi in plures dirigibilitates specie distinctas, cũ neq; mẽte cõcipi possint: ergo, &c.

Restat satisfacere argumentis in fauorem dictæ sentẽtiæ factis. Sed pro solutionibus: Nota, quod idemmet habitus Logicæ, qui inclinat ad vnum actum, siuè conclusionem sciẽtificam, inclinat etiã ad reliquas: bene verum est, quod non omnis habitus inclinat ad omnes cõclusiones semper, quia bene potest inclinare ad vnã, & non ad aliã: successu tamen tẽporis, idem habitus, qui se extendebat ad vnam tantum conclusionem, perficitur, & augetur extensiuè in ordine ad alias, & ad alias: quomodo autẽ fiat illa noua extensio ad alias cõclu-

siones; an per additionẽ alicuius nouæ qualitatis, à præcedẽti dictinctæ, nouiter productæ per illos actus, & conclusiones, ad quas de nouo se extẽdit: an alio modo? est grauissima difficultas nõ hoc loco examinanda, sed in libris de generatione, & corruptione: Cæterum, quia nõ parum cõducit ad præsentis quæstionis intelligentiã; ideò hic breuiter, & facilè illam tangam, & quid sentiẽdum, aperiam, vt facilius omnibus argumentis satisfiat.

Sit ergo not. quod eadem omnino est quæstio de omnibus formis accidentalibus, & qualitatibus: nempè de calore, frigore, albedine, &c. an scilicet, quando aqua per approximationẽ ad ignem, successiuè semper magis, ac magis fit calida, acquirat aliquẽ, vel aliquos nouos gradus caloris realiter distinctos ab alijs. Duran. in 1. dist. 17. nu. 25. & Ninfus 5. Phis. in fine, & alij docẽt, in intensione. v. g. quando calor intenditur, totum calorem præexistentem corrumpi, & alium de nouo perfectiorem generari.

Sed hæc opinio facilè refutatur: quia tribus tantum modis potest aliqua qualitas corrumpi, vel à contrario, vel ex defectu subiecti, à quo pẽdet, vel ex defectu conseruantis: ille autẽ calor paruus in aqua igni approximata. v. g. nequit corrumpi à cõtrario: cum ibi non adsit frigus: sed etiam si adesset, ille ignis, cui approximata est aqua, qui habet virtutem ad hoc, vt in præsentia frigoris intendatur calor in aqua; multo melius habebit virtutem ad cõseruandũ præexistentem, nè corrumpatur: quia calor præexistens minus perfectus est, quã ille, qui de nouo generatur, iuxta hãc sententiam: ergo si habet virtutem ad producendũ in præsentia frigoris perfectiorẽ calorem, multo melius poterit cõseruare præexistentem, nè corrũpatur, qui imperfectior est. Neq; ob defectũ subiecti potest calor ille deficere, cũ semper eadem aqua maneat sub minus perfecto, & sub magis perfecto: neq; tandem ob defectũ conseruãtis: hic enim est, ignis, qui potens est, nõ solum præ existentem calorem

conser-

conseruare, sed maiorem, & maiorem producere.

Dices, verû esse, illum priorem calorem non corrumpi propriè à contrario; sed per aduentû maioris, qui in quantû maior, & perfectior, incompossibilis est cû minori, & imperfectiori, inquâtum minor est, & imperfectior, & sic dicitur, deficere per aduêtum alicuius incompossibilis.

Verum ex hoc solû sequitur, deficere per intensionem minoritatem illam, & imperfectionem preexistenté, quia est incompossibilis cû maiori, & perfectiori calore: non tamen sequitur corrumpi ipsum calorem, qui minor erat, & imperfectior: alias, quando homo per augumétationem, vel nutritionem fit maior, corrumperetur homo, qui antea fuit, quia proportionali modo fit de minori maior.

Neque valet obijcere cum Dur. quod sicut se habet motus de vno loco ad alium in ordine ad præsentiâ localem; ita se habet intensio ad qualitatem: sed per motum localé, quoties mobile mouetur, nouam acquirit præsentiâ localem in illo loco, ad quem mouetur, & illa presentia localis, quam habebat in alio loco, vnde discessit, corrumpitur: ergo à simili, in intésione, qui dicitur motus alterationis, quando aqua v.g. mouetur à minori calore ad maioré, dû hic adipiscitur, ille deperditur, & corrumpitur.

Non enim valet hæc ratio Dur. siquidé diuersa est ratio de motu locali, & de motu alterationis: nam in motu locali præsentiæ locales sunt essentialiter îmobiles à tali numero spatio, ideò dum mobile pergit ad nouû locum, nouam præsentiam adipiscitur, & prior corrûpitur; & ita vna præsentia ex natura rei incôpossibilis est cum alia: at verò gradus remissi caloris v.g. vt calor in primo, & secûdo gradu non sunt incompossibiles cum gradibus intésis, nempè cû calore, vt quatuor, vt quinque, vt octo, &c. immò potius calor, vt octo, côponitur ex omnibus inferioribus gradibus caloris, & sic quâdo in aqua nouus calor generatur, non corrûpitur præexistens.

Neq; valet iterû obijcere, quod

quod in omni mutatione, terminus à quo incipit mutatio expellitur adueniente termino ad quem illa mutatio terminatur, cumq; in motu illo aquæ de minus calida in magis calidam, terminus à quo ille motus incipit sit ille minor, & imperfectus calor, cũ intensio procedat à remisso, idest à minori; sequitur, quod adueniẽte maiori calore, qui est terminus ad quẽ, ille motus terminatur, debet corrũpi ille calor minor præ existens.

Hoc inquã non valet, quia terminus à quo incipit ille motus in aqua, non est calor remissus cõsideratus præcise cum hac ratione, quatenus scilicet calor remissus est: sed quatenus includit priuationẽ illorum graduũ, quibus calor ille sit maior, & perfectior, & hæc priuatio tollitur per aduentum intẽsioris caloris de nouo producti.

Thomistarum verò schola docet, intensionem non fieri productione nouæ qualitatis, nec nouæ partis qualitatis: sed per maiorem radicationẽ ipsius qualitatis in subiecto; ita Sonc. 8. met. q. 21. Iauel. q. 6. Bañes lib. 1. de generat. q. 5. & 2. 2. q. 24. art. 5. Med. p. 2. q. 52. art. 2. & videtur etiã fauere D. Tho. in multis locis: sed nõ omnes eodẽ modo explicant hanc maiorem radicationem qualitatis in subiecto, nulla prorsus adueniente de nouo qualitate totali, nec partiali: Cæterum duos inuenio famosiores, & cõmuniores dicendi modos; primus est, qualitatem aliquã magis radicari in subiecto, nil aliud esse, quam, quod subiectũ illius magis reducatur de potẽtia ad actum ipsius qualitatis. Verum illa explicatio ludit vocabulis, quia tũc subiectũ dicitur magis reduci de potentia ad actum, quando recipit magis de actu ipso: ergo si per intensionẽ magis reducitur ad actũ ipsius qualitatis; ideò est, quia magis recepit de illo actu, & forma, quæ est qualitas, & sic necesse est fateri, per intensionem ipsius formæ ꝓduci aliquod aliud de nouo.

Quare alij dicunt, illã maiorem radicationẽ esse nouũ quendam modum, quem acquirit qualitas per intensionem:

nem: & ità asserunt, per intensionem non produci nouam aliquam qualitatem: sed tantum nouum modum qualitatis: quemadmodũ quantitas, quo magis dilatatur in ordine ad locum, absq; eo tamen, quod per rarefactionem producatur aliqua pars quantitatis, acquirit nouum modum; ità qualitas per intensionem, absque eo, quod producatur noua pars qualitatis, magis radicatur in subiecto, ex eo pręcisè, quod habet nouum modum qualitatis.

Sed hic modus explicãdi, neq; placet: quia, vel ille modus qualitatis, qui acquiritur per intensionem est eiusdem speciei, cũ ipsa qualitate, quæ intenditur, & sic potius qualitas est, quam aliquid diuersæ rationis ab illa, & ità intensio fieret per aduentũ nouæ qualitatis partialis: si autẽ ille modus, quem isti fingunt distinguitur specie ab ipsa qualitate præexistenti: ergo quãdo intenditur qualitas constituitur in tali intensione per aliquam formã specie diuersam à præexistenti; & ità sequitur, calorem intensum specie differre à calore remisso: quod est absurdum: cum magis, & minus nõ varient speciem in qualitatib⁹ præcisè: ergo impossibile est per intensionem produci aliquid, quod nõ sit qualitas eiusdem rationis, cũ præexistenti.

Exemplum verò illud de rarefactione quantitatis, nullum est: quia per rarefactionem, non fit quantitas maior intrinsecè in sua entitate, cũ nulla quantitas illi addatur: solum fit maior in ordine ad locum: quia acquirit nouam quandam extensionẽ in ordine ad locum; itaut illa quantitas, quæ occupabat spatium vnius palmi, eadem rarefacta occupabit spatium duorũ palmorum: cæterũ per intensionem fit qualitas maior intrinsecè in sua entitate, eo modo, quo quantitas fit maior per augmentationem in sua entitate: & ità, sicut per augmentationẽ acquiritur noua pars quãtitatis; ità per intensionẽ noua pars qualitatis in eadẽ parte subiecti.

Quarè dicẽdum existimo pro nunc, quod per intensionem proculdubio generatur noua

noua

noua qualitas: quia postquã paruus ille calor. v.g. in aqua productus est, & deinde per nouam actionem fit maior, cũ noua actio ex natura rei nouum terminum postulet, sequitur, maiorem illum calorem nouã esse entitatẽ. Hanc autem nouam entitatem esse fateor qualitatem quandam partialẽ eiusdem rationis cũ præexistenti: non modum diuersæ rationis ab ipsa qualitate, vt vidimus supra, secundũ modum explicãdi maiorem illam radicationem Thomist. itaq; per intensionem re vera acquiritur in eadẽ parte subiecti noua pars gradualis qualitatis, quæ addita præexistẽti facit præexistentẽ esse maiorẽ, (vt optimè docet Scot. in 1. dist. 17. q. vltima, Greg. q 4. Iauel. q. 6. Tolet. 4. Phis. q. 12. & alij,) & quod producatur in eadẽ parte subiecti, & non in alia: patet, quia longe aliud est, qualitatẽ intẽdi, & extẽdi per subiectũ: potest enim calor, vt 8. permanens semper in eadem intensione, amplius, & amplius extendi per subiectũ: sed quãdo qualitas sic extẽditur producitur noua pars extensionis qualitatis in noua parte subiecti, alias nõ extẽderetur: ergo ad intensionem opus est, vt pars adueniat in eadem prorsus parte subiecti.

Sed petes, qua distinctione distinguatur nouus ille gradus qualitatis, per intensionẽ productus à præexistẽtibus? Respõdeo, distingui distinctione reali, licet non mutua: quia prior gradus, nempè calor, vt vnum, potest esse sine calore, vt duo, & calor, vt quatuor, sine calore, vt quinq; &c. nõ tamen è contra: quia calor, vt quinque non potest dari sine quatuor gradibus caloris pręcedentibus, quos necessario includit, & ex quibus coalescit: patet etiam hoc, ex eo, ꝙ si aqua sit calida, vt quatuor, v.g. & postea intendatur ille calor à suo agente, & fiat calida, vt quinq;, vt sex, &c. certum est, realiter mutari aquã de minori calore ad maiorẽ: ergo signũ est, quod aliquid à præexistenti diuersum acquirit: quia mutatio necessario dicit nouitatẽ: ergo mutatio realis fit per aliquid nouũ realiter: ergo realiter distinctum:

ctum: quia nouitas distinctio nem importat: ergo nouitas realis distinctioné realem.

Neque valet adducere authoritatem Arist. 4. Phis. tex. 84. vbi ait, calidū fieri magis calidū, nullo facto calido de nouo: Id enim verissimū est, neq; inde potest colligi, nullum caloré produci de nouo per intensionem: quia Arist. non asserit, nullo facto calore de nouo, sed nullo facto calido, idest nullo subiecto calido de nouo accedente: ly. n. calidum, terminus est connotatiuus, & concretus, dicens caloré connotando subiectū: at verò, ly, calor, est terminus abstractus: & ità per intensionem, nó accedit nouum calidum: sed nouus calor; in quo differt intensio ab augmentatione: quia augmētatio fit, nó solum accedente noua quantitate: sed etiam accedéte nouo quāto: quia simul cum noua quantitate aduenit noua pars materiæ, in qua subiectatur noua illa quantitas, & ità augmentatio fit, nouo quāto accedente: cum intensio fiat, nullo adueniente calido de nouo: sed tantū nouo calore.

Sed dices pro Thomistis. Si per intensionem additur noua pars qualitatis, diuersa à præexistētibus, sequitur, dari duo accidentia solo numero differentia in eodē subiecto, quod est absurdum. Respondeo, nó esse incōueniés, dari in eodem subiecto duo accidētia particularia, solo numero differentia, adinuicem subordinata naturaliter, quæ habeant in eodem subiecto diuersa munera, qualia sūt gradus diuersi eiusdē qualitatis: hi enim habent inter se naturalem subordinationé; itaut secūdus natura sua prærequirat primū, & non habent munera omninò similia: quia posteriores gradus ordinātur ad perfectiorem calefactionem, quam priores: & nó est eadē ratio de duob⁹ caloribus totalibus diuersis: hi enim non habent aliquā subordinationem interse, nec ordinantur ad diuersa munera, & ideò nequeunt reperiri in eodem subiecto.

Sed secūdo dices. Diximus supra in expositione tituli: accidētia sumere vnitaté numericam à subiecto, cui inhę

H rent:

rent: ergo in vno numero subiecto, nequeũt plura accidentia numero distincta subiectari. Respondeo: verũ esse, accidentia sumere vnitatem numericam à subiecto: sed hoc est sic intelligẽdum, nempè, accidentia indiuiduari ab ordine, quẽ ad hoc numero subiectum dicunt: & sic gradus illi caloris distinguntur realiter per diuersum ordinẽ, quẽ ex eorũ natura dicunt ad idẽ numero subiectũ, vt alibi latius dicã. Reliqua, quæ essent dicẽda circa hanc difficilem quæstionem, quia valde Metaphisicalia sunt, remittimus ad primũ lib. de generatione, vbi de eade difficultate redibit sermo.

Ex dictis manifeste patet, dari qualitatem minorem, & maiorem, imperfectã, & perfectam: vt calorem, vt duo, & vt octo: & idem est in habitibus: datur enim habitus imperfectus, qui scilicet respicit pauciores actus; & perfectus, qui ad plures se extẽdit: fit autem perfectior intensione: intenditur enim, & perficitur in potentia per frequentationem illorum actuum in ordine ad quos nõ sentiebat se facilem, & promptã dicta potentia: frequentando verò hos actus, producũtur in eodẽ subiecto noui gradus, qui in esse qualitatis realiter distingũtur, modo dicto, à præexistentibus, qui nullo modo distincti habitus dicũtur, sed distincti gradus, ex quibus omnib[9] ille habitus vnus specie, & numero, coalescit.

Modo in forma Respondeo omnibus argumẽtis pro sententia Toleti adductis: & primo ad primũ, quod actus diffiniendi, diuidẽdi, &c. possunt dupliciter cõsiderari, vel formaliter: quatenus, scilicet, dirigibiles sunt; vel materialiter, quatenus, alij sunt diffinitiones, alij diuisiones, alij argumẽtationes, vt sic: quando igitur in argumento dicitur; actus diffiniendi, diuidendi, &c. specie distingui: Respondeo, materialiter concedo, formaliter nego: quia cõueniunt in vna ratione specifica dirigibilitatis: & sic nequeunt generare diuersos habitus specie distinctos.

Ad primã cõfirmationem Resp. neg. sequelã: quia bene potest

potest habitus inclinare ad actus diffiniendi: non autem ad actus diuidendi,&c. quia potest esse non ita perfectus, vt valeat ad illos alios actus se extendere, (vt diximus.)

Ad secundā cōfirmationē R. sicut primo argumento, illas cōclusiones esse specie distinctas materialiter: non autē formaliter: quando autem dicitur, si esset vnus habitus, sequeretur, quod quam primū Petrus haberet notitiā vnius conclusionis, iam haberet notitiam omnium, & ex consequēti esset perfectè Logicus, negatur sequela, & ad exemplum, quod adducitur in eius probationem, concedo, habitum Petri, qui ad vnam tantū cōclusionem se extendit, esse eiusdem speciei cum habitu Francisci, qui se extendit ad omnes: tamen habitus Francisci est intēsior, & perfectior habitu Petri, & sic ad plures actus se extēdit: quemadmodum Ioānes puer, eiusdē speciei est cum Carolo viro, sed non eiusdem esse perfecti, & earumdem virium: quarè nō potest Ioannes quicquid Carolus potest, & perfectius discurrit (naturaliter loquēdo) iste, quam ille: sic ad propositū, illi habitus, licet sint eiusdem speciei, non tamen sunt æquè perfecti, & in eadem intensione.

Et eodem modo Resp. ad secundum argumentum. Ad vltimū Resp. quod pars Topica, si cōsideretur, quatenus facultas quædam est, quæ inclinat ad disputandū per syllogismum probabilem, vt sic, nō est pars Logicæ: sed facultas, à Logica lōgè diuersa (vt diximus sect. 1.) & ꝓpriè ab Aristotele, & alijs appellatur, Dialectica, & nō est scientia; at verò, si consideretur, quatenus in illa ꝓceditur modo scientifico, & demonstratiuo (vt ibidē docuimus) vt sic est pars Logicæ: quādo ergo dicitur in argumento: In Logica dari conclusiones acquisitas per demonstrationes, & alias per syllogismum probabilem, quarum nō potest esse vnus habitus: negatur: quia in Logica tantum traduntur conclusiones scientificæ: non autem Topicæ, quæ reperiuntur in Dialectica, quæ non est Logica, neque pars Logicæ.

Vnde patet Reſponſio ad authoritatem Ariſt. vtiq; enim fateor, habitum ſcientificum diuerſum eſſe ab habitu opinatiuo: tamen cum in Logica non dentur huiuſmodi actus opinatiui, & Topici, neq; erit in Logica duplex habitus.

Ex tota hac quæſtione hoc ſequitur ſuſtinendũ, nempè; Logicam eſſe vnam ſcientiã, & vnum ſimplicem habitum vnitate ſpecifica: cũ verſetur circa vnicum formale obiectum in ſpecie, quale eſt operatio noſtri intellectus ſub ratione formali dirigibitatis: licet ſub hac ratione, plura obiecta materialia conſideret, ſpecie diſtincta, quæ diſtinctio materialis non obſtat vnitati formali: hic autem habitus nullo modo coaleſcit ex pluribus habitibus partialibus, licet ex pluribus gradibus, qui in eſſe entitatiuo, & formali realiter diſtinguuntur diſtinctione non mutua, licet ſint adinuicem ſubordinati; ſecundus .n. gradus nõ eſſet ſine primo, & octauus non eſſet ſine ſeptem præxiſtentibus; & nõ repugnat, quominus oẽs, cum ſint numero ſolo diſtincti, in eodẽ numero ſubiecto ſubiectentur, ſiquidem ordinantur ad afficiendum ſubiectũ diuerſimodè. Hæc omnia probata manent in ſupradictis, & hactenus de hac quæſtione.

## SECTIO QVINTA.

### *Quam ob rem ſit Logica: neceſſaria nè ad alias ſcientias comparandas?*

PRO tituli intelligẽtia. Not. 1. quod per ly, Quamobrem, non intelligo finem pręcipuũ, cuius gratia Logica eſt: hunc enim, ex alibi dictis, facilè conſtat, eſſe directionem operum rationis: ſed tantum ordinem, quem dicit ad alias ſcientias comparandas: an ſcilicet ſine Logica poſſint adipiſci, & ſic minimè ad illas neceſſaria: an verò minimè cõſequi ſine Logica valeant, & ſic neceſſario

ſario præmittẽda eius cognitio. Vbi illud certum eſſe debet, hic non eſſe ſermonẽ de Logica naturali: hanc enim, nemo eſt, qui dubitet, eſſe ad omnem comparãdam facultatem ſimpliciter neceſſariã; tantum ergo quæſtio eſt de Logica artificiali.

Secundo not. eſt circa ly, neceſſarium; quod multipliciter poteſt vſurpari, ſecundũ multiplex cauſæ genus: nam vel aliquid dicitur neceſſariũ ratione cauſæ formalis; vel ratione cauſæ materialis; vel ratione cauſæ efficiẽtis; vel tandem ratione cauſę finalis: neceſſarium eſt, hominem eſſe intellectiuum; ratione cauſæ formalis, nempè ratione animæ rationalis, quæ eſt eius forma: neceſſariũ eſt, eundem hominem corruptibilẽ eſſe, & mortalem; hæc autem neceſſitas prouenit à cauſa materiali, nempè à corpore corruptioni obnoxio; & neceſſarium his duobus modis ſumptum dicitur neceſſariũ abſolutè, ideſt, quod aliter ſe habere nõ poteſt in quocumq; euentu; cum huiuſmodi neceſſariũ proueniat ab intrinſeco, ideſt ab eo, quod eſt intimũ rei. Ratione cauſæ efficientis, dicitur neceſſario calefieri lignum approximatũ igni, qui eſt efficiens cauſa caloris. Et tandẽ ratione cauſæ finalis, dicitur cibus neceſſarius ad vitam, & neceſſarium his duobus vltimis modis acceptum, nõ dicitur abſolutè neceſſarium: ſed ex ſuppoſitione, nõ enim in quocumq; euentu neceſſariũ eſt, lignum calefieri, ſed facta ſuppoſitione, quod illi approximetur ignis. In præſenti quæſtione non quærimus. Vtrum Logica ſit abſolutè neceſſaria: ſed ex ſuppoſitione; nimirũ, ſuppoſito, quod quis cupit alijs ſcientijs operã nauare, an ad illarum aſſecutionẽ neceſſaria ſit Logica: quarè ly, neceſſarium, ſumetur in titulo, ratione finis.

Hoc autem neceſſariũ etiã duplex eſt, ſimpliciter, & ſecundũ quid: neceſſariũ ſimpliciter eſt id, ſine quo finis comparari nõ poteſt: & hoc modo, cibus dicitur neceſſarius ad ſuſtentationem vitæ, iuxta illud Ariſt. 2. de Anima c. 4. Tandiu viuimus, quã diu nutri-

nutrimur: & insuper 8. Phis. Animal semper disponit alimentum necessariũ. Necessarium verò, secũdum quid, est illud, sine quo finis, licet assequi valeat; tamen non æquè bene, neq; facile, quo pacto dicitur æquus necessarius ad iter agendum, licet pedester quis Romam petere possit, incómodè tamen, magnoq; labore. Vtro horum modorũ sit Logica necessaria, quærimus in titulo, ad alias sciẽtias adipiscendas? Dixi; vtro horũ modorum: quia apud omnes certum est, Logicã necessariã esse: licet vnus Erasistrus id, absq; vllo fundamẽto, neget, contra quem sic arguit Galenus in libro, An sanguis cótineatur in arterijs? Aut ex quo libet sequitur quodlibet, aut non: si sequitur, sic argumentor: Cygni sunt albi, Corui sunt nigri: ergo Erasistrus est stultus: si non sequitur: ergo necessaria erit ars, quæ me doceat, quãdo aliquid sequitur ex aliquo, & quãdo non.

His adnotatis, quæstionẽ hanc sentio esse tantũ de nomine: nam duæ extant Doctorũ sententiæ, quæ videntur diuersæ: cæterũ idem sonant. Primã expresse tenent Pater Tolet. q. 1. concl. 4. Pater Didacus à Iesu disp. 2. q. 1. dicto secũdo: tribuitur etiã Iamblico in Epist. ad Sosipatrum. Alexand. Afrodisæo in prol. Top. D. Th. opusc. 58. & 70. & 1. post. Egid. nostro 1. post. Alberto Magno tract. 1. Log. cap. 3. Algaze c. 2. Boet. Oña, alijs. Hi omnes asserunt duo: primum est, Logicam nõ esse necessariam simpliciter ad alias scientias, quomolibet, saltem in esse imperfecto, acquirendas. Secũdum est, esse simpliciter necessariam ad illas perfectè adipiscendas, & absq; errore.

Secũda opinio est Ianduni 2. met. q. 2. Iauel. in sua Log. tract. 1. c. 4. Fons. 2. met. c. 3. q. 4. sect. 2. & aliorum asserentium, Logicã nõ esse ad alias scientias simpliciter necessariam; sed tantum secundum quid, idest, ex hipotesi: si quis facilè, & absq; erroris periculo, breuiter, perfectè, atq; suo ordine: alias assequi scientias cupiet. Perpẽditæ ergo, quæso, ambas opiniones, & manifestè patebit vtriusq; Doctores

res ludere tantum vocabulis: quid enim est, aliquid esse necessarium secundū quid? nisi, sine quo finis, nequit ità perfectè, & facile cóparari, licet aliquo modo, saltē imperfecto, labore maximo valeat, & sudore, vt supra diximus? Et quid est, aliquid esse simpliciter necessariū ad finem aliquem perfectè, & facilè consequendū? nisi, quod sine eo, licet talis finis aliquo modo, saltem imperfecto valeat cóparari; tamen perfectè, & facilè, & sine errore, atq; labore nequaquā? ergo idem omninò est dicere, Logicam esse necessariam secundum quid ad alias scientias acquirēdas: ac dicere, illā esse simpliciter necessariam ad illas perfecto modo, breuiter, & facile cōparandas: & ex consequenti vtriusq; opinionis supra positæ Doctores ludunt tantum vocabulis.

Sed est maximè not. quod aliud est dicere, Logicam esse necessariam ad alias scientias simpliciter, & absolutè, idest, siuè perfectè, siuè imperfectè acquirēdas: aliud verò, illam esse necessariam ad scientias acquirendas, altero illorum modorū determinatè: nemo vnquā docuit, illam esse simpliciter necessariam ad alias sciētias simpliciter acquirendas, & absolutè: quia consequenter opportuisset docere, illam esse necessariam simpliciter ad sciētias etiam imperfecto modo acquirendas, quod falsum est: nā fertur, Socratē absque Logica cōsequutum fuisse moralem Philosofiā, & Hippocratem Medicinā, qui postea, cum Logicam didicerunt, Doctissimi in eisdem facultatibus euaserunt: & certū est, Platonē ante omnē scientiam, etiam ante Logicā, Mathematicas olim edocuisse: in cuius schola scriptū erat hoc dictū. Nemo Geometria ignarus huc ingrediatur.

Id quod etiam ratione probari potest. Quia habitus naturales non dantur ad simpliciter operādum: sed tantum ad operandum facilius: cum potentiæ naturales bene possint sine habitibus naturalib⁹ eosdem actus operari, quos cū illis habitibus operantur: non tamen ità promptè, expeditè, & facile (vt alibi diximus)

mus.) cumq; Logica habitus sit intellectus (vt diximus sectione prima) bene poterit intellectus sine Logica eosdem actus elicere, quos cum Logica elicit, solo lumine naturali adiutus: non tamen ità artificiosè, expeditè, & promptè: ergo Logica non potest dici necessaria simpliciter ad sciẽtias aliquo modo, saltem imperfecto comparandas, & ex consequenti, non potest dici simpliciter necessaria ad sciẽtias simpliciter, & absolutè acquirendas.

Immò neq; dicitur Logica necessaria, secũdum quid ad scientias imperfecto modo acquirendas determinatè (vt patet:) quia ad sic comparandam aliquam facultatem, nõ indigemus Logica, cũ solum lumen naturale sufficiat, vt modo dicebam.

Dicitur ergo Logica necessaria secundum quid ad adipiscendas scientias absolutè, & simpliciter: sicuti dicitur æquus, secũdum quid necessarius ad iter, vt sic peragendũ. Et sicuti, facta hypothesi, quod quis cupiat cõmodè, sine labore, & facile Romam ire per terram, & non reperirentur currus, neque lectica: esset verum dicere, ꝙ æquus illi esset simpliciter necessarius: quia sine eo Romam eo modo pergere nõ valeret: ità si quis reliquas cupit sciẽtias perfectè, breuiter, & facilè adipisci, illi simpliciter est necessaria Logica: quia sine illa non poterit sic scientias comparare. Et in hoc, meo videri, conueniunt omnes: vnde, in quo supra citati Doctores discrepent, ignoro.

Hæc autem Logicæ necessitas commendatur maximè à Platone 7. de Repub. dicente. Impossibile est, intellectũ sine Dialectica exactè rem aliquam attingere, & Arist. 1. Phis. c. 2. dicit, ideò antiquos in varios errores incidisse: quia Logicam ignorarunt: & idẽ asserit 2. de partibus animal. cap. 1. Et Albertus Mag. c. 3. prędicab. asserit (vt refert Tolet. q. 1.) nesciens Logicã, & si scire aliquid videatur, nescit tamen, cum rationem sui sciti nesciat, & se habet ad scitum, & actum sciẽdi, sicut ignis ad comburendũ lignũ. Magnus Pater August. lib. 2,

de

de ordine cap. 13. (vt refert Pater Didacus disp. 2. q. 1. in secũdo dicto) dicit; Disciplina disciplinarum, quam Dialecticam vocant, hæc docet docere: hæc docet discere: in hac se ipsã ratio demonstrat, atque aperit: scit scire, sola scientes facere, non solũ vult, sed etiam potest. Quare Possidon. in Vita Diui Patris, & alij multi scriptores asserunt, solius Dialecticæ Augustinũ fuisse discipulum: nã reliquas scientias, Logica sola Magistra, sine Magistro didicit.

Idem Ratione facili, & efficaci probari potest: nã nemo potest aliquid perfectè scire, itaut scientificus dicatur, nisi per demonstrationem, quæ scientificos facit, cũ sciẽtiam generet: scire enim est rem p causam cognoscere, quod beneficio demonstrationis fit. Sed nulla alia scientia docet demonstrationes conficere, præterquã Logica, vt patet: ergo ad sciẽtias perfectè cõparandas necessaria simpliciter est Logica.

Et nota, quod in qualibet demonstratione, duo possunt considerari, materia, scilicet, & forma, (vt in nostra Parua Logica docuimus:) licet autẽ in qualibet sciẽtia reperiãtur veræ demonstrationes, sicut, & veræ diffinitiones, & diuisiones: nõ tamen in quàlibet scientia dantur regulæ ad efformandos huiusmodi actus, in quibus ipsorũ forma consistit: id enim tantum pertinet ad Logicam: bene verum est, quod reliquæ scientiæ materiam præbẽt: vnde solius Logicæ munus est cognoscere vim, cõnexionem, necessitatemque illationis syllogismi demõstratiui: quia solius Logicæ est tradere regulas, & præcepta ad hoc, vt sine errore fiant.

Nec valet obijcere, quod in Logica datur pars sophistica, quæ potius sciẽtiã destruit, quã sit necessaria. Nam etiam partem sophistcã necessarijsimã esse fatemur, nõ quatenus docet sophistice argumentari: sed quatenus docet sophismata, cauillationesque cognoscere, & dissoluere: quia nõ solum est necesse, Phisicum esse armatum, demonstrationibus cæterisque armis ad veritatẽ docẽdam,

defendendāq; : sed opus est etiā armis aduersus eos, qui fallacijs, & cauillationibus, veritatem adulterāt, & impugnant: quod pręstat ars sophistica. Vnde Cic. lib. 1. de finibus, Pars bona (inquit) Dialecticæ est, captiosa dissoluere, ambiguaq; distinguere.

Sed dices. Cur ergo in Iure Pontificio, & Ciuili tot extitere, extantque ad præsens, sine Logicæ notitia, viri eminentes? Resp. Iurisperitos, qui sine Logica Iuri operam dedere, & si in tali facultate videantur periti, & eminentes; nullo modo tamen dicendi sunt sciētes, cum scire sit rem p causam cognoscere, quod, non nisi duce Logica, præstatur: ipsi verò tantum fidem dicūtur habere; quam adhibent dictis Summorū Pontif. Imperatorum, Iurisconsultorum, &c. At verò tunc dicerentur vere scientes, cum media Logica vtriq; Iuri incumberent: tunc enim leggum, statutorūq; maiorum per veras cognoscerēt causas. Hinc Tulius in lib. de claris orator. cum Seruiū Sulpiciū in Iure ciuili Principem cōstituisset, inquit. Hoc nō fecisset ipsius Iuris scientia, nisi eam prætere a didicisset artem, qua doceret rem vniuersā distribuere, in partes, latētem explicare, &c. Logicam etiā maximè desiderabat Crassus in Iurisconsultis. Idē dico de Grāmaticis, qui sine Logica non dicuntur scire, sed habere meram fidē, quæ initiitur authoritati grauissimorū virorum, nempe Ciceronis, Virgilij, Valerij Max. &c. Illud igitur certum esse debet, quod nemo dicitur perfectè scire sine Logica.

Sed dices: si sine Logica, nemo dicitur scire aliquid perfectè: ergo erit Logica ad se ipsam necessaria, quæ verè scientia est, & tamen non adipiscitur præuia alia Logica, quia daretur processus in infinitum. Respondeo, non esse inconueniens cōcedere, Logicam aliquo modo esse ad se ipsam necessariam (vt optimè docent Tolet. Didacus, & alij) sicut lumen dicitur ad se ipsum necessarium, ad hoc, vt videatur, cum sit simpliciter necessarium, ad hoc, vt potentia visiua tendat ad colorem:

lorem: & ficut ad videndum lumen nō indigemus aliquo alio lumine;cū ipsummet fit, quod videtur, & quo videtur, alias daretur processus in infinitum; ita ad comparandam Logicā, non indigemus alia Logica: quia ipsa est vere scientia, & tradit regulas, & præcepta modorum sciendi, nempe diffinitionis, diuisionis, & argumētationis, quod non præstant aliæ scientiæ, & hæc dicta sufficiant de Quæstionibus Prohœmialibus.



# INCIPIVNT COMMENTARIA, VNA CVM QVÆSTIONIBVS IN QVINQVE VOCVM PORPHYRII LIBELLVM.

*Præfaciuncula.*



ACTVRI de quinq; Porphyrij vocibus vniuersalibus, quarum doctrinam ad altam prædicamentorũ notitiam valde necessariã esse censent Doctores, ( & nos infra dicemus ) necessario etiã duxi examinandam Disputationẽ, de Ente rationis, secundisq; intentionibus: cum voces ipse secundæ intẽtiones sint, Entiaq; rationis (vt ex infra dicendis patebit.) Et licet tractatus iste Methaphisico videatur conuenire, ad quem de omni ente pertinet disputare: nihilominus tamen, quatenus huiusmodi entia Logico instituto deseruiunt, nimirum directioni operum rationis, proculdubio Logici etiã est sub hac ratione pertractare de illis. Ast quia difficilis tractatio; facillima methodo, eaq; qua potero maxima breuitate, & claritate disputatione sequenti, quicquid deseruit Logico adaperiam.

DISPV-

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De Ente rationis.*

PRo intelligentia eorũ, quæ in tota hac dispu tatione dicenda sunt; not. quid intelligamus p ens rationis: nam in tota sua latitudine sumptum, ens rationis dicitur omne id, quod dicit ordinem ad rationẽ, idest ad intellectum, vt docet D. Tho. Opusc. 48. tract. 2. cap. 1. Cęterum hic ordo potest multipliciter intelligi (vt docet Sonc. 6. met. q. 18. & Pater Didacus à Iesu diffusè Disput. 3. q. 1.) primo pro eo, quem dicit effectus quilibet ipsiusmet intellectus ad ipsummet intellectum, tanquã ad suam causam: qua ratione verbũ productum potest dici ens rationis: quia est effectus rationalis potentiæ: quod tamen verbum est verum ens reale. Secundo pro eo ordine, quem dicit ad intellectũ, quicquid est subiectiuè in illo, idest, quicquid inhæret ipsi, tãquã accidens, vt sunt omnes habitus intellectuales, eiusq; actus, qui cum sint immanentes necessario dicuntur subiectari in eodem intellectu, cuius sunt actus: & dicuntur entia rationis subiectiua, cum sint vera entia realia. Tertio pro eo respectu, quẽ dicit species intelligibilis, quæ objicitur ipsi potẽtiæ, vt cognoscatur, vt species hominis, lapidis, &c. qua ratione ipsum obiectum male intellectus dicitur ens rationis, eo, quod objicitur, tanquam ens intelligibile ipsi rationi. Vltimò pro eo ordine, quem dicit ad ipsum intellectum obiectũ, quod in se nullam habet entitatẽ preter illam, quam accipit ab actuali cognitione intellectus, qua cognitione cessante cessat etiam ens rationis.

Pro quo est sũmopere notanda doctrina de secũdis intentionibus: vbi per intentionem hic non intelligimus actum voluntatis, quo tẽdimus in finem; qui dicitur intentio à Phisicis moralibus: neque intel-

intelligimus ipsum finē, qui etiam intētio solet appellari, qua ratione dicimus; intētio mea est, studēdo, Deum melius cognoscere, cognoscendoq; ardētius amare, &c. sed per intētionem intelligimus actionem ipsius intellectus, quę dicitur intellectio; & etiā obiectū ipsum, ad quod talis intellectio tendit. At verò ad specificandum, quādo intentio significet intellectionem, quando verò obiectū cognitum, penuria aliorum vocabulorum, adinuenere Docti duos terminos, nempè, ly formale, & ly obiectiuum; vel ly subiectiuum, quod idem est, ac formale: & obiectiuū: intellectio ipsa, quæ est actio ipsius intellectus, dicitur intentio, siuè cōceptus, siuè notio formalis, vel subiectiua; formalis, quia ipsa intellectio se habet, vt forma respectu ipsius intellectus, denominans ipsum actu intelligētem; dicitur etiam subiectiua: quia cū sit actio immanēs, & nō transiens subiectatur, in ipsomet intellectu: at verò res ipsa intellecta, siuè obiectum, dicitur notio, siuè conceptus, siuè intentio obiectiua.

Vtraq; autem hæc intētio, tàm formalis, quā obiectiua, duplex est: prima, & secūda, iuxta duplicem modum tendendi intellectus in suum obiectum. Nam, vel intellectus, quādo respicit obiectum, cognoscit in illo ea attributa, quæ ipsi obiecto conueniunt ante omnem intellectionem; itaut etiā si nullus intellectus daretur, adhuc illa attributa ipsi rei conuenirent; & tunc illa cognitio dicitur prima intentio formalis, siuè subiectiua; & obiectū illud sic cognitum, dicitur prima intētio obiectiua. Vel tribuit ipsi obiecto aliquid, quod rè vera non conuenit illi ex se, & præcisa intellectione; immò potius, si intellectus non cognosceret tale obiectum cum tali attributo, quod illi tribuit, nullo modo conueniret ipsi: & hęc intellectio dicitur secūda notio, seù intentio formalis, siuè subiectiua: & obiectum istius intellectionis, dicitur secūda intentio obiectiua. Sit exemplum de omnibus. Cognoscit noster intellectus naturā humanam, vt est in Petro, Francisco,

cisco, &c. cum suis attributis, quæ ipsi naturæ humanæ cõueniunt ex se, nimirum, cum rationalitate, sẽsibilitate, corporeitate, risibilitate, &c. quę etiã si nullus esset intellectus, adhuc illi naturæ cõuenirẽt. Natura humana sic cognita cum illis attributis, dicitur prima intentio obiectiua, cognitio autem illa, qua intellectus tendit sic ad naturam humanam, dicitur prima intentio formalis, siuè subiectiua. Post hæc, cognoscit eandem naturam humanam in ordine ad Frãciscum, Petrum, Paulum, &c. quibus videt eã esse communem, quare intelligit illã vniuersalẽ, quia pluribus conuenit; & respectu illorum plurium, speciem prædicabilem; siquidẽ illa inferiora sunt indiuidua; & in prædicatione ipsa de suis inferioribus, prædicatum; cum prædicetur de illis; cum tamen prædictæ naturæ non cõueniat esse speciem, vniuersalẽ, prædicabilem, &c. nisi in quãtum sic ab ĩtellectu cognoscitur, & hæc cognitio, siuè intellectio, dicitur secunda notio formalis, siuè subiectiua: hoc autem, quod est esse vniuersale, speciẽ, subiectũ, prædicatũ, &c. quod à solo intellectu dependet, dicitur secunda intentio obiectiua: vtraq; intentio formalis, & subiectiua ens reale est; siquidẽ actio est entis realis: prima intentio obiectiua, etiam ens reale est; at verò secunda intentio obiectiua, cum nullã ex se habeat entitatem, præter illam, quã accipit ex actuali cognitione intellectus, qua cessante nõ remanet, est propriè ens rationis: & de hoc procedit præsens Disputatio.

## SECTIO PRIMA.

*An detur Ens rationis, & in quo consistat eius essentia?*

Postquã vidimus, quidnam nomine entis rationis intelligatur, statim occurrit de eius existentia, essentiaq; disputare: & sic duo quęrimus in titulo huius disce-

disceptatis: primũ est, an reperiatur aliquod ens, quod tantum habeat esse ab intellectu; itaut nullã ex se habeat entitatem: secũdum verò est, supposito, quod detur quomodo essẽtialiter diffiniatur: aliud in titulo explicandum minime occurrit.

Circa primum, quod quæritur est opinio Pauli Venet. in sua Log. q. 4. pro hoc. Dur. in 1. dict. 19. q. 5. nu. 6. Bernardini Mirandulani in suis commen. quest. Vtrum prędicamenta pertineant ad Logicã, sect. 5. Mairon. in quodli. q. 7. & nouissimè acutissimi Vallesij q. 9. Phisicæ, & aliorum recentiorũ Hispanorũ, quorum eruditissima manuscripta apud me sunt, asserentium nullo modo concedenda esse huiusmodi entia rationis, quam sententiam probabilem reputat Pater Didacus à Iesu disp. 3 q. 1. §. fateor rationes has, &c.

Potestq; primo hæc sententia ꝓbari sic: si aliquod aliud ens, præter reale daretur, vel esset, quid creatum à Deo solo, vel ab aliquo agente naturali productum: non creatũ: non enim Deus extẽdit suam potẽtiam ad creandam Chymeram, vel quodã aliud fictitium, quale dicitur esse huiusmodi ens rationis: si productũ ab aliquo naturali agẽte, maxime ab intellectu: sed hoc dici nõ potest: ergo, &c. ꝓbatur hæc mi. quia quicquid ab intellectu producitur est reale: patet hoc: nam quicquid ꝓducitur à causa reali, per actionẽ realem reale est: sed Intellectus est causa realis, & quælibet intellectio est actio realis, (vt vidimus in tit. disp.) ergo quod sic producitur necessario erit ens reale.

Secũdo ꝓbatur, si tale ens ꝓducitur ab intellectu: ergo potens est intelligi ab ipso intellectu: quia nequit excogitari alius modus, quo producatur, quam per ipsam intellectionem: ergo nequid esse diuersum ab ente reali: patet consequentia, quia intelligibilitas passio est entis realis: esse enim intelligibile aliq d, præsupponitur ad ipsam actualem intellectionem: & sic id tantũ dicitur intelligibile, quod licet non actu intelli-

gatur, poteſt tamen intelligi: vnde dicit entitatem quandã ante omnem actualẽ operationẽ intellectus, potẽtẽ actu intelligi ab intellectu; quod proprium eſt entis realis, non rationis: dicere ens rationis nõ eſſe intelligibile, abſurdũ eſt: nam quomodo intelligeretur, ſi nõ eſſet intelligibile? immò, ideò aliquid intelligitur, quia eſt intelligibile.

Et cõfirmatur omne id, q̃ eſt in actu ſecũdo tale, neceſſario debet in actu primo prę ſupponi tale: neceſſaria nãq; conſequentia eſt hæc: Petrus currit: ergo ſignum eſt, quod antequam actu curreret, potens erat ad currendũ: ergo ſi huiuſmodi ens rationis actu intelligitur ab intellectu, ſignũ eſt, quod ex ſe antequã actu intelligatur potens eſt, vt intelligatur: hoc proprium eſt entis realis: ergo, &c.

Cæterũ magis recepta tùm inter antiquos, tùm etiã inter Modernos opinio eſt: dari huiuſmodi entia rationis: cuius veritas ex ipſo Ariſt. r. colligi poteſt, qui 5. met. tex. 14. videtur duplex eſſe aſſignare; alterum, quod reperitur extra ſuas cauſas, & re vera eſt in re: alterum, quod extra ſuas cauſas minimè reperiri poteſt, ſiquidem ſolum eſt in apprehẽſione mẽtis: pro quo proculdubio ens rationis intelligit. D. etiam Tho. ſępè de huiuſmodi ente mentionem facit, præcipuè p. p. q. 16. art. 3. ad ſecundũ vbi docet, illud eſſe ens rationis, quod cum non ſit in rerũ natura, accipitur, vt ens in ratione: præterquãquod fęrè omnes recentiores Scolaſtici, apud D. Th. p. p. q. 14. art. 9. ens rationis ſtatuunt, dum diſputant: An Deus poſſit entia rationis cognoſcere: & AEgid. noſter in 2. diſt. 3. p. 2. q. 2. & alibi. Sed in hiſce reb⁹ potius rationes vrgent, quam authoritates.

Probatur ergo primo: illud dicitur verè ens rationis, q̃ recipit totũ ſuum eſſe ab intellectus operatione: ſed multa concipimus, quæ in rè, nec ſunt, nec eſſe poſſunt, ac ſi eſſent, vt impoſſibilia, quæ ac ſi poſſibilia eſſent cogitantur: aliquãdo .n. montem aureũ, chymerã, &c. immaginamur, quorũ totum eſſe conſiſtit in illa actuali intellectus cogita

tione,& immaginatione,qua transacta, nil remanet illius entis in rè. Item percipit aliquando intellectus negationes, & priuationes, ad modũ entium positiuorũ.v.g. carentiam visus in lapidibus, & in cęcis hominibus, ad modum alicuius formæ,seù qualitatis positiuæ, cum rè vera potius sit carētia formæ; quæ quidē carentia nequit ab intellectu sic concipi,cum eius obiectũ sit ens,& sic non potest aliqd intelligere, quod non cadat sub ratione entis;cumq; cęcitas sit carentia entitatis,nēpè visionis, ad hoc, vt pcipiatur ab intellectu, necesse est, vt intelligatur ad modum alicuius entis. Itē intellectus facit distinctionem inter diuina attributa, quæ quidem sunt indistincta: & cum ob eorũ perfectionē infinitā, infinitamq; simplicitatem nequeāt sic ab intellectu cognosci, cognoscuntur, ac si essent distincta; sic etiam subiectum,& prædicatum harum propositionũ, Homo est animal: animal est corpus: quæ sunt propositiones formales:& harum,Franciscus est Frāciscus, homo est homo,quæ sunt idēticæ, pro culdubio distingũtur, sed nō distinctione reali (vt patet,& infra clarius patebit disp. de vniuer.) ergo distinctione rationis: ergo negari nō potest, quod detur huiusmodi ens rationis.

Secundo probatur,& peto à Dur.& ab alijs, qui oppositam sententiam tenent: quando de ente rationis disputāt; an detur, vel nè,cum asserũt, minimè concedendum esse: quid negant? vel enim negando, aliquid concipiunt, vel nihil? si nihil: ergo de nihilo disputant, & nihil negant: si aliquid, vel hoc aliquid est ens reale, vel aliquod aliud ens,quod non sit reale;siquidem aliquid est passio entis: non ens reale,alias ens ipsum reale è medio tollerent: ergo necessario concipiunt ens, ꝙ tantũ habet esse in apprehensione intellectus; hoc autem est ens rationis: ergo necessario dandum est huiusmodi rationis ens.

Vnde ad primũ argumentũ contrariæ sententiæ Resp. distinguendo illam propositionem vltimæ probationis,

vide-

videlicet, quicquid producitur à causa reali per actioné realé est reale: duplex actio realis, directa, & reflexa: (de actione intellectiuæ poté tiæ præcipuè loquendo:) vel prima, & secunda (vt in explicatione tituli disputationis diximus de notionibus:) quicq d producitur per actionem directam, & primam, reale est: concedo: per actionem indirectam, seù reflexá, & secundam, reale est, neg. ens ergo rationis, licet producatur ab intellectu, q est causa realis; & per actionem ipsius intellectus, quæ etiam realis est, quæcumq; illa sit; tamen nó producitur per actionem directam, & primam: sed per indirectam, seù reflexam, & secundá, vt docui loco cit.

Vel secundo Resp. aliud, esse, intellectum producere effectum: alium verò producere obiectú: prima productio dicitur vera productio entitatis realis, & sic dicitur intellectus producere verbú, quod est ens reale: secunda verò productio dicitur tantú metaphoricè productio: qa non producit aliquá entitaté realem: sed tantum dat quodam esse actuale obiectiuú, dum actu aliquid intelligit, quod esse non est reale: vnde si nil aliud sit in illo obiecto; præterquam hoc esse obiectiuum, quod ab intellectu recipit, erit ens rationis. Estq; huius rei manifestum exemplar: quádo intellectus intelligit speciem hominis, etiam secúdum sua attributa essentialia; vel quodcumq; aliud obiectum, non né est causa realis, & tendit ad tale obiectum per realé actioné? quid autem reale tribuit illi? nihil certè; sed tátum illud esse obiectiuum: quando ergo intellectus intelligit ens rationis, non dicitur producere effectum, quia sic esset ens reale: sed dicitur producere tátum obiectum; siquidé totum esse huiusmodi entis consistit in esse obiectiuo (vt infra dicá.)

Ad secúdum Resp. primo, quicquid alij cófusissime dicant: ens rationis propriè, & rigorosè non posse dici intelligibile: quatenus ly intelligibile significat ens verú, quod in quátum verum, aptum est mouere intellectum ad cósi-

deratioñe sui ipsius,& si actu non moueat illum: ens enim, vt verum, est proprium obiectum intellectus directè intelligentis: vnde esse intelligibile hoc modo, est passio entis realis: si autem esse intelligibile sumatur largo quodam modo, quatenus scilicet illud etiam, quod actu intelligitur intelligibile potest dici, vt sic ens rationis est intelligibile. hoc autẽ fundatur supra illã propositionẽ, quod res sicuti se habet ad esse, ita ad intelligi: cumq; ens rationis non sit verum ens, sed fictitium, ita similiter non est propriè, & verè intelligibile.

Neq; obstat, quod ens rationis actu cognoscitur: ergo signum est, quod poterat cognosci, & sic iam ante actualem cognitionem, habet ens rationis hanc aptitudinem, vt cognoscatur. Quia id tantum verũ est de eo obiecto, quod habet suum esse verum ante intellectũ cognoscentẽ, & ex cõsequẽti idoneitatem ad mouendum illum ad sui considerationem: nõ autem de obiecto, cuius totum esse consistit in actualiter cognosci, quale est ens rationis.

Pro cuius maiori declaratione, pro nunc notate breuiter: (redibit.n. postea idẽ sermo in disp. de vniuersalib⁹,) ꝙ intellectus noster duplex habet officiũ: seù (vt clarius me explicem) dupliciter se habet circa rem aliquã, quã intelligit, actiuè, & passiuè, secũdum duplicem partem, quam habet, nempè actiuã, quæ dicitur intellectus agẽs; & passiuã, quæ dicitur intellectus patiens: dicitur pati intellectus, recipiẽdo in se speciem intelligibilem, cum recipere sit quodã pati: hæc autẽ species intelligibilis fit intelligibilis, medio lumine intellectus agentis illuminante phãtasmata, seù species, quæ resident in potentia illa, quæ dicitur phãtasia, & denudante ea à conditionibus sensibilibus, ratione quarum, phantasmata non poterant intelligi: nam cũ intellectus sit omnino spiritualis, nequit ferri in corporeũ, & sensibile obiectũ vt sic, nisi prius denudetur à cõditionib⁹ sensibilib⁹, & fiat intelligibile. Intellectus ergo agens, illuminando

huius-

huiusmodi species naturales, reddit illas spirituales, & sic efficiũtur intelligibiles, quia vt sic, bene possunt intelligi, & cognosci ab intellectu possibili, qui merè passiuè se habet, recipiẽdo in se huiusmodi species, & intelligẽdo illas, quæ species dcuntur primæ notiones obiectiuæ, & sunt entia realia, vt vidimus in titulo disput. & infra videbim⁹ clarius: at verò quando intellectus patiens vult intelligere, & efformare ens rationis, non indiget lumine intellectus agẽtis, quod illud efficiat intelligibile. nam cũ nil prorsus sit ante actualẽ illam cognitionẽ, nullo modo existit in fantasia: sed tãtum fundamẽtaliter, aliquo modo dicere possumus, ꝙ sit in ipsa specie iam eleuata, & denudata à conditionibus sensibilibus: quia intellectus supra illã potest ens rationis fundare: vt cum intelligendo speciẽ leonis, cõparat illam multis particularibus, & efficit eam vniuersam, (vt infra patebit.) Et sic respectu entis rationis intellectus patiens se habet aliquo modo actiuè, & ad modum intellectus agentis; itaut simul, & semel in ordine ad tale ens dicatur agens, & patiens; agens, dum illud sibi facit obiectum intelligibile; patiens verò dum ipsum intelligit: idq; per vnicam actionẽ realem, quæ dicitur secunda notio subiectiua; distinctã tamen solũmodo per rationẽ.

Hoc supposito potest secũdo Responderi argumẽto (vt optimè Pater Didacus) quod intelligibile est duplex alterũ respectu cuius intellectus cõparatur, vt passum, vnde passibilis dicitur, & hoc intelligibile, cum fiat medio lumine intellectus agentis, necessariò præsupponitur actioni intellect⁹ passibilis, & sic id, quod hoc pacto ĩtelligibile est, etiã si nõ intelligatur actu: potest tamẽ intelligi; vnde intelligibilitas hoc modo sumpta est passio entis realis: alterũ verò est respectu cuius intellectus passibilis se habet etiã ad modum agentis, & intelligibile, hoc modo nõ pręsupponitur ipsi intellectioni: quia ꝑ eandem actionẽ intellectus redditur obiectũ ipsius, & intelligitur, sic dicitur esse intelligibile

bile ens rationis, cum non indigeat præuio lumine intellectus agentis, cum nihil omninò sit ante actionem intellectus passibilis.

Et per hæc patet etiã solutio ad confirmationem: nam illa propositio: quicquid est in actu secundo tale necessario debet in actu primo præsupponi tale: debet intelligi de eo, quod habet verũ esse: cumq; ens rationis nõ habeat verum esse, sequitur, &c. Vel, debet præsupponi in actu primo, aut in aliqua prioritate temporis, aut in aliqua prioritate rationis: & sic licet ens rationis, antequã actu intelligatur, nõ prę supponatur intelligibile in aliqua prioritate tẽporis, sicut prima notio obiectiua prę supponitur, prę supponitur tamẽ quadã prioritate rationis: prius .n. concipimus nos id, quod cognosci tur, quod obijciatur intellecturi, quam quod intelligatur.

Necessario ergo admittenda sunt entia rationis. Hæc autẽ sic possunt diffiniri, (vt secũdæ parti tituli quęstionis satisfaciamus:) quorũ totum esse consistit in actualiter cognosci ab intellectu. Sic diffinitur à Cõment. 6. met. com. 3. ens rationis: nihilque aliud videtur requiri ad essentiam huiusmodi entis; quicquid alij sentiant cum D. Tho. p. p. q. 16. art. 3. ad secundum; vbi dum dicit, ens rationis esse, ꝙ cum non sit in rerum natura, accipitur vt ens in ratione: videtur docere, esse de intrinseca ratione entis rationis, ꝙ quando efformatur ab intellectu, cõcipiatur aliter quam est: sic enim manifestè etiam docuit opusc. 42. c. 1. vbi dicit, tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod nõ est, & ideò fingit illud, ac si ens esset: ex quibus verbis colligunt quidam iuriores eius discipuli, hoc pertinere ad intrinsecam rationẽ huiusmodi entis. Sed licet verum sit, quod in efformando ens rationis intellectus concipit id, quod non est ens ad modum entis: tamen hoc potius pertinet ad proprietatem, sęù propriam passionem ipsius, quam ad essentiam: nam cum totũ eius esse sit esse obiectiuum, quod primo, & per se illi conuenit est

actu

actu obijci potentiæ intellectiuę; quod verò obijciatur ad modum entis, cũ non sit verũ ens, secũdariò se habet, & cõsequenter: licet necessariò.

Ex his sequitur, ad eam tantum potentiã pertinere efformationẽ entiũ rationis, quæ vim habet faciendi sibi aliq̃d obiectiuè præsens: nã ens rationis non producitur, vt effectus: sed vt obiectum (vt supra dixi:) quare in primis, voluntas, quæ indiget, vt intellectus illi proponat obiectũ prosequẽdũ, cum sit potẽtia cæca, nequit efformare entia rationis: nam & si sæpè appetat id, quod nõ est rẽ ipsa bonum, sed tantum apparenter: nihilominus tamen, cum non det ipsa illi bono apparenti esse obiectiuũ, sed intellectus non poterit dici causa efformatrix entium rationis.

Fantasia autem, seu potentia immaginatiua vim habet coniungẽdi diuersas substantias disparatas, & cõponendi quodam monstruum, quod impossibile sit naturæ. v. g. connectere poculdubio potest speciem montis, & speciẽ auri, ex qua connexione resultat mons aureus, & similia entia rationis impossibilia: hoc autem ideò est, quia tũc ratio cooperatur simul cum tali potentia: nõ autẽ propter hoc dicitur efformare ens rationis formaliter; sed tantum materialiter, cõiungendo scilicet illas duas substantias disparatas montis, & auri, quæ, vt sensibilia entia sũt, respicit tanquam obiecta: nõ autem cõsistit in esse sensibili ens rationis: sed in esse intelligibili, q̃ recipit ab intellectu, modo explicato: restat ergo solum, potẽtiam intellectiuam posse entia rationis efformare.

## SECTIO SECVNDA.

### *An quilibet intellectus posſit ens rationis efficere?*

PRO tituli intelligẽtia. not. 1. quod hęc quæstio non procedit de intellectu humano organis corporeis affixo: quia certũ est ab ipso posse tale ens efformari:

mari: quia cũ non habeat cognitioné manifeſtá rei ſicuti eſt, apprehendit multoties eá aliter quá eſt in ſe ipſa, & ſic id, quod nó eſt ens, proponit ſibi ꝓ obiecto, ac ſi eſſet ens.

Poſſet eſſe quæſtio de intellectu Angelico, & Beato. Cæterum etiam certum eſſe debet, neq; Angelos, neque Beatos entia rationis effingere: de Angelis, hoc videntur ſentire D.Th.p.p.q.58. art.4. & Caiet.ibid.& noſter AEgi. in 2.diſt. 3.p 2 q.2.& alij multi, vbi docent, Angelos nó cognoſcere componédo, & diuidendo; ſed cognoſcere res, vt in ſe sũt, clarè, & intuitiuè: ſic etiã fateor, idé de Beatis, qui diuinam in patria cótemplantur eſſentiam, ſenſiendũ: intellectus namq; beatificus nequit facere diſtinctionem inter attributa diuina; cũ videat illa intuitiuè eſſe vnicá, & ſimpliciſſimam entitatem: nec queit cognoſcere reſpectum Dei ad creaturas, cũ videat ipſum Deũ omninò abſolutũ eſſe: ibi enim videntur res ſicuti ſunt, vt inquit Paulus 1.Corint.13.videmus nũc per ſpeculũ in enigmate: tũc autem facie ad faciem: & D. Bernar. lib. 5. de conſiderat. ad Eugen. cap. 13. agens de diſtinctione attributorũ, perfectionumq; Dei, quæ cũ indiſtinctæ ſint, nihilominus, vt diſtinctæ cognoſcuntur à nobis, ſubdit. Hoc ſpeculũ facit, & enigma: ergo Beati, qui nó per ſpeculũ in enigmate, ſed facie ad facié diuiná intuentur eſſentiá, eiuſq; perfectiones, vnitatem ſimpliciſſimá, & abſolutá, & in ipſa diuina eſſentia vident quicquid vident, vbi perfectiori modo, & eminentiori res omnes continétur; nequibunt entia rationis efformare. Tantum ergo reſtat grauis difficultas de Intellectu Diuino: an ſcil. poſſit ens rationis aliquo modo facere, ſeũ cognoſcere factum: ſi ſic fieri poteſt.

Pro quo not.2.quod Pater Suar.diſp.54. ſuæ met.nu.23. & 24. Fatetur, Deũ nullo modo poſſe ens rationis effingere, propter rationes infra à nobis adducendas: tamen proculdubio, illud à nobis factũ, cognoſcere. Quod, vt bene vidit Pater Vazq; p.p.diſput. 118. nil aliud eſt, quam velle

voca-

vocabulis ludere: ſi.n. ſemel admittat Suar. Deum ens rationis cognoſcere, neceſſario admittere debet, illud etiam efficere: & euidés ratio eſt in promptu; tota entis rationis eſſentia ſita eſt in cognoſci: ergo à quo cognoſcitur, ab illo & efformatur: ergo ſi cognoſcitur à Deo, à Deo efficitur: antecedens prob. ex his, quæ diximus ſect. præced. ná totũ eſſe entis rationis eſt eſſe obiectiuum: ſed cognoſci nil aliud eſt quã actu eſſe potentiæ cognoſcitiuæ obiectum: ergo totum eſſe entis rationis ſitum eſt in cognoſci. Et confirmatur, nam vt etiam in præced. ſect. diximus: Ad eã potentiã efformatio entium rationis pertinet, quæ vim habet faciẽdi illud ſibi obiectiuè præſens: cum ens rationis non producatur, vt effectus: ſed vt obiectum: ergo ſi Deus poteſt ſibi facere tale ens obiectiuè prçſens, poterit etiam illud efformare. Item confirmatur: quia vel Deus huius entis rationis modo à meo intellectu effincti habuit ab æterno ſpeciẽ, ſeù idæam: vel non. ſi nõ habuit: ergo aliqđ de nouo cognoſcit in tempore, cuius nõ habuit ſcientiam ab æterno: quod abſurdũ eſt dicere, vel habuit ipſius entis ſpeciẽ: & tunc ſequitùr, quod etiã quando creatus intellectus nõ erat tale ens fuit obiectiuè præſens intellectui diuino: ſed aliud eſſe præter hoc eſſe obiectiuũ nõ habet: ergo ab æterno fuit Deus efformãs ens rationis: ergo ſi illud cognoſcit, neceſſario fatendum eſt, illud etiã efficere: falſitas etiam iſtius opinionis ab his, quæ infra dicã latius patebit.

Quarè ea ommiſſa: prima cęlebris ſententia eſſe poteſt, Deum non ſolũ entia rationis cognoſcere, ſed etiã ea facere: idq; per ordinẽ ad cognitionem creatã, quam plenè, & perfectiſſimè comprehendit: ita Bañes p.p.q.14. art.9. vbi ex mente D.Tho. ſic colligit (In hoc articolo not. eſt primo circa primã concluſionẽ, quod Deus cognoſcit res Chimericas, & fictitias: quoniam habent eſſe in potentia imaginatiua noſtra.) Id etiã docet Pater Didacus à Ieſu diſp. 3.q.3. dicitq; eſſe D.Th. ſententiã p.p.q.15. art.2. immò & D.P.Auguſt. ab ipſo D. Tho. citati in argumento, ſed

L contra.

contra authoritas August. est desumpta ex lib. 83. q. q. 46. tom. 4. à medio. verba ipsius sunt. ( Ideæ sunt principales quædam formæ, vel rationes rerum stabiles, atq; incómutabiles: quia ipsę formatę nó sunt, ac per hoc æternæ: ac semper eodē modo se habentes, quæ diuina intelligentia continentur, &c.) ex quibus verbis concludit D.Tho. esse plures Ideas, dum in corpore ar. inquit: vnde sequitur, q̄ in mente diuina sint plures Ideæ: nonnulliq; alij recétiores id etiam fatentur apud D. Tho. in vtroq; citato loco.

Cæterum mihi videtur ex citatis locis, tùm D.Tho. tùm August. nō posse hanc sententiam colligi: & primo ponderanda sunt verba D.Th. q. 14. art. 9 vbi quærit, vtrum Deus habeat scientiam nō entium? cui quæstioni respondet sic: Respondeo, dicédum: quod Deus scit omnia quæcunque sunt, quocunq; modo. Nihil autem prohibet, ea quæ non sūt simpliciter aliquo modo esse. Simpliciter .n. sunt, quæ actu sunt. Ea verò, quæ non sunt actu, sunt in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturæ, siuè in poté tia actiua, siuè in passiua, siuè in potentia opinandi, vel immaginandi, vel quocunque modo significandi. Quæcunq; igitur possunt per creaturā fieri, vel cogitari, vel dici: omnia cognoscit Deus. (hæc D. Tho.)

Quod autem ex his verbis falsò colligat Bañes, Deum entiū rationis habere sciētiā, patet manifeste: ex eo, quod asserit S. Tho. quod Deus scit omnia quæcunque sunt: ens autē rationis nequit propriè dici esse, cum non sit propriè ens: sed concipiatur ad modum entis.

Nec valet dicere, q̄ ideò subdit, ly quocunque modo: ac si diceret, siuè propriè, siuè impropriè: hoc enim falsum est: nam, ly quocunq; modo, sic debet intelligi, ita vt dicat S. Doct. Deum omne ens cognoscere, siuè sit, vel fuerit, vel sit futurū in actu, siuè semper sit in potentia suæ causæ: q̄ indè colligitur: nam explicans, ly quocūq; modo; subdit: (nihil autem prohibet, ea quæ sunt simpliciter, aliquo modo esse.)

Dices:

Dices: ex hoc potius colligi expresſè, D. Th. fuiſſe locutum de ente rationis: dum .n. dicit, bene poſſe aliquo modo eſſe entia, ea quæ entia ſimpliciter non ſunt: hoc ens apertè indicat, quod non dicitur ens ſimpliciter, ſed ad modum entis.

Sed cõtra: quia explicans, ly ſimpliciter, D. Tho. ſubdit: ſimpliciter .n. ſunt, quæ actu ſunt; ea verò, quæ non ſunt actu, ſunt in potẽtia, &c. ergo loquitur S. D. de veris entib⁹, quæ vel actu sũt, vel actu fuerunt, vel erunt in aliqua temporis diffirentia; vel tandem nunquã actu erunt, ſed ſemper in potẽtia, vel ipſius Dei, vt ſunt plures mundi, plures orbes, rerumq; plures ſpecies &c. quæ benè poſſunt à Deo creari, nunquam tamen creabuntur: & ſic nunquam erunt in actu, ſed ſemper in potẽtia Dei; vel etiam in potentia creaturæ, vt ſunt multa, quæ poſſet quis facere, nõ tamen facit, vel tandem in potentia opinandi, vel immaginandi: intellige, quod verum eſt, vel verum eſſe poſſet: eo prorſus modo, quo sũt innumeræ hominum cogitationes, quas vanas eſſe multoties, noſſe Deum, cæcinit vates Dauid: falſum ergo eſt, ex hoc loco colligi, Deum entia rationis cognoſcere.

Quod neque ex alio loco quæſt. 15. art. 2. id colligatur, & ex conſequenti, neque ex Auguſt. poſſumus ſic demonſtrare: petit in illo ar. S. D. An ſint plures Ideæ? & Reſpondet, neceſſe eſſe ponere plures Ideas in diuina mente, vt intellectas ab ipſo: quod authoritate D. P. Augu. probat, vt ſupra, &c. Hinc colligit P. Didacus præſertim: ſed non ſunt plures niſi pluralitate rationis: ergo hæc pluralitas rationis erit etiam in mente diuina obiectiuè.

Ad hoc primo poſsũ reſpõdere, cõcedẽdo antecedens negando cõſequentiã: aliud enim eſt plures res cognoſcere: aliud verò cognoſcere rerum pluralitatẽ, ſeù rationẽ quarè plures ſint: prima nãq; cognitio terminatur ab ipſis rebus: ſecunda verò non a reb⁹, ſed à diſtinctione, ſeù pluralitate ipſarum rerum. Deus ergo plures rationes proprias

plurium rerum intelligit, quę sunt plures ideæ: non autem distinctionem illam rationis, sęu pluralitatē: alias, & huius distinctionis deberet ideam habere: & cum illa esset etiā ab alijs distincta: hanc distinctionem cognoscendo, huius etiam distinctionis ideam habere diceretur, & sic esset in in infinitum processus, quod nequit intelligi.

Vel secundo, negando antecedēs cum ipso fidelissimo D. Tho. commētatore Caiet. qui circa litteram illius ar. sic habet. Quātum verò ad multitudinem, sęu pluralitatem, scito, quod hic est sermo non de pluralitate reali, nec de pluralitate rationis, formaliter loquēdo: sed de pluralitate simpliciter, quod, aut quo: ita quod intentio litteræ est, ponere differentiam in hoc, quod ratio formalis exercēs actum quod, potest multiplicari simpliciter, potestq; absolutè dici multæ, &c. quibus verbis videtur asserere Caiet. ex mēte D. Th. Ideas nō esse plures in mente Deo pluralitate rationis formaliter: sed esse plures fundamentaliter: quia possunt illæ Ideæ à Deo intellectæ fundare distionem rationis: quod autem intelligendo Deus plures Ideas, nō intelligat, nec formet ens rationis: patet euidenter, quia de ratione entis rationis est esse obiectiuum: intelligēdo autem Deus plures Ideas: peto quid est, quod intelligitur, Idea, an verò distinctio illa Idearum? certè Idea est id, quod diuinæ menti obijcitur: ergo non distinctio: ergo hæc distinctio nō poterit esse ens rationis formaliter, quousque fiat obiectū actu alicujus intellectus: ergo erit vsq; tunc distinctio rationis fundamentaliter tantum.

Et cōfirmatur: cū ego concipio vnico cōceptu, v. g. animalitatē, quæ est in Petro, nō concepta humanitate: & postea concipio rationalitatem eiusdem, non concepta sensibilitate, efficio ens rationis? minime certe: siquidē nullū ens rationis habeo pro obiecto meorum conceptuum: sed tam rationalitas, quā animalitas Petri, cōceptus sunt reales: at verò cum concipio distinctionem aliquā inter animalita-

malitatem, & rationalitatem Petri, quæ sunt idem realiter in Petro, vt suo loco dicam: tunc efficio ens rationis: quia concipio distinctionem inter duo extrema, quæ nequaquã inter se distinguntur: ita ad propositũ, nequit dici Deus ens rationis efformare intelligendo plures ideas, quæ realiter plures non sunt, cum sit eadem diuina essentia ad plures res cõparata (vt idem D.Tho. in eodem ar. docet) tunc verò illud efformaret, quando hanc pluralitatẽ, seũ distinctionem sibi obijceret, intelligeretq;: hoc autem nõ colligitur ex D.Tho. ergo nequit eius mens sic explicari: sicut etiam falsò pro hac sententia citatur ille locus Augustini: cæterũ quicquid sit de mente D.Th. hanc sententiam præter citatos Doctores defendunt etiã Henricus quod. 6.q.1. Canarien.q.28.1.p.disp.2.dub.1.2.& 3. Duran.in 1.dist.2.q.3.& Mol.p.1.q.28. disp.3 & alij multi.

Probãtq; primo: cognoscit Deus oẽs nostros conceptus formales: ergo cognoscit omne id, ad quod tẽdunt huiusmodi nostri formales conceptus: ergo quando ad ens rationis tendunt, necessario ens rationis cognoscit: antecedẽs est certum: cõsequentia verò prima patet: ex hoc, quod nostri formales conceptus non possunt cognosci, nisi per ordinem ad obiecta, ad quæ essentialiter ordinantur: ergo si Deus cognoscit nostros conceptus formales, necessario cognoscet illorum obiecta, quæcunq; illa sint: & ex consequenti quando noster intellectus cognoscit, & conficit ens rationis, Deus illud certò cognoscit.

Confirmatur: Deus cognoscit esse in intellectu nostro ens rationis, quando illud efformamus: ergo cognoscit ens rationis.

Secundo probant: Intelligere omne intelligibile perfectionis est: sed entia rationis sunt intelligibilia: ergo bene poterit ea Deus intelligere. patet consequentia: quia omnis perfectio debet tribui Deo, qui est summe perfectus: intelligere autem entia rationis perfectio est, cum intelligibilia sint: ergo hæc perfec-

tio

tio est tribuenda Deo.

Confirmatur: nō intelligere aliquid intelligibile denotat ignorantiā: sicuti non posse aliquid possibile denotat impotētiam: sed ens rationis est intelligibile: ergo si nō intelligeretur à Deo, id tribueretur illi ignorantiæ: hoc nō est dicendū: ergo, &c. Cumq; entis rationis esse sistat in cognosci: si à Deo cognoscitur: ergo à Deo efficitur.

Cæterū hæc sententia nullo modo mihi videtur ꝓbanda, & contra illam sic fortiter insurgo: primo præmittendo doctrinam quādam D. Tho. p.p.q.14.ar.9.ad tertium, vbi docet, non oportere, ꝙ quæcunq; intelligit, & scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint, sed solū ea, quę vult esse: quarè nō semper sciētia Dei est causa rerū: sed ideò illud causat, cum causat: quia illi adiungitur voluntas: hac pręmissa doctrina arguo sic: tūc intellect⁹ efficit ens rationis, quando concipit id, quod re vera nō est ad modū alicuius entis: ergo si Deus efficeret ens rationis, conciperet id ꝙ non est ad modum entis; sed intellectus humanus cōcipiendo id, quod non est ad modum entis, dicitur decipi, vel fingere: ergo Deus si intelligeret hoc modo deciperetur, & fingeret: cumq; in productione huius entis interueniret cum scientia eius diuina voluntas, diceretur, se velle decipi, & fingere: hęc omnia sūt absurdissima; ergo, &c. primū antec. probatur ex D. Thom. opusc.42.cap.1. vbi dicit, tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere, quod nō est, & ideò fingit illud, ac si ens esset, & p.p.q.16.ar.3.ad secundum: vbi sic ait. Ad secundum dicēdum, quod non ens nō habet in se vnde cognoscatur: sed cognoscitur in quantum intellectus facit illud cognoscibile: vnde verū fundatur in ente, in quātum non ens est quodam ens rationis: apprehēsum scilicet à ratione; hæc sunt verba D. Tho. ex quibus colligitur ens rationis non posse aliter cognosci, quam apprehēdendo id, quod rè vera nō est ad modū entis, & sic dicitur ens fictum: ergo si Deus ens rationis efficeret, diceretur apprehendere

dere id, quod non est ad modum entis: patet consequentia, quia alias esset verũ ens, si haberet in se: vnde cognosceretur.

Nec me latet Respõsio aliquorum, & præsertim Patris Didaci à Iesu disput. 3. q. 1. & 3. nimirum, posse optimè à Deo cognosci ens rationis in ordine ad aliam cognitioné, etiam si non cognoscatur res aliter quam est, per hoc quod intellectus diuinus cõprehendat cognitionem viatoris, & ens rationis, quod illi obijcitur; sicq; licet in cognitione humana, qua cognosc tur res aliter quam est: ly, aliter quã est, sit modus imperfectæ cognitionis: in diuina tamen cognitione hoc compreheńdente, hic modus solum habet rationem obiecti: modus auté imperfectus, bene potest esse obiectũ cognitionis perfectę: & sic De⁹ absq; impfectione entia rationis à me impfectè cognita, cognoscere poterit.

Hæc inquã solutio nil valet: contra quam sic insurgo. Vel Deus cognoscendo intellectioné meam cognoscit idem numero ens rationis, quod ego per illam intellectionem efficio: vel diuersum, factum tamen ad illius similitudiné: non idem numero, quod sic apertè probo; nam illud ens rationis cum accipiat totum suum esse ab illa actuali mea intellectione, taliter depédet esśetialiter ab illa, vt nequeat à quauis alia intellectione dependere, quod patet: nam totũ esse entis rationis, vt sic, est actu cognosci ab aliquo intellectu: ergo totum esse huius v.g. entis rationis à me formati consistit in illa actuali mea cognitione: ergo taliter depédet ab illa, vt nequeat ab alia quauis dependere: ergo neq; Deus cognoscere illud ens rationis à me effectum: quia cognoscédo diceretur illud efficere: ex quo item aliud sequeretur absurdum, quod semel iam productũ illud ens rationis per intellectioné meam, idé numero reproduceretur per intellectioné Dei, quod bonus Philosophus nequaquam admittit.

Ergò si aliquod ens rationis cognosceret, & produceret, illud esset aliud à priori, confectum tamen à Deo ad simi-

similitudinē illius:hoc autem etiā videtur ridiculū asserere; præterquāquod coincidit in periculum,quod vitare inten dit hæc sententia,nimirum,ꝙ Deus efficeret id, quod non est ad modum entis:hoc autē sic apertè patet:quia dum nō cognoscit illud meū ens ratio nis, nequit ab eo immediatè Deus sumere similitudinē ad cōficiendū suum: ergo debet illud cōficere eo prorsus mo do,quo ego meum ens efformaui,nimirum ad similitudinē entis realis: ergo si posset ens rationis efformare Deus, necessario illud deberet fingere ad modū entis realis.

Secundo cōtra eandē sententiam sic insurgo: si ens rationis cognosceretur à Deo, necessario assignanda esset in Deo Idea entis rationis ab æterno, non solum in ratione principij cognitionis ipsius entis rationis; Deus.n. quicquid cognoscit, cognoscit p suam Ideā, quæ est forma rei existens præter ipsam rem(vt optimè D.Tho.p.p.q 15. art. 1.) sed etiam secundum ratio nem similitudinis, secundum quam ipsum ens à Deo possit formari,& effici:quādo enim aliquid à Deo producitur,ne cesse est sit in ipsa mente diui na forma, ad cuius similitudinē illud tale producit( vt D. Tho. ibidem ) vbi de mundo exemplificat dicens,quod cū mundus sit factus à Deo per intellectum,necesse est,quod in eius mēte sit forma,ad similitudinē cuius mundus factus est, eo prorsus modo, quo similitudo domus præexistit in mente ædificatoris, quæ dicitur Idea domus: quia artifex intendit assimilare domū formæ; quam mente concipit: si ergo ens rationis,& cognosci tur, & ex cōsequenti fabricatur à Deo, necessario fatendū est,dari ab æterno in ipsa diui na mente Ideā entis rationis, & secūdum rationē principij cognitionis,& secundū rationem similitudinis:hoc autem asserere imprudētissimū esset: ergo, &c.

Minor ista probatur:tū primo, quia iam sequeretur con tra authores prædictæ senten tiæ,Deum nō cognoscere ens rationis per ordinem ad intel lectionem nostram(vt ipsi fatentur) sed per se,& per suam

Ideam,

Ideam, quã ab æterno habet, antequã creatus esset aliquis intellectus humanus.

Tùm etiam, quia repugnat, talem Ideam ponere in mẽte diuina, nõ solum, quia sequeretur, ab ęterno fuisse tale ens productum, siquidẽ ab æterno habuit esse obiectum diuinæ intellectionis, & totũ esse entis rationis in hoc consistit, quod actu intelligatur: ergo si ab ęterno fuit intellectũ, ab æterno fuit effectum: sed etiã, quia res sicut se habet ad esse, ita ad intelligi; quia obiectũ quod Intellectus est ens: ergo eo modo, quo res est ens, eodem modo cognoscitur; sed ens rationis non est verũ ens, sed factum ad modum entis, vnde potius dicitur fictũ, quã factũ: ergo si potest esse Idea huius entis in mente Dei, illa etiam deberet esse figmẽtum quodam: patet cõsequentia: quia Idea est forma, exẽplar, & similitudo rei Ideatæ, ergo eo modo quo res est (quo ad veritatẽ præsertim entitatis) eodẽ modo Ideam habet in mente Dei: ex quo sequitur etiã, illam Ideam (si daretur) esse principiũ fingẽdi potius, quã aliquid veri entis cognoscendi, sęù efficiẽdi: hæc omnia absurdissima sunt: ergo repugnat dari in mente diuina Ideã entis rationis ab æterno.

Quare mihi videtur dicendum, Deum nullo modo cognoscere entia rationis, nec illa efformare, etiã quatenus à nobis cognoscũtur, & fiunt: ita Capreol. in 1. dist. 8. q. 4. art. 3. Pater Vazq; p. p. dispu. 117. cap. 2. ad tertium, & alij etiã; quod euidẽter probant superiores rationes adductæ contra pręcedentẽ sententiã. Pręter quamquod, ideò Intellectus humanus fingit huiusmodi entia rationis, quia nequit attingere res, sicuti sunt in se, quare intelligit illas aliter, quam re ipsa sunt: Vnde multa impossibilia, ac si possibilia essent apprehendit; ꝙ etiam prouenit à modo intelligẽdi per discursum (vt videtur sentire D. Bernar. lib. illo 5. de cõsideratione ad Eugenium cit. sup. cap. 13. vbi agẽs de distinctione rationis, quã in Deo facimus cognoscẽtes, vt diuersa, attributa, & perfectiones eius, subdit: hoc speculum facit, & Ænigma.) qui

M modus

modus nõ admittitur in Deo, cum cõtineat in se imperfectionem maximam, sed tãtum in nobis viatoribus reperitur, qui videmus ( vt inquit Paulus ) per speculum in AEnigmate: cumq; diuinus Intellectus clarè, & intuitiuè cognoscat oĩa eo modo, quo sunt, nequit ea aliter quam sunt intelligere, alias diceretur deceptus: si .n. id, quod re ipsa impossibile est, apprehenderet vt possibile, erraret vtiq;.

Restat modo satisfacere argumentis, pro contraria sententia adductis, & primo ad primũ Resp. Deũ cognoscere omnes nostros conceptus formales, & omne id, ad q; tendunt: ablata tñ omni imperfectione: quia Deo debemus tribuere quicquid imperfectionem nõ importat: quando postea infert: ergo quãdo nostri cõceptus tendunt ad ens rationis, necessario Deus tale ens rationis cognoscit: negatur cõsequẽtia, quia hoc maximam imperfectionẽ importat ( vt in superiorib⁹ rationibus patet : ) cognoscit autem Deus nostros conceptus, non autẽ cognoscendo ens rationis eo modo, quo à nobis cognoscitur, nimirũ, apprehendendo non ens ad modum entis: sed cognoscẽdo obiectà realia, ad quorum similitudinẽ nos formamus entia rationis, aliter enim nequeunt à Deo cognosci.

Et pro intelligentia huius responsionis notãda est doctrina D.Tho.p.p.q.14. ar.10. vbi quærit, vtrũ Deus cognoscat mala? cui respondet, q; Deus nisi cognosceret mala, non perfectè cognosceret bona: quicunq; enim perfectè cognoscit aliquid, oportet, q; cognoscat omnia, quę possũt illi accidere: sunt autem quędã bona, quibus accidere potest, vt per mala corrũpantur: assignansq; modum, quo malũ à Deo cognoscitur, subdit: sic autẽ est cognoscibile vnũ quodq; secundum quod est: vnde, cum hoc sit esse mali, q; est priuatio boni: per hoc ipsum, q; Deus cognoscit bona, cognoscit etiã mala: sicut per lucem cognoscũtur tenebræ: adducitq; authoritatẽ Dionisij 7.c. de diuin. nominib. vbi asserit, quod Deus per semetipsum tenebrarũ accipit visionem,

ſionem, non aliunde videns tenebras, quã à lumine: hæc ibi. Quod etiam cõfirmat q. 15. art. 3. ad primũ, vbi ſic ait: malũ cognoſcitur à Deo non per propriam rationem: ſed per rationem boni. & nota ꝙ D. Tho. loquitur tam de malo naturæ, quale eſt quælibet corruptio, ſiuè priuatio boni, quã de malo moris, quale eſt peccatũ: & vt ſic, quodlibet malũ, ens eſt reale, & vt tale, eo modo cognoſcitur à Deo: malum enim deſtructiuũ eſt alicuius boni: vnde cum priuatio debeat commenſurari cũ bonitate, qua priuat: ſicut bonum illud, ens reale eſt: ita reale eſt malũ illius boni deſtructiuum.

Cæterum cum nos cognoſcimus priuationem alicuius perfectionis in aliquo ſubiecto, nempe cęcitatẽ, ob imperfectionem, & imbecillitatẽ noſtri intellectus, nõ concipimus illam eo modo, quo eſt à parte rei, videlicet carentiam viſionis: ſed apprehendimus in illo ſubiecto illam cæcitatem ad modũ alicuius formę poſitiuæ exiſtentis in tali ſubiecto: ecce finctio, & effectio entis rationis, qui modus cognoſcẽdi tollitur à Deo, cum ipſe cognoſcat illã cæcitatẽ, eo prorſus modo, quo eſt, per ordinem ad viſionẽ, qua priuat: ſic etiã nos cognoſcimus tenebras in aere, nõ per ordinem ad ipſam lucem, qua priuant; cum tenebræ nil aliud ſint, quam lucis priuatio: ſed cõcipimus in aere aliquid poſitiuum, ad modum alicuius entitatis, ſeũ formæ poſitiuæ realis, quaſi tenebræ ſint aliquid poſitiuũ, & in hoc conſiſtit ratio entis rationis.

Neq; obſtat ſi dicas: quod per aliud cognoſcitur, imperfectè cognoſcitur: ergo ſi ens rationis non cognoſcitur per ſe, ſed ꝑ aliud à Deo, nempè per obiectũ reale, ad cuius ſimilitudinẽ nos tale ens efformamus, ſequitur quod Deus imperfectè cognoſcit ens rationis: hoc eſt abſurdũ, quia nulla cognitio Dei eſt imperfecta: ergo, &c.

Nam Reſp. ad illud antecedens. Quod per aliud cognoſcitur, imperfectè cognoſcitur: quando per ſe cognoſcibile eſt, concedo: quando verò non eſt per ſe cognoſci-

bile, non imperfectè cognoscitur, dum per aliud cognoscitur, per quod sit cognoscibile: cumque ens rationis (vt supra probauimus) nõ sit per se à Deo cognoscibile, cũ per aliud cognoscitur, nõ dicitur imperfectè cognosci.

Ad conf. Respondeo, conced. antec. neg. consequentiam: quia quando Deus cognoscit, esse in intellectu meo ens rationis, est, quia intelligit obiectũ, ad cuius similitudinẽ illud ens rationis fabricatum est ab intellectu meo: ex quo non sequitur, quod formaliter ens rationis cognoscat: sed tantum fundamentaliter.

Ad secũdũ Resp. conc. ma. disting. mi. entia rationis sunt intelligibilia per se, negatur: per aliud, cõcedo, modo paulò supra exposito: ergo bene poterit illa Deus intelligere, per se, nego: per aliud, concedo: & sic intelligit illud.

Ad confirmationẽ tandem Respondeo, nõ intelligere aliquid intelligibile, eo modo, quo ab intelligente intelligibile est, denotat ignorãtiam, conc. sed ens rationis est intelligibile: distinguo dupliciter minorem: est intelligibile, vel à Deo, vel à nobis: & tunc, vel per se, vel ꝑ aliud: ergo si non intelligeretur à Deo, eo modo, quo ab ipso est intelligibile, tribueretur illi ignorantiæ, concedo consequentiam: sed adde aliam minorem sic: sed ens rationis non est intelligibile à Deo per se, sed ꝑ aliud: ergo nõ est ignorãtia in Deo, nõ intelligere illud per se: immò esset summa inperfectio, si sic posset ab illo intelligi (vt diximus) sicut non arguit impotentiam in Deo, non posse formaliter peccare: immò esset illi summa imperfectio, si peccare posset.

## SECTIO TERTIA.

### *Quotuplex sit Ens rationis?*

PRo tituli intelligẽtia, & totius quæstionis, not. quod duplex diuisio potest entis rationis assignari: prima est, in ens rationis ratiocinantis, & in ens rationis ratioci-

tiocinatæ: illud dicitur ens rationis ratiocinātis, quod nullum habet fundamentū in re, supra quod possit intellectus fundare tale ens, vt est prædicatio eiusdem de se ipso; vt Franciscus est Franciscus: in qua prædicatione cōcipit intellectus, sicut in reliquis prædicationibus, prædicatū, tanquam quid distinctum à subiecto: cum tamen nullū prorsus possit distinctionis fundamentum reperiri inter extrema supradictę prędicationis: siquidē, Franciscus, nullo modo potest à se ipso distingui.

Illud verò dicitur ens rationis ratiocinatæ, quod verum habet fundamētū in re, supra quod potest intellectus fundare illud: vt quando distinguit diuina attributa inter se, misericordiā, scilicet, & iustitiam, &c. quæ indistincta sūt: intellectus tamen fundat huiusmodi distinctionem in eo, quod ratio formalis misericordiæ, vt sic cōsideratæ, pręscindendo ab hoc, quod reperiatur in Deo, &c. re vera distinguitur à ratione formali iustitiæ: sic etiam, quando concipit, vt distincta, prædicata essentialia Francisci v.g. cum ea omnia realiter identificentur cum ipsa differentia indiuiduali Francisci, (vt in disp. sequenti dicam:) cæterū cum cōceptus animalis, vt sic, distinguatur à conceptu hominis, &c. præscindēdo ab hoc, ꝙ reperiātur in eodē indiuiduo, vel in pluribus: ideò cōcipit animalitatē distingui ab humanitate, etiā in Frācisco: quæ quidē, licet (vt diximus) distincta non sint formaliter, dicuntur tamen, vel possunt dici distincta fundamentaliter, siuè initiatiuè, siuè virtualiter: quia possunt ab intellectu distingui.

Et licet Vazq. p. p. disput. 117. cap. 3. nō videatur assentire huic diuisioni entis rationis, cum nullum dari fine fundamēto ens rationis, existimet: tamē rē vera, qui identicam propositionem concedit, & ipsū ens rationis ratiocinantis, necessario cōcedere debet: licet etiā ipse fateatur, nullo modo posse ꝓpriè distinctionē dici eam, quæ concipitur inter Petrū, & se ipsū in idētica ꝓpositione: tamen quia prædicatio identica (vt

asserit

asserit Arist.) est omnib⁹ principalior: quia omnib⁹ verior; vnde naturalis prædicatio dicitur, necessario fatẽdum est, illius extrema habere verã, & propriã rationẽ subiecti, & prædicati: sed quodlibet prædicatum dicit verã relationẽ ad subiectũ, & è contra: ergo inter extrema propositionis identicæ est vera relatio: ergo vera distinctio, nõ realis: ergo rationis.

Secundo cõmuniter diuidunt ens rationis in Relationem, Priuationẽ, & Negationem: deducuntq; diuisionem hanc ex Arist. 4. met. in princ. & 5. cap. 7. vbi annumerat inter entia negationẽ, & priuationem, & cap. 15. eiusdem 5. lib. videtur relationẽ rationis insinuare; quam etiã diuisionem, ex D. Th. q. 21. de verit. art. 1. & in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. & dist. 19. q. 1. art. 1. desumũt; vide receptissima est apud omnes recentiores, nec qui illam vsq; adeo inficiauerit, repertus est.

Quid autem sit Relatio rationis: quid Priuatio: quidq; Negatio? breuiter aperiam. Notãdo, subiectum aliquod posse aliqua forma carere; vel necessario, vel contingenter, & casu: seù vel naturaliter, vel violenter: naturaliter; & necessario, dicitur lapis aliquis carere facultate ad loquendũ, vel videndũ: at verò Frãciscus, Petrus, &c. qui homines sũt, si huiusmodi facultate carent: id cõtingẽter est, per accidens, & casu; illa carentia necessaria, & naturalis dicitur negatio: illa verò carentia contingens, siuè violenta, dicitur Priuatio. Negatio sic diffinitur: carentia formæ in subiecto inepto ad habendam talem formã. Priuatio verò diffinitur sic: carentia formæ in subiecto apto nato ad habendã illam: lapis enim non est aptus natus ad loquendum, vel ad videndũ: & sic carentia visus, & loquelæ in lapide: dicitur negatio: homo verò quidã cæcus, surdus, vel mutus, est aptus natus ad videndum, loquendũ, & audiẽdum; & sic illa carentia visus, auditus, & loquelæ in homine dicitur Priuatio: lapis non rectè diceretur cæcus, seù priuatus visu: nec mutus, quia cæcitas, & mutalitas (vt

(vt sic dicam) priuationẽ insinuant: dicetur ergo, vel non videns, non audiens, &c. vel negatus visu, auditu, &c. homo verò propriè dicitur cæcus, mutus, &c. vel priuatus visu, loquela, &c.

Iterum notãdum est: quod huiusmodi carentię non sunt entia rationis, quatenus à parte rei sunt verè priuationes, & negationes alicuius formæ realis: sed quatenus ab intellectu cõcipiuntur, ac si essent formæ positiuæ, verè existentes in talibus subiectis priuatis, vel negatis aliqua forma. Cum enim intellectus habeat pro obiecto ens verũ, omnia, quæ concipit, debet sub ratione veri concipere, etiam si rè ipsa talia non sint: & cum huiusmodi carentiæ à parte rei nõ sint vera entia: sed potius negationes, vel priuationes entium verorũ: quando concipiũtur ab intellectu, finguntur, ac si vera entia essent; & vt sic dicuntur entia rationis priuatiua, & negatiua; horũ autem fundamentũ, ex parte rei conceptæ, est ipsum non esse formæ in subiecto: cũ igitur surditas cõcipitur, vel cæcitas in homine, & in lapide: (licet ad modum entis concipiantur,) concipitur tamen ipsum non esse auditus, vel visus: & dum cõcipitur hoc nõ esse formæ in subiecto, ac si esset in tali subiecto quid positiuũ, fit ens rationis, siuè negatiuum, siuè priuatiuum.

Relatio verò rationis, est ordo, siuè respectus vnius ad alterum, quem res tantum habét ab intellectu: vt ordo, qui fingitur inter attributa diuina, quæ concipiuntur, ac si essent distincta, cum rè vera indistincta sint.

Sed contra hoc potest esse non facile arg. Ideò negatio formę, & priuatio dicũtur entia rationis negatiua, & priuatiua: quia, cũ rè vera nõ sint à parte rei formæ positiuæ, sęù entia positiua, concipiuntur ab intellectu ad modũ entiũ positiuorum: sed sic est, quod relatio rationis nõ est à parte rei, v.g. distinctio inter diuina attributa; vel inter prædicata essentialia vnius indiuidui, & alias concipitur ab intellectu, ac si rè vera reperiretur talis distinctio: ergo relatio rationis potius deberet

dici

dici carentia, & sic nō erit genus entis rationis à reliquis distinctum.

Pro solutatione huius argumenti, not. primo, quod de ratione cuiuslibet entis rationis est; non esse à parte rei, & concipi ad modū entis: quæ quidē ratio est taliter omni enti rationis indita, vt potius dixerim, illam esse veluti rationē transcendentalem: quæ non requiritur, vt fundamentum huiusmodi entis, sed potius (vt bene vidit Pater Didacus disp. 3. q. 5.) vt quædā necessaria cōditio.

Not. secundo, quod quādo intellectus conficit ens rationis negatiuum, vel priuatiuū, habet pro fundamento (vt diximus) illud non esse formæ in subiecto. v. g. non esse visus in lapide: non est autem hoc non esse visus, id quod nos diximus, esse quasi trascendentale omni enti rationis. Hoc autē non esse visus apprehenditur ab intellectu ad modū alicuius entis positiui: cum rē vera non sit: vnde nō esse aliquid positiuum, ly non esse visus in lapide, à parte rei, requiritur, vt conditio necessaria, cum hoc nō esse sit de intrinseca ratione entis rationis, vt sic.

Tertio not. quod quando intellectus conficit ens rationis relatiuum, non habet pro fundamēto illam carentiā relationis realis, quæ est v. g. in attributis diuinis, vel in prædicatis essentialibus vnius indiuidui, &c. cum illud nō esse relationis, sit conditio requisita, non fundamentum: sed potius habet pro fundamēto quid positiuū: nempè id idē, quod à nobis nequit vnico conceptu concipi; quare diuersis conceptibus facilius illud apprehendimus: vt, quia essentia diuina, eiusq; attributa nequeunt à nobis perfectè cognosci, & vnico conceptu, cōparamus vnum attributū cū alio, nempè misericordiā, cū iustitia, &c. vel apprehendimus misericordiam, nō apprehendendo iustitiam, & è contra, quarè distinctionem inter illa facimus, sēu potius fingimus, & sic conficitur ens rationis relatiuum, quod nō fundatur super illud non esse relationis à parte rei: sed potius supra illam entitatē positiuam,

tiuã, quæ abſoluta eſt,& vna: cõcipitur tamẽ vt plures,&c.

His poſitis,facile ſatisfit argumẽto: dicimus enim,quod ideò carentiæ dicuntur entia rationis negatiua, vel priuatiua: quia fundãtur ſupra nõ eſſe formæ, ſęù ſupra illam carentiã entitatis,quæ eſt in ſubiecto, vnde ſubiectum ipſum denominatur, vel priuatum, ſi ſit aptum natum habere illã entitatem;vel negatum, ſi nõ ſit aptum, natum illã habere: nõ autem,quia fundentur ſupra illud aliud non eſſe,quod diximus eſſe de ratione omnis entis rationis, in ſecundo not. nempè, quod hoc idem nõ eſſe formæ, nil poſitiuum ſit in tali ſubiecto, & tamen fingitur ab intellectu, ac ſi aliquid poſitiuum, illi ſubiecto inhærẽs, eſſet: at verò relatio rationis non habet pro fundamento illud non eſſe relationis realis à parte rei, quod nõ nõ eſſe requiritur, vt neceſſaria cõditio: ſed potius habet pro fundamento (vt diximus in tertio not.) entitatem poſitiuam illam, quã, vt diſtinctè cognoſcamus, eo modo,quo poſſumus, nõ vt vnam, & abſolutã concipimus:ſed vt plures; & ſic non eſt eadem ratio, &c.

Iterum obijcies. Priuationes, & negationes dicunt ordinem ad ſubiectum, in quo ſunt; ad formã, cuius ſunt carentiæ, & tandẽ ad intellectũ ipſum,cuius ſunt actualia obiecta: cur ergo potius non dicuntur relationes? Reſpõdeo; verum eſſe, carentias rationis referri, & ad ſubiecta, & ad formam, ſęù habitum, cuius ſunt carẽtiæ, & inſuper ad intellectum,ipſas cognoſcentẽ: cæterũ non ideo erunt dicendæ relationes rationis: ſiquidem,cum carẽtia ſit quodam accidens, & de ratione cuiuſlibet accidentis ſit reſpicere ſubiectum, per quẽ reſpectũ non efficiuntur ipſa accidentia, relatiua, alias vnicũ eſſet tantum prædicamentum omnium accidentium,quod eſſe falſum apparet; hinc fit,& carẽtiam ipſam dicere eundem ordinem ad ſuum ſubiectum, qui ordo non eſt aliqua relatio mutua, & ſecundum eſſe: ſed tãtum ſecundũ dici, quæ cõuenit etiam ſubſtãtiæ: nam ſubſtantia, etiam in quantum

N creata

creata dicit ordinē ad Deū: sed ordo iste secundum dici est, & trascendentalis: nō autē formalis, & secūdū esse. Idem dico de ordine, quem carentiæ istæ dicūt ad intellectum, esse nimirū, veluti trascēdentalem, cum sit de intrinseca ratione cuiuslibet entis rationis, in quantū ens rationis est: præter hoc autem, quælibet entis rationis species habere debet suam peculiarem rationem, per quam constituatur in esse talis speciei. Et tādem idem dicēdum est de ordine, quē dicunt huiusmodi carentiæ ad formas, quarū sunt carentiæ, esse videlicet relationem secundum dici, nō autē secundum esse: cum enim carentia nō sit aliquod ens, sed potius non esse entis, nequit cognosci, nisi per ordinem ad formam, sęù habitū, quo priuat, vel negat: & sic verū est dicere, priuatio alicuius formæ priuatio est: non tamen mutuus est hic ordo: nō enim valet, forma, alicuius priuationis est forma: cū nulla forma à priuatione dependeat in cognosci. Hæc communiter asserūt Doctores de entis rationis diuisione.

Cæterum hæc secūda diuisio nō mihi videtur sufficiēs. Neque immoror in eo, quod cum priuatio, & negatio sub genere carentiæ contineantur, debuissent diuidere ens rationis in relationem, & carentiam, & postea carentiam subdiuidere, in carentiam formæ in subiecto apto nato, qualis est priuatio, & in carentiam formæ in subiecto non apto nato, qualis est negatio: essetq; satis sufficiens diuisio: sicuti nō bene diuideretur viuens in hominem, plātam, & Brutum: nam diuisio debet fieri per differentias diuisiuas immediatas: & sic optimè diuiditur viuens, in sensiens, & nō sensiens: postea ly sensiens subdiuiditur in rationale, & irrationale. Nam non sistit in hoc maior difficultas.

Quarè huius diuisionis insufficientiam inde sumēdam esse arbitror, quod dantur aliqua entia rationis, quæ nec relationes sunt, nec priuationes, nec negationes: quando enim Chymerā, siuè mōtem aureum, & alia similia monstra rationis cōcipimus: neq;

caren-

carentiã alicuius formæ, neq; relationem aliquam concipimus: ergo diuersum genus est entis rationis à reliquis: probo accidens, & primo quod Chymera, & reliqua huiusmodi non sint carentiæ: quia carentia fundatur supra non esse formæ in aliquo subiecto: quare si sit priuatio, diffinitur per ordinẽ ad subiectũ aptum natũ: si sit negatio diffinitur per ordinẽ ad subiectum ineptũ: Chymera autẽ, & alia huiusmodi nõ finguntur per ordinem ad subiectũ, sed vt entia per se: ergo non possunt esse carentiæ.

Nec valet Respondere, huiuscemodi impossibilia esse entia rationis ratiocinãtis, & sic sine aliquo fundamẽto: id enim falsum est: verè namq; possumus his entibus rationis impossibilium assignare aliq fundamentum, illudq; erunt illæ duæ, vel plures substãtiæ, ex quibus fingimus cõpositũ illud monstrum, vel impossibile: sit exemplũ; quando fingimus montem aureum, concipimus montem quendam, & insuper aurum, nõ vt separatas substantias, vt rè vera separatæ sunt: sed vt vnitas, & sicut diximus de relatione rationis, quod habet pro fundamẽto illam entitatem, quæ à parte rei vna est, & absoluta; tamen, vt distinctius eam intellectus cognoscat, nõ vnico: sed pluribus conceptibus apprehendit: itaquè concipit vnam substantiam, vt plures: ità à simili: quia intellectus aliquando concipit plures substantias, nõ vt plures, vt rè vera sunt: sed vt vnã, vt quando cõcipit montem aureum; vel animal cum capite equino, pectore bouino, cauda serpẽtina, pedibusq; humanis, &c. hæc fictio procul dubio habet pro fundamento plures illas substãtias: ergo hæc monstra rationis, entia sunt rationis ratiocinatæ, non ratiocinantis, vt fatetur P. Didacus, disp. 3. q. 5. ad primum.

Probatur modo, quod huiusmodi entia nõ pertineant ad Relationem rationis: quia relatio rationis est respectus inter aliqua duo, vel plura, quæ à parte rei minimè referuntur: sed sunt omninò vnũ: vt est relatio attributorũ diuinorum, quæ à parte rei non

distinguũtur: tamen cõcipiuntur, vt distincta: sed quando Chymera, vel aliquid aliud huiusmodi fingimus, potius apprehẽdimus multa per modum vnius (vt patet) ergo nõ potest pertinere ad relationẽ rationis.

Item insurgo cõtra eandẽ diuisionem. Denominatio rationis extrinseca nõ pertinet ad relationem, neq; ad carentiam: ergo constituit aliud diuersum genus.

Sed vt intelligatur vis huius argumenti, oportet, quid sit denominatio extrinseca, & an sit ens rationis, breuiter, & facilè explanare: licet eius tractatio videatur difficillima: cum ipsius obscuritas potius ortũ habuerit ex tot obscurissimis modis, quibus solent Doctores illã explicare.

Notandũ ergo est; duplicẽ esse denominationẽ, alteram intrinsecam, quæ prouenit à forma intrinseca inhærẽte, vt denominatio albi, calidi, &c. manus dicitur calida à calore inhærẽte ipsi: vocatur autẽ forma intrinseca omnis illa forma, quæ subiecto inhæret: non quia sit de intrinseca ratione subiecti: sed q̃a est coniuncta, & vnita ipsi subiecto, vel quia educitur de potentialitatib⁹ ipsius subiecti, quæ ipsi sũt intrinsecæ (vt alibi dicetur.) Denominatio verò extrinseca est illa, per quam res dicitur talis à forma nõ inhærente illi, sed alteri, ad quod res denominata dicit aliquẽ respectum: hæc autem denominatio est illa, qua obiectũ denominatur à sua potentia, vt paries dicitur visus à potẽtia visiua; aliqua res dicitur cognita ab intellectu, &c. & dicuntur hę denominationes extrinsecæ, eo quod paries dicitur visus à visione, quæ non subiectatur in ipso pariete, sed in oculo vidente, &c.

Hoc adnotato, iterum aduertite, quod in aliqua rè denominanda, quatuor sunt necessaria: primum est, potentia denominans, vt intellectus, potentia visiua, &c. secundũ est, obiectum denominatum, vt paries, qui dicitur visus, natura humana, quæ dicitur cognita, &c. tertiũ est, forma per quam obiectũ denominatur tale; quæ potest esse realis, & rationis: realis, vt à visione

paries

paries dicitur visus: visio, q.d reale est; ab intellectione res aliqua dicitur intellecta, intellectio, quid reale est: rationis, vt est secunda intentio obiectiua, per quam natura humana v. g. denominatur vniuersa formaliter, species, subiectum, vel prædicatũ, &c. nam vniuersalitas, specieitas, prædicabilitas, &c. denominationes rationis sunt: quartum est ipsa denominatio in cõcreto visi v. g. cogniti, speciei, generis, &c.

Tota ergo difficultas non cõsistit in denominatione rationis, qualis est denominatio generis, speciei, &c. quia certum est, hãc esse ens rationis; sed in denominatione, quæ prouenit à forma reali, qualis est denominatio visi in pariete, & cogniti in obiecto, &c.

Hæc autem denominatio visi v. g. cogniti, &c. potest dupliciter considerari: primo secundum veritatem grãmaticalẽ. v. g. video Petrum; Petrus verè dicitur visus, secundum veritatem passiuã grammaticalem, correspondẽtem veritati actiuę (vt optimè docet P. Didacus disp. 3 q. 2.) vt si dicamus, Franciscus vidit Petrum: verum etiã erit dicere, Petrus visus fuit à Francisco: & hęc denominatio proculdubio realis est: secundo potest considerari secundum veritatẽ Logicalẽ: itaut, hoc, q̃ est, esse visum, sit aliqua entitas realis inhærens Petro à parte rei, & hoc falsum est, & fictum ab intellectu.

Vel breuius, & facilius: esse visum, stat dupliciter: primo, itaut solum significet à parte rei visionem esse ad parietẽ, tanquam ad terminũ, & obiectum, quod verum est realiter: secundo, itaut significet à parte rei, visionẽ esse in pariete, tanquam in subiecto, q̃ falsum est: quando ergo, visio iã à parte rei ab oculo pariete, accedit intellectus, & concipit, nõ solum visionem esse ad parietem, sicuti verum est à parte rei; sed etiam, hanc visionem esse aliquam entitatẽ parieti inhęrentẽ, quo modo non est à parte rei; tunc dicitur fingere ens rationis denominationis extrinsecæ, quæ explicatio minimè inficiari potest.

Sed dices contra id, quod diximus, à parte rei parietem verè, & realiter dici visum: si denominatio illa extrinseca esset realis, aliquid reale esset in ipso denominato, sed in pariete nil reale additur, per talem denominationē, quod non erat ante illam denominationem: ergo talis denominatio, etiam quatenus à parte rei est, non est realis, sed rationis. Resp. aliud esse denominare terminum, aliud denominare subiectum: denominatio termini non ponit aliquid reale in termino, sicuti ponit denominatio subiecti; sit exemplum vtriusq;: Deus denominatur Creator, tāquā terminus relationis creaturarum, & tāquam principium, à quo creatio procedit: hæc tamen denominatio nil reale ponit in Deo, distinctū à sua met essentia, & substantia: & tamen hæc denominatio cōuenit Deo ante omnem operationē intellectus, & à parte rei. Itē, Paries denominatur albus ab albedine, quæ inest illi, tāquam subiecto illius: & hæc denominatio iam addit parieti entitatem realem, distinctā ab ipsa substātia parietis. Ad propositū ergo dico, denominationē visi in pariete esse denominationē termini, seù obiecti, non subiecti.

His positis, argumentū est. Denominatio hęc extrinseca rationis est, & tamen nō reducitur ad aliquam speciē entis rationis ex enumeratis: ergo aliud membrū diuisionis constituit diuersum à reliquis: secūda pars antecedētis probatur, & primo nō reduci ad relationē: patet ex his, quæ supra de relatione diximus: relatio nāq; est respectus vnius ad alterū, quem res tātum habēt ab intellectu: vnde quando intellectus nequit vnico cōceptu rem vnā concipere, illā pluribus conceptibus apprehēdit, &c. sed in denominatione nullus omninò respectus apprehēditur: tunc enim efficimus denominationē rationis, quādo actum alicuius potentiæ denominantis in aliquo concipimus, tanquam in subiecto esse, ad quod tendit talis actus, tāquam ad terminum, vel obiectū. v.g. oculus videt parietem, visio tēdit ad parietem, tanquā ad obiectū

eius;

eius; nō autem est in ipso pariete, tanquam in aliquo subiecto, cum subiectū visionis sit ipsa potentia visiua: quod aliqui solent explicare, p esse in, & esse ad; dicuntq; visionē esse ad parietem, non verò in pariete: hoc totū est quid reale, & à parte rei (vt diximus:) quando verò intellectus concipit visionē hanc esse in ipso pariete, tanquam in suo subiecto, tunc efficit denominationē rationis: esse, autem, in, non dicit relationem, sed inhærentiā: ergo denominatio non poterit reduci ad relationem rationis.

Dices, ptinere ad negationem: quia est carentia formæ in subiecto inepto: cum cōcipiatur visio in pariete, in quo esse nequit.

Sed contra: quia diximus supra, ꝙ quando intellectus cōficit ens rationis negatiuū, vel priuatiuū; habet pro fundamento illud nō esse formæ in subiecto, v.g. non esse visus in lapide, vel in homine cæco: at quando conficit denominationē rationis, habet pro fundamēto quid positiuum: nempè, parietem visum, v.g. & licet cōcipiat, formam esse in subiecto, qua rè vera subiectum illud caret, hæc carentia, seù hoc nō esse, est conditio omni enti rationi requisita: nam etiā quando conficit relationem rationis, concipit respectū inter aliqua duo, vel plura, quę minimè referūtur: ergo nō poterit esse negatio rationis, & ex cōsequēti, neq; Priuatio: ergo diuersū genus constituit à reliquis.

Quare ens rationis diuidēdum sufficienter existimo, in ens rationis Positiuorum, & in ens rationis carentiæ. Positiuorum verò ens subdiuiditur in substātiam, & accidens rationis: in substantiam rationis, vt quando Chymerā concipimus, mōstrua, Deum corporeum, Angelos corporeos, & similia. Accidens deindè subdiuiditur in respectiuum, & absolutum, iuxta ea, quæ similiter dicemus in prædicamentis de diuisione entis realis: non.n. acquiescimus diuisioni Aristotelis (vt ibi.) Respectiuum accidens rationis constituit Relationem, quam nō negant Aduersarij: immò D.Th.p.p.q.28.art.1.in corp. docuit,

docuit, ſolum in his, quæ dicũtur ad aliquid, inueniri aliqua ſecundum rationem tantum: non verò in alijs generibus, cuius rationem infra adducã: abſolutũ verò, adhuc ſubdiuidendũ eſt in reliquas octo accidentiũ ſpecies enumeratas ab Ariſto. nempè, in Quãtitatem rationis; cum.n. corpus concipio, neceſſario illud Quantum apprehendo, ſecundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Item, in Qualitaté, vt quãdo concipio Deum albũ, & monſtrua diuerſorũ colorum, &c. & ſic etiã diſcurre ꝑ reliquas ſpecies: vbi namq; datur Subſtantia, omnia accidentia debent illi aſſignari; nam cum cõcipimus illam operantem, ſtatim reſultat actio rationis: cum illam patientem cõcipimus, reſultat paſſio rationis, ad quod genus poſſumus reducere Denominationé extrinſecam; eſſe etenim viſum in pariete, paſſio eſt: cum concipimus illam in aliquo loco, reſultat vbi: cum in tempore, Quando: cum ſedenté, Situs; & tandẽ, cum Deum amictũ lumine, tanquam veſtiméto; vel aliud ſimile apprehendimus, Habitus reſultat: ergo ſufficienter ſubdiuiditur ens rationis poſitiuorum in prædicta.

Sed quæſo perpendamus D. Tho. rationem, qua probat ex prædicamẽtis, ſolum, relationẽ poſſe eſſe rationis: aſſerit ipſe: Quia alia genera (& loquitur de reliquis prædicamentis accidentis,) vt Quantitas, & Qualitas, &c. ſecundũ propriã rationẽ adhuc communem ſignificãt aliquid alicui inhærens: ea verò, quæ dicuntur ad aliquid, ſolũ dicũt ſecundum propriam rationẽ reſpectũ ad aliud, qui reſpectus, & in ipſis rebus aliquãdo, aliquando etiã ſolum per apprehenſionem eſſe poteſt.

Huius rationis vis in hoc videtur ſiſtere, quod intellectus non tantum intelligit, & cognoſcit vnum alteri referri, ſed habet etiã vim referẽdi vnum alteri, & ſic relatio poteſt, & in ipſis rebus reperiri ante opus intellectus referentis, & etiam in ſola apprehenſione ipſius intellectus, ſine eo, quod reperiatur à parte rei; ſiquidẽ bene poteſt intel-

lectus

lectus referre vnū alteri, quæ minimè referuntur ad inuicē in rè ipsa: at verò, licet possit intelligere, accidens inhęrere alicui subiecto, & quantitatē extendere substantiā, &c. nō tamen habet vim extendēdi, aut inhærēdi actiuè; idest nō potest facere, ꝙ aliqua qualitas, quæ nō inhęret alicui subiecto in rè ipsa, inhæreat: & quod aliqua quantitas, quæ in rè ipsa substantiam nō extendit, ipsam extendat: ità videtur rationē illam explicare Pater Didacus q. 5. disp. 3.

Quæ ratio, si sic intelligatur, nullā prorsus vim habet contra meam sentētiam, cum videatur niti vocabulis tantum: sicut.n. intellectus vim habet cōcipiendi respectum, & relationē inter aliqua, quæ nō referuntur: ità etiam vim habet apprehendendi in aliquo subiecto accidens quodam, quod in tali subiecto à parte rei nequaquàm reperitur, & sic quid prohibet ad hoc, vt possit intellectus concipere Angelos ammictos, eo modo, quo à pictoribus solēt lineari in tabellis, pulcherrimos aspectu, debita membrorum proportione, astātes reuererētur ante Deum in Cælo, quem etiam corporeū apprehēdimus; &c. cumque id valeat potentia intellectiua, cur non dabimus entia rationis reliquorum prædicamentorum?

Quando autem dicitur, ꝙ intellectus non potest facere, ꝙ aliqua qualitas, quæ non inhæret in rè, inhæreat, &c. Respon. verùm esse, nō posse intellectū facere virtute sua, quod accidens, quod nō inhæret, inhæreat: tamen aliud est facere, ꝙ aliquid, ità sit; aliud verò cōcipere id, quod nō ità est, ac si ità esset: primū non potest intellectus: secundum potest, & sic non facit, quod qualitas inhæreat, quæ non inhæret: sed apprehendit illam inhærentē, seu ac si inhæreret, cū non inhæreat.

Aliud genus entis rationis est carentia, quæ sufficienter diuiditur in carētiam formæ in subiecto apto nato, vt est priuatio: & in carentiam formæ in subiecto inepto, vt est negatio: de quibus disserui mus supra: nec aliquid aliud censeo dicendum circa hanc

quæstionem: immò, & de tota hac disputatione, hæc dicta sufficiant pro intelligentia eorũ, quæ infra tradẽda sunt.

Vt autem ea, quæ diximus in hac sectione circa diuisionẽ entis rationis clariora fiant, ponitur sequens Figura.

# CATHEGORIA
## ENTIS RATIONIS.

| | |
|---|---|
| Ens rationis immediatè diuiditur in | Ens rationis Positiuorũ, & Carentię. |
| Ens rationis positiuorum diuiditur in | Substãtiam, & Accidens rationis. |
| Ens rationis carentiæ diuiditur in carentiam in subiecto apto nato, & constituit: | Priuationem. |
| Et in carentiam in subiecto inepto, & constituit. | Negationem. |
| Accidens rationis diuiditur in | Absolutum, & Respectiuum. |
| Respectiuum constituit. | Relationem rationis. |
| Accidens rationis absolutum diuiditur in | Quantitatem, Qualitatem, Actionem, Passionem, Vbi, Quando, Situm, & Habitum rationis. |

Sub-

Substantia rationis; vt cum concipio. ( Chymeras, Monstrua, Deum corporeum, Angelos corporeos, &c.

Priuatio rationis; vt ( Cæcitas in Animali.

Negatio rationis; vt ( Carentia visus in lapide.

Relatio rationis est ordo ille, quem concipimus. ( Inter subiectũ, & prædicatũ: ad quam spe ciẽ reducitur omnis prædicatio, tam superioris de inferiori; quo pacto prædican tur quinq; prdięcabi lia, vt genus, species, &c. quã æqualis de æquali, siuè identica, vt Homo est risibilis, rationalis, &c. Franciscus est Franciscus, &c.

Quantitas rationis, vt cum concipio. ( Deum, vel Angelum magnum quantitate molis.

Qualitas rationis, vt cum concipio. ( Deum albũ, pulcherrimum aspectu, &c.

O 2 Actio

Actio rationis, vt cum concipio. ( Deũ, vel Angelos aliquid operari corporaliter, &c.

Passio rationis, vt cum concipio. ( Dęmones, animasque dánatas pati passione phisica, seù corporea; &c. & adhãc speciem pertinet denominatio extrinseca, vt esse visum in pariete, &c.

Vbi, vt cum concipio. ( Deum alicubi, táquã in loco corporeo, & circumscriptiuo; sic etiam Chymeras in aliquo loco ficto, & immaginario.

Quando, vt cum concipio. ( Deum in aliquo temporis spatio aliquid operari.

Situs, vt cum concipio. ( Deum stãtem, sedentem; sic etiam Chymeram cum tali partium corporis dispositione in ordine ad locum, &c.

Habitus tandem, vt cũ concipio. ( Deum amictum lumine, táquã vestiméto, vel aliud simile, &c.

INCI-

# INCIPIT PROOEMIVM QVINQ; VOCVM VNIVERSALIVM PORPHYRII PHAENICEI.



ON erit inutile, quisnam hic author fuerit, breuiter scire, cum nomen, vitaq; authoris, & si scientiæ non deseruiant, curiositati iuuenum soleant aliquãdo satisfacere: fuit ergo Porphyrius impius Christianæ professionis desertor; cui primò fideliter adhærere videbatur: idq; dęmonica illusione, ex quo Magicæ arti operã nauare cępit: quarè contra Catholicam doctrinam perfide quindecim volumina scripsit, quæ acutissimè impugnata à sacris Ecclesiæ Sanctæ Doctoribus, meritò ab ipsa Sancta Ecclesia spititu Dei illustrata, igne digna adiudicata fuere: hoc paruo excepto tractatu, qui, quia vtilis ad Aristotelis Cathegorias censetur, nihilq; continet peruersæ falsitatis, pmittitur. Insignis, vtiq; ipse fuit philosophus (vt inquit August. lib. 19. de ciuit. Dei cap. 22.) vt fuit Christianæ Religionis perfidus inimicus: & licet aliqui ipsum Regẽ appellent: hoc est; non quia Rex fuerit: sed, quia syriaca lingua vocabatur Malchus, quo nomine, Gręco Idiomate significatur Rex: fuit tamẽ Nobilis Phenix; immò (vt testatur Pater Didacus) ob generis splendorem nobi-

nobilitatéq;, purpurea incedebat indutus veste: & quia (Purpura) dicitur in Græco, Porphira, ideò Porphyrius nuncupatus est: eius patria fuit Tyrus in Phænicia, quarè Phæniceus dicitur, eius Magister fuit Plotinus insignis Platonis sectator: floruit tempore Aureliani, & Deocletiani circa annos Domini 280. edidit ergo ipse in gratiam cuiusdam nobilis Iuuenis Romani eius discipuli, nomine, Crysaorij, paruum hunc quinque vocum vniuersalium tractatum, quem inscripsit Isagogen, quod idem sonat, ac introductio: est .n. facilis via ad perdifficilẽ de decem Aristotelis generibus doctrinam.

Potest autem dupliciter, hæc tractatio considerari, vel secundum se, quatenus scilicet docet naturam vocum prædicabiliũ essentialium, & accidentalium, & vt sic necessaria est simpliciter ad cognitionem prædicamentorum: quia in prædicamentis fit mentio eorum: immò prædicamentum nil aliud est, quam prædicabilium ordinatio: ergo si horum naturam ignoretur, etiam quid sit prædicamentum ignorabitur. At verò si consideretur tractatio de quinq; prædicabilibus, quatenus à Porphyrio facillimo stilo ordinata est, & disposita, vt discipulo suo Crysaorio, quem summopere diligebat facilem daret additũ ad Aristotelis Cathegorias, vt sic est tantum vtilis, & necessaria secundũ quid: quia facilius progreditur ad altam prædicamentorũ doctrinam.

Proponit ergo Porphyr. (oratorũ vestigia sectãs) disci

discipulo suo operis vtilitatem, vt eum redat attentum, incipiens. (Cum sit necessariũ) nominat eum proprio nomine (Crysaori) ipsum, vt reddat beneuolum: tandem breuitati pollicetur consulere, perhipateticumq; ordinem sectari, ac nonnulla de vniuersaliũ natura ommittere difficilia, vt illum docilem faciat: sed antequam nos singularũ vocum vniuersaliũ explicare difficultates incipiamus, ne cæci protinus in perdifficili materia de vniuersalib' procedamus, de eis disputationem, doctissimorum recentiorum sectantes methodũ, quæso instituamus, in qua facilitatem solitam polliceor, solitæq; haud breuitatis obliuiscens, perfectam de re difficili notitiam comparabimus.

## DISPVTATIO TERTIA.

### DE VNIVERSALIBVS.

*Præfatiuncula.*

PRO intelligentia eorum, quæ in tota hac disputatione dicenda sunt. Not. quod nos nõ loquimur hic de vniuersali complexo, seù composito, quale est quælibet vniuersalis propositio, vt, Omnis homo currit: Nullus homo rugit: sed tãtum de vniuersali incomplexo, seù simplici, quod est aliquod vnum ad plura ordinem habens: cũq; multiplex esse possit hic ordo ad plura, multiplex etiã est vniuersum: aliud enim dicitur

vniuer-

vniuersale in causando, vt est omnis causa, quæ plures causat effectus, & sic Deus, Cęlũ, Sol, &c. dicuntur vniuersalia in causando: quia sunt causæ vniuersales: aliud dicitur vniuersale in represẽtãdo, vt est omnis species intelligibilis, quæ plura representat: quarè species hominis, leonis, &c. possunt sic dici, eo quod representant omnia indiuidua cõtenta sub tali natura hominis, vel leonis, quo pacto etiã dicitur immago, siue exemplar, quod est in mente artificis, cũ plura representet: aliud est vniuersale in significando, & est aliquod nomen plura significans, hoc autem, siue vniuocè, siuè analogicè, siuè æquiuocè sit, parũ refert, vt hæc vox, Homo, quæ Petrũ, Franciscũ, Paulũ, &c. habet significare: & hæc vox Canis, quæ significat canem terrestrem, cælestẽ, & marinum. Vltimum est vniuersale in prædicãdo, & est id, quod dicit ordinẽ ad plura inferiora, de quibus prædicatur, vt animal, dicit ordinem ad omnes species sub ipso cõtentas, nempè ad hominẽ, canẽ, leonẽ, &c. & prædicatur de illis: nam dicimus, homo est animal: canis est animal, &c. præsens ergo disputatio tantum procedit de hoc ultimo uniuersali, nempè in prædicando: hoc enim propriè dicitur uniuersale logicum, siue uniuersale formale, quod est quid superius ad quinque uoces prædicabiles Porphyrij, vt in discursu præsentis disputationis videbimus.

SEC-

## SECTIO PRIMA.

### *An sit: & Quid sit vniuersale Logicum?*

PRO tituli intelligentia not. quod (vt ex superiori disput. colligi potest) intellectus noster habet vim concipiendi, vt plura, id, quod in re ipsa vnũ est realiter. v.g. omnia attributa essentialia Petri, nimirum, rationalitas, sensibilitas, vitalitas, corporeitas, & substantialitas, à parte rei sunt vnus Petrus realiter, & adinuicé separari nequaquam possunt: nihilominus tamen intellectus potest cócipere, immò de facto concipit sensibilitatem, non concipiendo rationalitaté: & substantialitatem, non concipiendo vitalitatem; & tandem diuerso conceptu apprehendit substãtialitaté, ac corporeitatem, &c. Immò, adde, vim habet præscindendi taliter attributa Francisci, vt illa etiá cognoscat cóuenire Petro, Carolo, & reliquis omnibus, tùm indiuiduis eiusdé speciei: tùm etiam speciebus sub eodé genere cótentis (vt infra latius:) quando ergo cócipit intellectus vnum attributum pluribus conuenire, vt Animalitatem conuenire hominibus, & brutis, tunc dicetur Animal esse vniuersale.

Sed not. secundo, quod in dicto casu tria possumus considerare, vel attributũ ipsum, quod intellectus cócipit pluribus inferioribus commune, vt Animal; vel ipsam vniuersalitatem, quam habet; quæ, cum non conueniat illi attributo à parte rei formaliter (vt infra dicam:) siquidé non distinguitur, ly animal, ab illo in diuiduo, in quo est: & sic potius singulare quodam est, & vnum, sicuti ipsum indiuiduũ vnum est, & vnam tãtum rem significat; illam profectò habet ab intellectu, quarè est ens rationis: vel tandé ipsum attributũ à tali vniuersalitate denominatum formaliter vniuersale, quatenus actu concipitur illis pluribus inferioribus commune: in præsenti quæstio-

ne nō est sermo, an detur aliqua natura, quæ possit multis conuenire à parte rei (de quo infra) neq; an intellectus possit vniuersalitatem alicui tribuere, illudq; denominare vniuersale: sed tantùm, an hæc vniuersalitas possit reb⁹ ipsis conuenire aliquo modo.

Pro quo nota tertio, quod quando aliquid intelligimus, quod verè existit à parte rei, tria possumus cōsiderare, vel ipsā intellectionē, quæ actio est intellectus, & dicitur conceptus, siuè notio formalis (vt disp. præced. dictum est:) vel conceptū ad, quem talis intellectio tendit, qui nihil aliud est, quàm species, siuè ratio, siuè imago rei, à parte rei existentis, obiecta, & cognita ab ipso intellectu, quæ dicitur species impressa (vt alibi dicetur:) vel tandem rem ipsam per talem conceptum repræsentatā, quæ in re ipsa existit: ex his tribus, tertium, est intellectionem, siuè conceptū formalem, secundum se, & secundum suam entitatem, singularem esse; siquidem vna actio est vnius potentiæ intellectiuæ [illegible] obiecti cognīti, siuè cōceptus obiectiui poterit aliquando etiam dici vniuersalis, vt quādo species ipsa impressa vniuersalis est. Hæc autem species impressa, siuè cōceptus obiectiuus potest esse, & singularis, & vniuersalis: singularis, quādo est species repræsentatiua alicuius naturæ, nō iam denudatæ à cōditionibus indiuiduantibus (sentio namq; singularia posse vtiq; per propriam speciem ab intellectu cognosci, immò esse, cognitione actuali confusa, primo cognita ab ipso intellectu, vt dicā, Dante Deo 1. phys. & ex infra dicendis in sequētibus sectionibus colligi manifestè poterit:) vniuersalis erit species illa, quando naturæ alicuius abstractæ à conditionibus indiuiduantibus erit repræsentatiua: exēplum, quādo intellectus concipit humanitatem Francisci, v.g. contractam per differentiam indiuidualē ipsius Francisci: cōceptus ille singularis est: ast quādo concipit eandē naturam absoluté, sine huiusmodi cōtractione, conceptus ille vniuersalis est (siuè sit vniuersalis materialiter, siuè for-

meliter, pro nunc parũ refert: dicam enim infrà.) Tandem certum etiam est, rem ipsam à tali conceptu repræsentatam, quatenus est à parte rei, indiuiduã, & singularẽ esse: nam quicquid est à parte rei est singulare, & indiuiduũ (vt infra dicam.) Quæstio ergo nostra est: an esse vniuersale possit aliquo modo rebus ipsis conuenire: vel solum ipsis conceptibus obiectiuis? Secundum verò, quod quærimus in titulo est: quomodo essentialiter hoc vniuersale diffiniatur.

Vltimo notanda etiam est diuisio illa vocis in cõmunẽ, & particularem, (& loquor de voce secundum placitum, nõ naturali, idest de termino vocali ad placitum) vox communis, siuè terminus vocalis communis ille est, quo plura significantur, vt vox homo, qua voce significatur omnia indiuidua, & singularia sub homine contenta: vox verò particularis, siuè terminus vocalis particularis ille est, quo vnum tãtum singulare exprimitur, vt Franciscus, vt diximus in nostra Parua Logica.

His adnotatis, refert Arist. 4. met. tex. 22. fuisse quorundam antiquorum opinionẽ, & præsertim Heracliti, & Cratilli asserentium, nullo modo res ipsas dici posse vniuersales: sed tantum voces, & conceptus vniuersales esse, quibus plura indiuidua, & singularia significantur: quam sententiã sequuti sunt postea Nominales, vt OKam in sua log. cap. 14. & in 1. dist. 2. q. 7. & 8. Gab. ibid. & alij.

Hæc sententia hisce potest corroborari fundamẽtis: primo inter rem ipsam, & conceptum mentis nil mediat, vel si aliquid, ipsa vox, qua conceptus mentis manifestãtur, ipsorumq; sequitur naturã, sed extra intellectũ ipsum, quicquid est, singulare est: ergo si vniuersale datur, illud est tantum in cõceptu mentis, & ex cõsequẽti in voce, qua tales cõceptus exprimitur. mi. probatur, quam quicquid est à parte rei, vel habet esse per generationem, & desinit per corruptionẽ: vel habet esse p. creationem, & desinit per annihilationẽ: sed huiusmodi actiones terminantur ad res singulares, q. ad vniuersale nulla

est potẽtiã, quoad generationem, & corruptionem: ergo quicquid est extra intellectũ singulare est,

Secũdo: vniuersale illud est, ꝙ de pluribus prędicatur: sed nil reperitur à parte rei, quod pluribus valeat inferioribus conuenire: ergo non datur in rebus ipsis vniuersale. mi. probatur, quia si aliquid daretur, quod pluribus posset conuenire à parte rei, posset etiã pluribus cõmunicari: sed nil datur extra intellectũ, quod pluribus possit cõmunicari: ergo &c. ma. est certa. mi. ꝓbatur: nam quicquid est à parte rei est incõmunicabile: nam cũ omne id, quod est extra intellectum habeat proprium modum peculiarem existendi, & ex cõsequenti propriam subsistẽtiam (vt alibi dicetur) nõ poterit alteri communicari: hoc .n. subsistẽtia dicit, nẽpè, incõmunicabilitatẽ: præterquãquod (vt in superiori argumẽto probatum est,) quicquid est à parte rei vnum est, & singulare: vnum autẽ diffinitur, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio: ergo si à quolibet alio indiuisum est, nõ poterit alteri communicari: & ex consequenti, neque alteri conuenire: vnde sequitur, nil posse à parte rei esse vniuersale.

Et confirmatur, nam quicquid in rè ipsa est, & extra intellectum, percipitur à sensu, vt patet: sed obiectum sensus non est vniuersale, sed singulare: ergo vniuersale nõ reperitur in rè.

Tertio: si res aliqua vniuersalis esset: posset in prædicãdo: sequeretur, omnia indiuidua vnius speciei esse in rè vnum, & idem realiter, & omnes species sub vno genere contentas, vnam esse speciem realiter, ꝗ sic probo: si res significata per hoc nomen, Homo, prædicaretur de suis indiuiduis inferioribus: veræ essent hæ prædicationes: res significata per hoc nomen, Petrus, est res significata per hoc nomen, Homo, & res significata per hoc nomẽ, Paulus, est pariter res significata ꝑ hoc nomen, Homo: ergo res significata per hoc nomen, Petrus, est res significata per hoc nomen, Paulus; quia, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem

inter

inter se: sequela patet: quia si prædicatum nō est, hæc vox, Homo; sed res per talem vocē significata, sequitur, quod non poterit prædicari de hac voce, Paulus, & de hac voce, Petrus, sed de rebus significatis per illas voces: & idem argumentum facilè fieri potest, de speciebus sub vno genere contentis.

Extat tandem in fauorem huius sentētiæ Nominalium locus ille Aristo. 1. de Anima cap. 1. vbi asserit, vniuersum, aut nihil esse, aut posterius esse; ergo nequit in rebus vniuersum reperiri: sed tantū in cōceptibus, & in vocib⁹, quæ posteriora sunt rebus ipsis.

Cæterū hæc sententia acrè reprehēditur ab Arist. 1. met. cap. 6. ipse nāq; aperte docet, dari in rebus ipsis vniuersalitatem hāc, de qua loquimur: vnde primo de interpetratione cap. 5. asserit; res, alias esse vniuersas, alias particulares: tamen contra illam sic insurgo, & primo probo apertè, vniuersalitatem hanc, de qua loquimur, nempè formalem, & vniuocam, nequaquā vocibus posse cōuenire. Vniuersum formale, & vniuocum illud est, quod de multis dicitur secundū nomen, & secundum rationē: sed vox, pręcisè in quantū vox, nequit sic prædicari: ergo, &c. mi. prob. nam hæc prædicatio: Frāciscus est homo: si sumamus tantū hāc vocem, Franciscus, & hāc vocem, homo, absurdissima erit prædicatio: nam vox, Franciscus, nequaquam est vox, homo; vt patet aperte: ergo nō prędicatur de aliquo, vox, secundum nomen: neq; secundum rationē vocis est illa prędicatio: quia, qui dicit, Franciscus est homo, non intendit dicere, quod sicut ratio huius vocis, homo, in quantum est vox quædam, est esse sonum ex ore animalis prolatū, &c. ità ratio huius vocis, Franciscus, in quātū vox est, pariter est, esse sonum, &c. sed vult, Frācisco, qui est indiuiduum quodā naturæ humanæ, conuenire rationem formalē hominis, quæ est, esse animal rationale: ergo nullo pacto dicendum est, prædicationem esse inter voces: sed potius inter res ipsas.

Secūdo Diffinitio hominis

v.g.

v.g. est, quid vniuersale, cum cõueniat omnibus indiuiduis naturæ humanæ; & tamẽ diffinitioni competit explicare naturam, & essentiã rei: ergo non poterit in sola voce, vel conceptu tantum consistere: vnde optimè diuiditur in diffinitionem rei, & nominis.

Tertiò: vel de rebus existentibus extra intellectum habetur scientia, vel non: nõ possumus dicere, quod nõ; siquidẽ Phisica scientia agit de omni corpore naturali; Metaphisica de omni ente: Medicina agit etiã de corpore sanabili, &c. ergo habetur de ipsis rebus scientia: sed de singularibus non est scientia; vt patet, cum sint corruptibilia, & de corruptibilibus (inquit Phisicus) nõ habetur scientia: ergo sciẽtia est vniuersalium: ergo vniuersalitas conuenit rebus.

Propter hæc argumẽta, quæ Eracliti, & Cratilli temerariã egregiè destruunt sentẽtiam, insurrexit quædã alia opinio non minus illa temeritati propinqua, asserens, nõ posse negari, dari vniuersum in re: quod vniuersum consistit in Idæa quadã, seù in pluribus Idæis, (vniuscuiusq; namq; speciei Idæa vniuersalis constituebatur) natura incorruptibilibus, per se existentibus, realiter à singularibus separatis, independẽtibus à tempore, loco, & motu; ex quarũ participatione indiuidua fieri intelligebantur, de quorũ essentia extabant: tamen corruptis singularibus, non ideò ipsæ deficiebant Ideæ, sicuti per impressionem vnius sigilli in multis ceris efficiuntur multæ siggillationes, quibus corruptis, adhuc siggillum remanet separatum; & ex vno igne multæ accenduntur candelæ, si autẽ hæ extinguantur, nõ ideò extinguitur, seù deficit ignis ille: quam sententiam Arist. 1. met. tex. 5. tribuit, de optimo Magistro suo Malemeritus; Platoni diuo, (cuius mẽtem, eius inuidens immortalitati iam commẽdato nomini, intendens, seù cupiens nubem tãto lumini opponere, vt proprio lumine, non equidẽ inæquali, posteris illucesceret, ipse sæpius extorquebat Arist.) Cum certè in intelligibile sit, tãtum hominẽ rem adeò manifestè falsam docuisse: quarè

Diuus

Diuus Parens August. lib. 83. q.q.46. & 7. de Ciuit. cap. 28. maximus Platonis defensor, & D. Tho. lib. 4. de regimine Principũ cap. 4. & alij Doctores vindicãs à tali errore diuinum illud ingenium, asserentes ipsum loqui, ac si Theologus fuisset, de Idæis diuinis, quæ sunt immagines, & rationes rerum, primaq; exemplaria, per quæ summus ille opifex cõdidit omnia, vt docent cõmuniter Scolast. cũ Mag. in 1. dist. 36. & cũ D. Tho. p. p. q. 15. quod capere proculdubio minimè potuit ipse Arist. Immò Seneca lib. 8. epist. 66. de huiusmodi rerum rationibus in diuina mente existentibus loquens, ait. Deus in se rerum exempla habet, quas Plato Idæas vocat.

Cæterum, cuiuscumque sit hæc sentẽtia, potest aliquibus rationibus cõprobari: primo; à parte rei concedenda sunt (propter rationes allatas) vniuersalia: sed hæc nõ sunt indiuidua, neq; in indiuiduis reperiuntur: ergo ab indiuiduis separata: ma. cũ consequẽtia patent: quia dato vniuersali à parte rei, vel illud est indiuiduo alicui cõiunctum, vel ab indiuiduo separatũ: non reperitur alicui indiuiduo vnitũ: ergo separatũ: mi. prob. nam quicquid est indiuiduo coniunctũ corrumpitur necessario ad corruptionẽ illius; vniuersum autem incorruptibile est, illesumq; remanet etiam quocũq; indiuiduo deficiente: ergo nõ est dicẽdum, illud esse indiuiduo coniunctũ.

Secũdo probatur: res ita se habet ad esse, sicut ad cognosci: sed vniuersum cognoscitur à ratione quacumq; indiuiduali denudatum, & separatum: ergo ita extat, sicut cognoscitur.

Sed hæc sentẽtia, cuiuscũq; sit, est omninò falsa, contra quã sic arguitur: primo, quia si illę Ideæ darentur separatę ab indiuiduis vniuersæ à parte rei, vel essẽt creatæ, vel nõ: hoc secũdũ dici nequit: siquidem esse increatum soli summo Deo rerum omnium visibilium, & inuisibilium conuenit, creatori: si creatæ: ergo singulares: cum creatio, vt supra diximus, ad singulare terminetur.

Secũdo arguitur argumento

to Aristotelis, quod nequeút realiter esse illæ Ideæ à singularibus separatæ: vel Idęa hominis, v. g. essentialiter prædicatur de Petro, Fräcisco, &c. vel non: hoc secundum dici non potest, cum asserat hæc opinio, Idęam esse de essentia singulariũ: ergo essentialiter prædicatur de illis: ergo realiter debet in illis reperiri, & nõ separata ab illis: patet consequentia: nã quicquid essentialiter, realiter de aliquo prędicatur, essentialiter realiter in illo esse debet: cũ id, quod est de essentia alicuius, neque per diuinam potẽtiam possit ab illo separari: ergo si Idæa est de essentia singularium, & essentialiter prædicatur de illis, nõ potest ab illis seiuncta realiter intelligi.

Tertio: si daretur hæc Idæa à singularib⁹ separata, vel haberet suam peculiarem subsistentiam, vel non: hoc secundum dici nõ potest; cum censeam, nõ posse aliquid à parte rei existere sine propria subsistentia (vt 1. Phil. Deo dante dicã:) ergo haberet subsistentiam peculiarẽ propriã: ergo non posset indiuiduis cõmunicari: patet hæc consequentia: quia (vt diximus) subsistentia dicit incommunicabilitatem.

Quarę, his nõ obstantibus, dicendum est verè dari in rè naturas reales vniuersas, non formaliter: sed tantum fundamẽtaliter, & initiatiuè (vt alij dicunt,) & in potentia, quæ quidem nequaquam à singularibus separatę reperiũtur, sed in ipsis met singularibus sunt. Quæ omnia clarius patebunt ex infra dicẽdis: tamen, hic breuiter explicantur. Dicimus ergo, quod licet verũ sit, ꝙ à parte rei, quicquid reperitur, vnum est, & incõmunicabile alteri (vt Eraclitus, & Cratillus fatebantur:) tamen in vno indiuiduo reperiũtur multæ realitates. v. g. in Francisco, reperitur realis substantia, reale corpus, realis vita, realis sensibilitas, realis rationalitas, & tãdem realis etiam francischeitas (vt ita dicam,) quæ est eius differentia indiuidualis, sic à Scoto nuncupata: quæ quidẽ omnes realitates, quatenus sunt à parte rei, nil aliud dicunt, quã Franciscum, qui sicut vnus est, & singu-

singularis: illæ etiam realitates singulares sunt, sic cōsideratæ: verum sumpta animalitate, vt sic secundum se: tunc nō habet animalitas secundū se, quod contrahatur ad esse singulare, per differentiā indiuiduale Francisci potius, quā per differentiam indiuiduale Petri, vel vnius leonis, canis, &c. quia secundum se, tātum dicit substantiam animatam sensibilem: cum autē contrahitur in Francisco, vel in leone, &c. hoc non est per se, sed per accidens: quia etiā si non contraheretur per differentiā indiuidualem alicuius hominis, adhuc reperiretur in alijs animātibus. Itaq; iam præbet intellectui sufficiētissimā occasionē, vt possit illam concipere pluribus inferioribus communem, & hoc est, quod nos dicimus, dari vniuersale fundamentaliter in rebus: quia illæ naturæ reales superiores differentiæ indiuiduali, sunt sufficiens fundamentum vniuersalitatis, quæ cum sit quædam forma rationis, tribuitur ab intellectu rebus ipsis: & hoc probant omnia argumenta facta contra primam sententiam Nomin.

Restat ergo argumentis satisfacere: & primo ad primū primæ sententiæ. Resp. conc. omnia, quæ sunt à parte rei esse singularia: tamen in quolibet singulari existere à parte rei sunt plures realitates, quæ si sumātur secundum se, optimè possunt vniuersalitatis denominationem recipere (vt diximus.)

Ad secundum Resp. illud argumentum concludere de vniuersali formali, nō autem de vniuerso fundamentali: nā vniuersū formale est illud, quod de pluribus prædicatur (vt dicam infra:) quando verò dicitur, nil dari extra intellectū, quod pluribus possit communicari, dist. si consideretur, eo modo, quo est à parte rei, nempè ad indiuiduū contractum: concedo: at verò si sumantur supradictæ realitates secundum se, eo modoq; quo possunt ab intellectu percipi, abstractæ à conditionibus indiuiduantibus, sic nō est, cur potius dicātur cōuenire Francisco, quam Petro, & alijs indiuiduis.

Eodē modo R. ad conf. q.

Q quid

quid est extra intellectum, eo modo, quo est, nempè cótractũ per differentiã indiuiduale, percipitur à sensu, loquendo de rebus corporeis, &c. at verò si consideretur secundũ se (vt dixi) potius erit obiectũ intellectus: vt patet.

Ad tertium Resp. neg; seq. ad cuius probationem Resp. quod Fräciscus, & quodlibet aliud nominatum indiuiduũ, duo dicit, & ipsam naturã humanã, quæ in illo est, & contractioné ipsius humanæ naturæ per fracisc he tatem, siuè per differétiam indiuidualé: homo autem, cũ sit terminus specificus, & communis, dicit substantiam animatam sensitiuam rationalem: quare cum dicitur in arguméto; id quod significatur per hoc nomen, Franciscus, est id, quod significatur per hoc nomen, homo, si faciat hæc prædicatio hunc sensum, videlicet hoc, quod est, esse humanitatem côtractam per fracischeitaté, est esse substãtiam animatam sensitiuam rationalem, vera, & formalis prædicatio est, correspondens æquiualenter huic; Fräciscus est homo: sic etiam, & altera de Petro vera, & formalis est: sed ex illis non colligitur: ergo id, quod significatur per hoc nomen, Franciscus, est id, quod significatur per hoc nomen, Petrus: quia alia est differétia indiuidualis contrahens substantiam, animatam, sensibilem rationalé ad esse Francisci, ab illa, qua eadem substantia, &c. côtrahitur ad esse Petri: quãdo verò dicitur in probatione, quæ sunt eadé vni tertio sunt eadé inter se. Resp. explicãdo hanc propositionem sic, quæ sunt eadem realiter vni tertio, sũt eadé inter se, in tali tertio: q, verum est: nõ verò sunt eadé extra illud tertium. Cuius rei est manifestum exemplum in prædicatis essentialibus vnius indiuidui: humanitas namq; & sensibilitas Petri idétificantur realiter, & sunt omninò idem realiter, quatenus sunt in Petro: nã humanitas Petri est animalitas Petri, &c. vt diximus, & clarius infra: cæterũ extra ipsum tertium, nempè extra Petrum non sunt idem; nam animalitas nõ est humanitas; cũ possit animalitas reperiri, vbi nequit humanitas,

vt patet: sic ad propositũ; licet Franciscus, & Petrus, cũ conueniant in esse hominis, sint vnũ in tali esse, vnde Porphy. dixit, participatione speciei plures homines esse vnũ hominẽ: consideratis tamen ipsis indiuiduis vltra tale esse, nempè vnumquodq; secundum suum peculiarẽ modũ participandi dictũ esse, vt sic, cum non eodem modo, sicè per eandem differẽtiam indiuidualem fit humanitas contracta in omnibus, ideò nequeunt plura indiuidua esse vnum indiuiduũ: & idẽ dico de speciebus, &c.

Ad locum tandem Aristotelis, desumptũ ex primo de Anima. Resp. Aristotelẽ solũ voluisse destruere vniuersam illud separatũ à singularibus, quod ponebãt authores illius sentẽtiæ, ante ipsa singularia; ex quo postea accipiebant ipsa eorũ esse: inq. t ergo Philosofus; vniuersa non dari à singularib⁹ separata, vnde nihil sunt, sed chymericæ illæ Ideæ vniuersales: verum dantur in rebus vniuersa, non iam ipsis singularibus priora, sed posteriora; idest, supposito, quod dantur singularia, in illis existunt vniuersa.

Ad duas illas rationes modo dictæ sententiæ, quã Arist. tribuebat Platoni, restat subpondere: & primo ad primã Resp. neg. mi. ad cuius probationem Resp. quicquid est in aliquo indiuiduo corrũpitur ad corruptionẽ ipsius: si illud pertineat ad ipsum indiuiduũ, quatenus tale indiuiduũ est, conc. & sic corrupto Petro corrũpuntur omnia accidentia, quæ erant sibi, quatenus erat tale indiuiduũ, vnitas, vnde si erat pater; corrumpitur relatio paternitatis, vel filiationis: si bene scribebat, saltabat, canebat, & sic de singulis accidentibus, quæ non remanent eadẽ in corrupto, (vt 1. Phis. & 1. de Generat. dante Deo, secũdum verorem opinionem dicam:) esse verò hominem, animal, substãtiã, & c. non cohærenunt indiuiduo, quatenus tale indiuiduũ est præcisè, sed quatenus sub tali specie, vel genere cõtinetur, & sic nõ corrumpitur vniuersum, quia non corrumpitur natura humana, neq; natura animalis, &c.

l Vel secundo Resp. has naturas posse concipi, vel secundum existétiam, quam habét in indiuiduis, vel secūdū earū essentiā: corrupto Petro corrumpitur humanitas, quantū ad existétiam, quam habebat in Petro: non autem quātum ad eius essentiam: quia hoc, quod est, hominē esse substantiam animatam sensibilem rationalem, semper fuit, eritque verum dicere, etiā omnibus indiuiduis humanæ naturæ destructis.

n Ad secundā rationē Resp. illam propositionem, scilicet, quod res ita se habet ad esse, sicut ad cognosci; absolutè sumptā, esse omninò falsam, & ex cōsequenti negandam: quia intellectus cócipit montem aureum, Chymeram, &c. quæ non ita sunt, sicut concipiuntur. Axioma autem est, ꝙ res, sicut se habet ad esse, ita ad cognosci: quod est etiam glosandū, & primo, nam, vel potest esse sermo de ipso esse rei secūdum se: vel de modo quo res est: secūdo, vel potest esse sermo de cognitione directa, & primaria, vel de cognitione secundaria, & indirecta: tunc sic debet illa propositio intelligi: res sic ut se habet ad esse, siuè substātiale, siuè accidentale, &c. cū eodé esse cognoscitur, cognitione directa, & primaria: nam id, quod est accidens, vt accidés cognoscitur: id, quod substantia est, vt substantia cognoscitur: non tamen est necesse, ꝙ cognoscatur omnis modus, quo illa res habet tale esse: nā res istę inferiores, materiales sunt, & tamen nō cognoscuntur cum huiusmodi materialitatibus, cū intellectus potentia sit spiritualis, & sic quicquid intelligit, modo spirituali, & īmateriali intelligit. Tùm etiam non tenet illa propositio, loquendo de cognitione indirecta: nam hac cognitione intellectus, id, quod in re vnum est, potest per modum plurium cognoscere, (vt diximus.)

o Restat ergo, dari vniuersū in rebus ipsis fundamētaliter (vt explicuimus.) Sed Quomodo diffiniatur? quæritur secūdo loco in titulo quæstionis. Pro quo nota, quod petitio esse potest, vel de vniuerso fundamentaliter, & materialiter,

tialiter, id est de ipsa natura, quæ potest denominari vniuersa ab intellectu, vel de ipsa natura iã denominata actu vniuersa: vnde dicitur vniuersa formaliter; vel de ipsa vniuersalitate in abstracto: si loquamur de vniuersalitate in abstracto, potest sic diffiniri: est forma quædam rationis, à qua natura denominatur formaliter vniuersa: si erit sermo de ipsa natura, quæ est fundamentum vniuersalitatis, non iam denominata formaliter vniuersa: illa potest dupliciter cõsiderari, vel secundum proprium esse essentiæ, & sic quælibet habet suam peculiarem diffinitionẽ essentialẽ: vt Natura humana habet essentialiter, quod sit substãtia animata sensiens rationalis, &c. vel potest cõsiderari præcisè, quatenus est apta recipere vniuersalitatẽ, quomodo dicitur vniuersa fundamentaliter, & in potentia, quamuis remota (vt infra dicã,) & sic poterit diffiniri, id, quod licet vnum sit in vno: potest tamẽ cõcipi ab intellectu vnum in pluribus: quælibet enim natura à parte rei, vna est in vno indiuiduo, per cuius differentiã indiuidualẽ est contracta, nec aliter à parte rei esse potest (vt vidimus contra secundam sententiam:) tamen potest concipi ab intellectu, nõ concepta differentia indiuiduali, per quam est cõtracta, & sic considerari potest communis multis inferioribus: quæ sic sumpta, non est cur potius eã dicamus conuenire Petro, quam Francisco, &c.

Tãdem, si sermo sit de ipso vniuerso formali, id est de natura iã actu denominata vniuersa, per formam vniuersalitatis: poterit sic definiri: vnũ in multis cum sui multiplicatione: dicitur, vnum, vt distinguatur ab vniuersali composito: sed intellige ly, vnũ, nomine, & ratione, quia illud tantum dicitur vniuersũ formale, & in rigore, quod vniuocè cõuenit suis inferioribus: conuenire autẽ vniuocè est, prædicari secũdum nomen, & secundũ rationẽ: quando verò æquiuoca ab aliquibus vniuersa appellantur; intellige impropriè, & largo modo; & licet Arist. 3. met. cap. 34. appellet ens, quod Analogum est, maxi-

maximè vniuersum; intellige etiam lato vocabulo: nam ipsemet 4. met. cap. 2. tex. 6. aufert ab ente rationē vniuersi. Insuper dicitur, in multis, vt distinguatur ab vniuersali in repreſentando; nam potius illud eſt vnum, in quo multa repreſentātur, ex quo colliges, conceptus mentis non posse esse formaliter vniuersa, sed tantum dicuntur vniuersi in repreſentando, quia non sunt vnum in multis. Item dicitur, in multis; ad differētiam vniuersi in causando, quod potius dicitur vnum, à quo multa excluditur etiam per illam particulā vniuersum in significādo, quod potius eſt vnum per quod multa significātur, ex quo colliges, voces ipsas non posse formaliter esse vniuersa, cū nequeāt esse in multis, eo modo, quo dictum eſt: sed potius debere dici vniuersa in significando. Tandē per eandem particulā, in multis, excluditur à ratione vniuersi formalis indiuiduum, quod licet vnum sit, non tamen in multis eſt, sed in vno: demum datur, cum sui multiplicatione, vt excludatur à ratione vniuersi Natura Diuina, quæ licet vna sit in tribus Diuinis Personis; non tamen dicitur vniuersa, quia non eſt in illis cum sui multiplicatione, sed retinet propriā vnitatem indiuidualem: eadē enim numero natura Diuina, quæ eſt in Patre, eſt etiā in Filio, & Spiritu sancto.

Et nota, quod duplex repetitur in Ariſt. vniuersi Definitio: Prima 7. met. tex. 13. quæ sic se habet: Vniuersū eſt vnū in multis. Secunda primo de interpetratione cap. 5 sic: Vniuersum eſt, quod de pluribus prædicari aptum eſt: & vtraq; insufficietē existimo, ob Defectū vltimæ particulę noſtrę Definitionis, nempè, cum sui multiplicatione: namq; sine hac particula, vtraq; illa Definitio poteſt Naturæ Diuinæ cōuenire (vt pater:) cæterum non ideo hoc tribuēdum eſt errori, cum Ariſto. definierit vniuersum, vt Philosophus; non enim erat tanto lumine illuſtratus, vt potuisset cognoscere modum ineffabilē, quo Diuina Natura reperitur in tribus Diuinis Personis.

Iterum nota, quod à dicta illa

illa particula, vtraq; Definitio optima est, quarũ prima essentialis est; altera verò Descriptiua: adeo namq; vniuersum prędicatur de multis, quia est in multis; sed aduertite, quod quando asserit Aristoteles, quod vniuersum est illud, quod aptum est prædicari de multis, non intelligit, in vniuerso formali esse aliquam aptitudinẽ ipso actu prædicandi de multis priorem in aliqua prioritate temporis, sed ad plurimum in aliqua prioritate rationis: neq; esset verum dicere, in rigore loquendo, quod vniuersum prius est in multis, quam prædicetur de multis: hoc .n. denotaret prioritatẽ realem: sed erit verum dicere, quod vniuersum prius cõcipitur in multis esse, quam cõcipiatur prædicari de illis multis, & sic denotabitur tãtum prioritas rationis.

## SECTIO SECVNDA.

*Vtrum seclusa operatione intellectus, natura, quæ potest denominari vniuersa, habeat aliquam vnitatem distinctam ab vnitate numerali?*

PRO tituli intelligentia not. primò, quod (vt diximus sect. 4. Prohem. not. 2.) tripliciter aliquid potest dici vnũ, vel numero, vel specie, vel genere: vnitas numerica, quia desumitur à differẽtia materiali, quæ est differentia indiuidualis, cuiuslibet indiuidui, dicitur vnitas materialis, & illud dicitur vnum hac vnitate, quod non potest materialiter diuidi, i. per alias differentias materiales, siuè indiuiduales; vt est quodlibet indiuiduum. Reliquæ duę vnitates dicũtur vnitates formales, quia desumuntur à forma, siuè specifica, siuè generica, & illud dicitur vnum formaliter vnitate formali specifica, quod diuidi non potest per alias differentias formales specie distinctas, licet possit diuidi per differentias materiales; vt Homo, Leo, &c. Illud tandem dicitur vnum formaliter vnitate for-

mali

mali generica, quod diuidi non poteſt per alias differentias formales genericas, licet poſſit diuidi per differentias ſpecificas; vt Animal, & quia (vt etiã ibidẽ diximus) quot modis dicitur vnũ contrariorum, tot modis dicitur, & reliquũ; ſicut triplex eſt vnitas, triplex etiam neceſſario aſſignatur diuiſio, cum vnitas ſit diuiſionis carentia: prima dicitur, diuiſio numerica: ſecunda, ſpecifica: tertia, Generica: Diuiſio numerica dicitur diuiſio materialis, quia ea, quæ ſic differunt, materialiter differre dicuntur: differũt enim per principia materialia; vt Petrus materialiter differt à Paulo, quia eorum differẽtiæ materiales ſunt diuerſæ. Reliquæ diuiſiones dicuntur formales, quia ea, quæ ſpecifice, vel Generice differũt, formaliter differre dicuntur, quia ꝑ formas differũt; vt Homo formaliter ſpecifice differt à leone, quia alia eſt forma, quæ ſpecifice cõſtituit hominem, à forma, quæ conſtituit leonẽ in tali ſpecie: ſic etiam corporeũ formaliter, Generice differt ab incorporeo (ſecũdum probabilem ſatis opinionem Tol. q. 3. prohęm. & aliorum) quia alia eſt differẽtia Generica formalis, quæ conſtituit corpus in tali genere, & alia, quæ cõſtituit ſpiritũ in tali genere (intellige autẽ de genere intermedio.) Prima diuiſio, nempè materialis: eſt diuiſio realis; ſic etiã vnitas numerica, & materialis, proculdubio vnitas realis eſt: at verò diuiſio formalis, tã ſpecifica, quã generica, eſt diuiſio rationis, ſicut etiã vnitas formalis, tam ſpecifica, quam generica.

Secundo not. eſt, quod diuiſio realis poteſt eſſe multiplex: alia enim dicitur realis propria, quæ eſt inter rem, & rem, quarum quælibet habet ſufficiẽtem entitatem per ſe, vt poſſit eſſe ſine alia, ſaltem miraculoſe; vt eſt diſtinctio, quæ reperitur inter duo indiuidua eiuſdẽ, vel diuerſæ ſpeciei, & etiam diſtinctio, quæ reperitur inter ſubſtãtiam, & accidẽs, quæ licet, naturaliter loquẽdo, nequeant ſeparari, tamen, ſaltẽ miraculoſe, benè poteſt eſſe accidens ſine ſubſtantia; vt in ſacramento altaris manifeſte apparet, & è

contra: & hæc distinctio dicitur mutua, quia quælibet pars potest per se existere sine altera: alia distinctio dicitur realis modalis, & est, quæ reperitur inter rem, & modum rei, vel inter ea, quorũ vnum habet sufficiẽtem entitatem, vt possit esse sine altero: alterũ verò non; illud dicitur res, hoc verò modus; vt est distinctio, quę reperitur inter essentiam, & subsistẽtiam: essentia enim dicitur res, & habet sufficiẽtem entitatem ad hoc, vt possit esse sine existentia: existentia autem, cum sit modus essentiæ, nullo modo potest sine tali essentia reperiri, & hæc dicitur distinctio nõ mutua, quia essentia realiter distinguitur ab existentia, non tamen è contra. Alia dicitur distinctio realis inter includens, & inclusũ; vt est distinctio, quæ reperitur inter cõpositum, & partes componẽtes: Franciscus enim dicitur realiter differre à sua anima, quia est compositũ quodam includens ipsam animam.

Diuisio etiã rationis duplex est: altera dicitur distinctio rationis ratiocinantis: alterã rationis ratiocinatæ (vt diximus de ente rationis disp. pręced.) distinctio rationis ratiocinantis illa est, quæ nullũ habet fundamẽtum in rè, vt distinctio Petri à seipso in propositione identica. Distinctio rationis ratiocinatæ est, quæ verum habet fundamentũ in rè, vt est distinctio inter diuina attributa.

Sed inter has duas distinctiones, realẽ, scilicet, & rationis, Scot. excogitauit quandã aliam distinctionẽ mediam, quam vocat formalẽ ex natura rei: & asserit, esse illam, qua vnum ab alio distinguitur à parte rei seclusa operatione intellectus, propter aliquã rationẽ formalem distinctã: seu propter diuersam diffinitionem essentialẽ. Ex quo licet inferre etiam, secundum eius doctrinã, dari à parte rei vnitatem mediam formalem ex natura rei, eamq; reperiri inter illa, quę in vna ratione formali, sęu diffinitione essentiali conueniunt.

Cæterũ existimo, non dari distinctionem mediam inter realem, & rationis; neq; vnitatem mediã inter realem, &

rationis, (vt latè probat Vazq. p.p. disp. 118. cap. 4.) & ratio esse potest efficax, & facilis: quia vnũ sequitur ens, eiusq; naturam: nil enim vnum dici potest, nisi ens sit: ergo tot modis dicitur vnũ, quot modis dicitur ens: sed ens tãtum est duplex, reale scilicet, & rationis: ergo, & vnum tantum duplex, reale, & rationis: non datur ens medium: ergo neq; vnitas media. Sed distinctio sequitur vnitatẽ: cum sit eius carentia: ergo quot modis dicitur vnitas, tot modis dicitur distinctio: non datur vnitas media inter realẽ, & rationis: ergo neq; dabitur distinctio media inter realẽ, & rationis.

His suppositis, quæstio esse potest primo; Vtrùm natura humana, quæ est in Petro contracta per eius differentiã indiuidualem, sit tantum vna realiter, & numericè cũ illo: vel præter vnitatẽ realem, habeat aliquã aliam vnitatẽ formalem à numerali distinctã à parte rei cum ipso Petro, & eius differentia indiuiduali? Secũdo: Vtrũ hæc natura humana, quę est in Petro, sit vna cum reliquis prædicatis essentialibus, quæ reperiuntur in ipso Petro; nempè cum sensibilitate, vitalitate, corporeitate, &c. an verò distinguatur aliqua distinctione ab illis? Tertio quæstio esse potest, an natura humana, quę est in Petro à parte rei sit vna cum humanitate, quæ est in Francisco; ita vt, seclusa omni operatione intellectus, Franciscus, & Petrus conueniant in vna natura humana: sic etiam homo, & leo, videlicet, à parte rei cõueniant in vna ratione animalis.

Quantum ad primum sensum quæstionis; aduertite, vnitatem numericam, siuè indiuidualem posse etiam aliquo modo dici vnitatem formalẽ, sicuti propriè dicitur vnitas materialis: quia cum quælibet differentia habeat rationem formæ, etiam differentia indiuidualis rationem formæ tribuentis indiuiduo tale esse indiuiduale, habere dicitur: sicut differẽtia specifica, quæ rem aliquã in tali specie constituit, forma est: quarè vnitas illa proueniens à tali differentia indiuiduali, vnitas formalis etiã poterit appellari: hanc

tamen

tamen vnitatem in sequentibus, quando formalem vocabimus, cũ aliquo additaméto id faciemus, videlicet addendo, numericam, vt Franciscus dicitur vnus vnitate formali numericà.

Dicimus ergo, quod, si præsens quæstio intelligatur in primo sensu exposito, natura humana, quæ est in Petro cõtracta per eius differétiam indiuidualem, (& idem dico de reliquis omnibus prædicatis essentialibus Petri, nimirũ, de eius substãtialitate, corporeitate, vitalitate, sensibilitate, &c.) nullam aliam vnitatem habet à parte rei, præter vnitatem formalem numericã, siuè materialem, siuè indiuidualem, quæ idem sũt: & loquor modo de ipsa natura humana in ordine ad ipsum indiuiduum, in quo existit solũ: hoc dictũ clarius patebit, ex infra dicẽdis: cuius præcipua ratio est: quia differétia indiuidualis est illa, quæ contrahit omnia prædicata superiora Petri ad tale esse Petri: ergo omnia illa prædicata identificantur numericè, & indiuidualiter cum illa: itaut à parte rei nil aliud sit realiter substãtia Petri, quã differentia indiuidualis ipsius, & sic de reliquis prædicatis.

Si præsens quæstio intelligatur in secundo sensu exposito, nempè, an natura humana, quę est in Petro à parte rei, distinguatur aliqua distinctione à reliquis p̃dicatis eiusdẽm Petri, nempè à sensibilitate, &c. Dicẽdum in primis, substantiam, corpus, viuens, animal, & hominẽ, quatenus sunt in Petro, nõ distingui realiter ab ipso Petro: hoc dictũ conformatur doctrinæ Arist., qui multis in locis docet, naturas vniuersales nil esse præter singularia: ratione probatur, quia omnis distinctio realis, aut est inter duas res, aut inter rem, & modum eius, aut inter includens, & inclusum, realiter: sed omnia illa prædicata, quatenus sũt in Petro, in primis nõ distingũtur ab ipso Petro, distinctione propria, quę reperitur inter rẽ, & rem: quia nec prædicata Petri possũt esse sine Petro, nec Petrus sine his suis prædicatis, etiam de potentia Dei absoluta: siquidem nec prædicata Petri

habent ex se sufficientem entitatem ad existédum sine ipso Petro: nec Petrus habet ex se sufficiétem entitatem ad existendum sine suis prædicatis: quia illa prædicata, quatenus sunt in Petro, sunt de essentia, & quidditate ipsius: & id, q; est de essentia rei, neq; per diuinam potentiam potest separari à re, de cuius essentia est. Eadem ratione potest probari, quod non distinguantur, táquā res à modo: quia eorū, quæ sic distinguntur, saltem alterum potest sine altero reperiri, vt dixi de essétia, & existentia not. 2. sed nec ipsa prædicata, quatenus sūt in Petro possunt à Petro separari, nec è contra: ergo, &c. sic etiam probari potest, non distingui tanquā includens ab incluso: quia, quæ sic distinguntur includens debet esse vniuersalius incluso: compositū enim humanum distinguitur à sua anima rationali: quia magis vniuersale est compositum, quam pars: siquidem præter animam rationalem continet etiam corpus: sed illa prædicata nequeunt dici includentia ipsum Petrū: quia Petrus nō est pars suæ substátiæ, &c. nec ipse Petrus potest dici includens: quia omnia illa prædicata, quatenus sunt in Petro, sunt ipsa totalis essentia Petri: non verò pars aliqua essentiæ ipsius: ergo identificantur realiter cū ipso Petro: & ex consequenti non distinguntur realiter ab illo.

Ité dicimus, easdé naturas superiores, quatenus sunt in Petro, non distingui realiter inter se: patet hoc dictum: in Petro vna est dumtaxat differentia indiuidualis cōtrahens naturam specificā, & omnia alia prędicata superiora: ergo hęc prędicata superiora, quatenus sunt in Petro, non possunt magis distingui inter se, quam quodlibet eorū distinguitur à sua differentia indiuiduali, per quam contractum est ad tale indiuiduum Petri: sed nullum ex illis prędicatis realiter distinguitur a differétia indiuiduali Petri, per quá sunt cōtracta, & modificata: ergo nec pósūt realiter inter se distingui: antecedés patet: qa, quæ sunt eadé vni tertio, sūt eadē inter se in tali tertio, (vt supra explicuimus:) mi.

verò

verò probatur, quia nec ipsa prædicata, quatenus sunt in Petro, habent sufficientẽ entitatem ad existẽdũ per se sine differentia indiuiduali Petri: nec ipsa differẽtia indiuidualis Petri habet de se sufficientem entitatem ad existẽdum sine ipsis naturis: ergo nullam admittunt realẽ distinctionẽ.

Dicendum tamen est, naturas has superiores distingui inter se, & etiam à differentia indiuiduali distinctione rationis ratiocinatæ; id est cũ vero fundamento distinctionis. Ita D. Tho. p. p. q. 76. art. 3. ad 4. Dur. in 2. dist. 3. q. 2. n. 1. Sonc. 7. met. q. 36. & communiter Doctores præter Scotistas, q. docent distingui distinctione media formali ex natura rei, quam distinctionẽ nos supra reiecimus; probatur ergo breuiter hoc dictum: quia intellectus concipit humanitatem non concepto aliquo indiuiduo naturę humanę: ergo distinguit naturam humanã ab indiuiduis. Item cõcipit animalitatem, non concepta rationalitate: & substantialitatẽ nõ cõcepta sensibilitate, &c. ergo concipit distinctionem inter illa prædicata: quod autem concipiat vnum sine alio, negari non potest: quia diffinit, & humanitatem per se: & animalitatem, & substantialitatẽ, &c. distinctis diffinitionibus: ergo singula concipit distincto conceptu: quòd verò hæc distinctio habeat verum fundamentum à parte rei, patet, quia intellectus concipit in primis Petrum distinctum à Paulo, & non ratione prædicatorum superiorũ, quæ sunt cõmunia vtriq; ergo ratione differẽtiæ indiuidualis; & sic habet fundamẽtũ distinguendi differẽtiam indiuidualem à prædicatis superioribus. Itẽ concipit Petrum, & leonem distingui, nõ solum per differentias indiuiduales: sed etiã per naturas specificas, & non distingui per reliqua prædicata superiora: ergo iam habet fundamentum distinguendi substantialitatem, & animalitatẽ ab humanitate. Item concipit Petrum distinctum à Petra, nõ solum per naturas specificas: sed etiam per naturã genericã animalitatis, & vitalitatis, & nõ distingui per substantialitatem, & corporeitatem

tem: ergo iam habet fundamentum distinguendi omnia prædicata superiora inter se, & sic distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ.

Tandem, si quæstio intelligatur in vltimo sensu: an scilicet natura humana, quæ est in Petro à parte rei sit vna cũ humanitate, quæ est in Francisco: itaut, seclusa omni operatione intellectus, Frãciscus, & Petrus conueniant in vna natura: sic etiã homo, & leo, videlicet, à parte rei cõueniãt in vna ratione generica: nẽpè in ratione animalis, est maior difficultas; licet ex his, quæ diximus facilè intelligatur.

Pro qua not. quod duo requirũtur ad rationẽ vniuersi formalis, (vt ex dictis in præterita sect. colligitur:) primũ est, esse in multis cum sui multiplicatione: secundum est, ꝙ sit vnum: primum iam reperitur à parte rei, etiam nullo intellectu intelligente: natura .n. humana est in Petro, Francisco, Ioanne, Carolo, &c, & multiplicatur ad multiplicationẽ indiuiduorũ: non enim eadẽ est natura humana, quæ est in Petro, quatenus in Petro est, ab illa, quæ est in Carolo, quatenus est in illo, &c. cũ sit per differẽtiam indiuiduale, multo diuersam, cõtracta in vtroq;: secundum autem, nempè vnitatem, est controuersũ, an habeat natura à parte rei, vel solũ per intellectũ: si natura hanc vnitatem habeat à parte rei: iam erit ante omnem operationẽ intellectus, vniuersa formaliter, cum nil aliud requiratur ad rationem vniuersi formalis: si illã, seclusa operatione intellectus, non habeat, iam nõ erit à parte rei vniuersa formaliter; sed tantum per intellectum.

Sed insuper nota pro maiori dilucidatione; quod non quęlibet vnitas sufficit ad cõstituẽdam aliquam naturam vniuersam formaliter: triplicem namq; vnitatẽ possumus in aliqua natura considerare, Phisicam nempè, Metaphisicam, & Logicam; secundum triplicem statum, in quo talis natura esse potest, nimirũ Phisicum, Metaphisicum, & Logicũ, status Phisicus naturæ, est status existentiæ in indiuiduis, quando reperitur contracta ad tale esse particulare per

per differentiam aliquam individualem, quæ potest etiā dici differentia Phisica: cum tale esse sit propriè esse Phisicum; & sic tantum natura reperitur vna in vno: vnde non sufficit hæc vnitas Phisica ad cōstituendā illam vniuersam formaliter. Status naturæ Metaphisicus est, quādo est à cōditionibus indiuiduātib⁹ omnino immunis, concipiturq; solum in ordine ad sua prædicata superiora, & essentialia; nempè, quod natura humana sit substantia, animata, sensiens, rationalis, &c. cumque hæc atrributa pertineant ad eius essentiam Metaphisicam, dicitur natura, tunc esse in statu Metaphisico, & vnitas illa, in qua tunc est, dicitur vnitas Metaphisica, neq; vnitas hæc sufficiens est ad constituendū illam naturam vniuersam formaliter: sed tantū vniuersam materialiter, & in potētia proxima, seù Metaphisica, quarè appellatur tunc natura à Doctoribus, vniuersa Metaphisicè: ab alijs vniuersa negatiuè: quia tunc in illo statu cōcipitur, vt quodā totum actuale, idest in ordine tantum ad ea attributa, quæ actu continet, non verò in ordine ad sua inferiora, quæ cōtinet in potentia, & vt sic potius natura illa concipitur, vt subijcibilis, quā vt prædicabilis: bene verum est, quod in hoc statu dicitur esse fundamētum proximum vniuersalitatis formalis: quia est in potētia proxima ad recipiendam illam; cum sit (vt sic) indifferēs ad vnum, & ad multa: quando verò est contracta ad indiuiduū per differētiam indiuidualem, dicitur fundamētum remotum: quia est in potentia remota. Status tandē Logicus naturæ est, cū actu cōcipitur cōmunis multis inferiorib⁹, & in hoc statu natura dicitur vniuersa Logicè, siuè formaliter, siuè positiuè, cū iam intelligatur in ordine ad sua inferiora, & vnitas hæc constituit illā vniuersam formaliter.

In hac ergo quæstione in hoc tertio sensu exposita est, opinio Pauli Veneti q. 1. vniuersalium, & lib. 2. Metaph. Antonij And. 7. Metha. q. 18. Monlorij dispu. de rebus vniuersalibus cap. 6. & aliorum, asserentium, naturam à parte

rei

rei habere vnitatem formalē Logicam, & positiuam; itaut seclusa operatione intellect⁹, Franciscus, & Carolus formaliter cōueniant in vna natura humana; quæ sententia potest primo sic suaderi: omnia indiuidua sub vna specie cōtēta, seclusa omni operatione intellectus, cōueniūt in natura specifica, sub qua cōtinentur: ergo illa natura cōmunis est omnibus illis: ergo est vna formaliter ante omnē operationem intellectus: ambæ consequētiæ patent: quia si à parte rei Franciscus, & Carolus formaliter conueniunt in natura humana, sequitur euidenter, illam naturam formaliter illis cōuenire, & ex cōsequēti esse formaliter vnam ante omnē operationē intellect⁹: modo ꝓbatur antecedēs: quia si indiuidua, quæ sub vna specie cōtinentur a parte rei nō conueniunt formaliter in illa natura specifica, sequitur, quod formaliter distinguātur in eadem natura specifica à parte rei: hoc est absurdissimū: quia alias sequeretur, Franciscum, & Carolum à parte rei, non solū differre numero, sed specie, vt patet: ergo dicendum non est, non cōuenire formaliter in dicta natura specifica: sequela probatur: quia in eo, in quo aliqua duo nō conueniunt, differunt: ergo si Franciscus, & Carolus non conueniunt formaliter in natura humana à parte rei, sequitur, ꝙ à parte rei formaliter differūt in eadem natura, in qua non conueniunt.

Et cōfirmatur nam vnitas, (vt diximus) est diuisionis carentia: ergo ea, quæ diuisione carent vnum sunt, eo modo, quo carent tali diuisione: sed indiuidua sub vna specie contenta à parte rei carent diuisione formali, vt patet: ergo sunt vnum formaliter.

Secundo potest eadem sententia probari: quia à parte rei certū est, quod magis differt Frāciscus à cane, quā à Petro: ergo Franciscus conuenit in aliquo cum Petro, in quo nō conuenit cūcane: sed Petrus, & Franciscus nō conueniunt in vna differētia indiuiduali: ergo in vna ratione specifica: prima cōsequētia, patet: quia leggitimum est argumentum hoc, plus differt Petrus à Cane,

ne, quã à Francifco: ergo minus differt à Francifco, quam à cane: fed fi nõ conuenirent in aliquo Petrus,& Frãcifcus, quod cani repugnaret, nõ minus differret à Francifco, quã à cane: quod poffet facile demonftrari: quia fi Petrus à parte rei non eft vnus numero cũ cane; neque vnus numero eft cum Francifco: fi Petrus non eft à parte rei vnus in fpecie cum cane, per te, neq; à parte rei eft vnus in fpecie cũ Francifco: ergo non magis differret à cane, quam à Francifco.

Tertio: datur à parte rei vniuerfum formale: ergo datur à parte rei vnitas formalis: cõfequentia patet: quia vniuerfum formale eft vnum in multis: ergo fi datur à parte rei vniuersũ formale, datur etiã vnitas formalis: antecedẽs verò probatur: nam à parte rei datur fingulare: ergo vniuerfum formale: antecedens eft certũ: cõfequentia probatur, quia oppofitorum eadem eft difciplina, & dato vno, debet, & alterũ affignari: fed fingulare, & vniuerfale funt oppofita relatiua: vniuerfale, nãq; dicit ordinem ad fingulare, quod eft in illo, tanquam fibi inferius: ergo dato vno, dari debet, & alterum, quia relatiua sũt fimul natura: fed datur fingulare à parte rei: ergo à parte rei debet dari vniuerfale.

Et confirmatur illud antecedens: primo, quia nil eft in ĩtellectu, quin prius fuerit in fenfu: ergo fi datur vniuerfale formaliter in intellectu præexiftere prius debet à parte rei.

Confirmatur fecundo. obiectum potẽtiæ debet præcedere potentiã: fed vniuerfale eft obiectum intellectus: ergo præcedere debet intellectũ: ergo feclufa operatione intellectus, iam datur vniuerfum formale. Hæc funt præcipua fundamenta, quibus probari poteft hæc prima fententia.

Secunda fententia eft Scoti in 2. dift. 3. q. 1. quẽ fequntur Capreol. in 3. dift. 1. q 3. conclu f. 2. Alber. Mag. lib. de prædicab. tex. 2. c. 3. Caiet. de ente, & effentia cap. 4. fauet etiã Soto hic q. 6. & omnes Scotiftæ, & ex recẽtioribus quamplurimi, qui omnes docẽt, dari à parte rei vnitatem, quan-

S dam

dam naturæ ex natura rei formalem nō positiuè, sed negatiuè: afferunt enim dari à parte rei naturam vniuersam, & cōmunem, negatiuè tantum; nec (vt existimo) ab hac opinione longe distat Fonseca 5. Meth. cap. 18. q. 3. sect. 2. vbi fatetur, naturā ante operationem intellectus habere ex se vnitatem quādam, quam vocat præscisionis, & cōsequenter docet, naturam in singularibus existentem nō esse actu vniversā (quod est dicere, nō esse vniuersam positiuè,) sed nec habere à solo intellectu, ꝙ sit vniuersa, sed ex se habere etiam quandā vniuersalitatem. Nec exactè, eo loco explicat hic author, quam vniuersalitatē habeat à parte rei natura: nam si asserat, habere vniuersalitatem materialiter, sęù fundamentaliter remotè, iam nos etiam id idem supra docuimus, sed præter hanc aliam maiorē videtur admittere. Cæterū quicquid sit de eius mente, sufficit hoc, quod præter vnitatē numericā, aliā à parte rei statuat, à numerica distinctā, in quo cū superioribus authoribus concordat.

Potest autē sic suaderi hæc sententia; primo, Diuersæ naturæ rerum secundū se habēt diuersas aptitudines ad existendum in his, vel illis indiuiduis: natura .n. animalis existere potest in animalibus, & non in lapidibus, &c. sed hæc aptitudo ad existendū in pluribus non cōuenit indiuiduo, sęù naturæ, quatenus est alicui indiuiduo cōtracta: ergo à parte rei præter vnitatē, quā habet natura, vt cōtracta, quę est vnitas formalis numerica, aliam vnitatem necessario habet; non positiuam, cum aptitudo non dicat actum, sed potētiam ad talem actum: ergo negatiuam, sęù Metaphisicā: hanc enim appellamus negatiuam.

Secund: o attributū conueniens naturæ per operationē intellectus est posterius illis attributis, quæ cōueniunt naturæ secundum se: sed cōcipi actu vnum in multis cum sui multiplicatione, in quo consistit ratio formalis vniuersi Logici, cōuenit naturæ per intellectū, (vt infra dicemus:) ergo posse esse in multis hoc modo, erit prius, siquidem posse esse

esse in multis, est attributum, quod conuenit naturæ secundum se: ma. est certa, cum minori: cõsequentia verò prob. idest, quod posse esse in multis conueniat naturæ, seclusa operatione intellectus, & secundum se: quia seclusa operatione intellectus, naturæ humanæ secũdum se competit, esse substantiã animatam, sensitiuam, &c. sed substãtiæ animatæ sensitiuæ, rationali, secũdum se cõpetit, posse pluribus cõmunicari: non enim est cur potius dicatur, posse cõuenire Petro, quam Francisco: ergo posse esse in multis est attributum cõueniens naturæ, secundũ se seclusa operatione intellectus: ergo secundũ se competit naturæ, esse vnam Metaphisicè, idest cũ ordine tãtum ad sua prædicata superiora.

Et cõfirmatur, quia omnis potẽtia ad actum aliquẽ præcedere debet actũ ipsũ, prius enim est, posse currere, quam actu currere: quod etiã patet de potentijs passiuis, & obedientialibus: nam prius est lignum posse calefieri, & comburi; quã, quod actu calefiat, & comburatur: sed natura habet ab intellectu, quod actu cõcipiatur vna in multis, &c. ergo prius debet præsupponi vna potens esse, & concipi in illis multis: ergo ante operationẽ intellectus, iam natura præsupponitur vna, non vnitate Logica, cum hãc habeat ab intellectu: ergo vnitate Metaphisica, siuè aliqua alia distincta ab vnitate formali numerica, siuè indiuiduali.

Tertio probatur: natura humana secundum se cõsiderata, quatenus scilicet solũ respicit sua prædicata essentialia: vel est vna, vel nõ est vna: hoc secundũ dici non potest: quia vt sic, vnica diffinitione diffinitur, nempè substantia animata sensiens rationalis: ergo vna est secundum se: sed non vnitate numerica, quia hanc vnitatẽ habet natura per accidens, ratione differentiæ indiuidualis, per quam contrahitur ad tale esse: ergo aliqua alia vnitate: non Logica, quia hãc habet ab intellectu: ergo Metaphisica: nisi aliam velis à parte rei mediam assignare, idest formalem ex natura rei.

Et confirmatur, quia duo contradictoria, neque simul

possunt esse vera, neq; simul falsa: sed hæc sunt cõtradictoria: natura de se est determinata; & natura de se non est determinata: ergo vnum solũ ex his debet naturæ ex se cõuenire: sed non conuenit illi, esse determinatam ex se: quia vel esset determinata ad vnũ, vel ad plura: si de se esset ad vnum determinata, nõ posset alijs vllo modo conuenire: si ad plura, ergo nullo modo cõtrahi posset ad vnum: ergo hæc ꝓpositio erit vera; natura de se non est determinata, neq; ad vnum, neq; ad plura: ergo est indifferẽs ad vnum, vel ad plura: ergo vna Metaphisicè; siuè vnitatate formali media ex natura rei: patet consequentia prima, quia si prima cõtradictoria est falsa: secunda necessario est vera: secunda consequentia etiam patet: quia si ex se non est determinata, cũ possit determinari, erit ex se indifferens ad hoc, vt determinetur, siuè ad vnũ, siue ad plura: tertia consequentia etiam euidens est: quia non potest dici, quod sit indifferens, & quod non sit vna: sed non vnitate numerica; alias diceretur determinata ad vnum per differentiam indiuidualẽ: non vnitate Logica; alias diceretur determinata ad plura per intellectũ: ergo vnitate, vel Metaphisica, vel media.

Non me latet, aliquos tribuere Scoto ꝙ doceat, dari à parte rei vnitatem formalem, non quomodocũq;, sed positiuè, & ex cõsequenti vniuersum formale. Cæterũ sine dubio mentẽ subtilissimi Doctoris nõ sane interpretãtur, qui id existimant, cũ Scotus quæstione illa prima supra citata ad primum apertè dicat, non esse naturam cõpletè vniuersalem, nisi per intellectũ: ergo manifestè docet hic Doctor naturã non habere à parte rei eam vnitatem, quæ sufficiens est cõstituere illam completè vniuersã, qualis est vnitas formalis positiua, siuè Logica: & licet ipse de vnitate formali loquatur, tribuẽdo illam naturæ ex se consideratę, intelligendus est tamen de vnitate formali media, siuè ex natura rei; vel de vnitate Metaphisica.

Tamen verior sentẽtia est,

à parte

à parte rei nullã aliam vnitatem dari, præter numericãm: hanc docent D.Th.p.p.q.39. art.4. ad 3.& q.85. art.1.p.2. q.17.ar.4.& q.29.ar.6.& 10. Met.lect.5.& 7. Met.lect.13. & opusc. de ente, & essentia c. 4.& alibi sæpè. Capreol.in 3. dist.5.q.3.& art.3. Dur.in 2. distin.3.q.2.& cæteri Thomistæ,& nouissimè, id etiã egregiè probat P. Didacus à Iesu disp.4.q.2.& 3. Tandem Damascenus lib.5. de fide c. 11. idem manifestè fatetur, cum asserit; In rebus omnib⁹ creatis, personarum distinctionẽ rè considerari: cõmunitatem autem,& cõiunctionẽ,vnãq; earum speciem, ratione, atq; cognitione percipi: animo, namq; intelligimus Petrum, & Paulũ, eiusdẽ naturæ esse, naturamq; vnam communẽ habere. Cumqua sententia.

Sit prima conclusio: natura seclusa operatione intellect⁹, non habet vnitatem illam formalem, quã diximus esse necessariam ad constituendum illam vniuersam formaliter, & positiuè; & ex cõsequenti, à parte rei,neque habet hanc vniuersalitatem formalem,& positiuã: hæc assertio est contra primã sentẽtiam, potestq; sic facile, ex præmissis initio huius quęstionis,probari. Natura seclusa operatione intellectus, vel est in singularibus, vel à singularib⁹ separata: nõ separata (vt vidimus quæstione præced.) ergo singularib⁹ coniuncta: tunc sic: omne attributum,quod in Petro reperitur, quatenus est in illo, est taliter de essentia illius,vt omninò identificetur cum ipso: ergo nullum attributũ potest habere aliam vnitatem, quatenus est in Petro, ab illa,quã ipsemet Petrus habet: sed Petrus nequit habere hanc vnitatem formalem necessariam ad vniuersum formale, alias Petrus posset pluribus cõmunicari: ergo neq; natura,quæ est in Petro, poterit seclusa operatione intellectus talem vnitatem habere: antecedens probatur,quia omne attributũ, quod est in Petro,est contractum ad esse Petri per Petreitatem; itaut omnia prædicata Petri, nil aliud dicant, quam Petrum,& Petrus dicit omnia sua attributa, vt supra diximus; immò, neq; de po-

ter

tēria Dei absoluta, posset esse Petrus sine huiuscemodi attributis, neq; hæc attributa esse possent, hæc, si non esset Petrus: ergo omne attributum, quod est in Petro, est taliter essētia ipsius, vt omnino identificetur cū ipso: ergo sequitur manifestè, quod attributa Petri non possunt à parte rei aliam vnitatē habere præter illam, quā habet ipse Petrus.

Ex hac assertione sequitur secunda conclusio, nimirum, duo indiuidua eiusdē speciei, nullo modo cōuenire formaliter in aliqua natura, vtrique cōmuni; & probatur primo, nam si omnia prædicata, quæ sunt in Petro à parte rei identificantur cum illo, nō magis cōueniet natura humana Petri, Paulo, quam ipsa differentia indiuidualis ipsius, sęù petreitas: ergo sicut Petrus, & Paulus à parte rei non conueniunt in vna differētia indiuiduali, neq; cōuenient formaliter in vnica natura humana.

Secūdo probatur, id quod est de essentia vnius, in quantū tale, nō potest esse de essentia alterius, quod non sit illud in quantū tale: sed omnia prædicata superiora, quatenus sunt in Petro, sūt de essentia Petri, in quantum Petrus est: ergo non possunt cōuenire alteri, qui non sit ipsemet Petrus.

Tertio probatur, vnum, & ens cōuertuntur: ergo ad plurificationē entium plurificantur vnitates, & è contra: sed à parte rei Petrus, & Paulus sūt duo entia realia distincta, & in nulla entitate formaliter conueniunt: ergo non sunt vnum formaliter.

Tertia conclusio: absurdissimum iudico asserere, Naturæ seclusa operatione intellect⁹ à parte rei cōuenire secundū se vnitatem aliquam à numerali distinctam; siuè illam appellent vnitatem formalē ex natura rei, siuè vnitatem Metaphisicam, & ex consequēti, absurdissimū est fateri, naturā à parte rei, seclusa operatione intellectus, secundū se esse vniuersam negatiuè, siuè Metaphisicè: hæc assertio est cōtra authores secundæ sententiæ, & nonnullos iuniores, & probatur primo, quia natura à parte rei, nullo alio modo repetitur, quā in indiuiduis: ergo aliam vnitatē à parte rei

habere

habere nō poterit, prærterquā illam, quā in ipsis indiuiduis habet: sed in indiuiduis nullā aliam vnitatem habet, præter numericā, vt vidimus, & nullam aliam vniuersalitatē præter fundamentalem, & in potētia remota: ergo à parte rei natura nullam aliam vnitatē habet, prçter indiuidualē, nec aliam vniuersalitatem, præter fundamētalem. ma. est certa: quia alias esset incidere ī opinionem illam, quam (vt vidimus sect. præced.) Aristoteles tribuit Platoni, de Idæis separatis, & illa maiori supposita, reliquæ propositiones patent ex dictis.

Secundo probatur, quia si naturæ ex se cōueniret aliqua vniuersalitas, nullo modo singularitas posset illi cōuenire: hoc est absurdū: ergo illud ex quo sequitur: sequela probatur, quia id, quod alicui competit per se, semper, & vbique debet illi conuenire: quia vel illi conuenit in primo modo dicendi per se, vel in secundo modo dicēdi per se, quæ conueniūt alicui in primo modo dicēdi per se, sunt de essentia ipsius, vt rationalitas cōuenit homini in hoc primo modo dicēdi per se: quæ verò alicui conueniunt in secūdo modo dicendi per se, sunt propriæ passiones: vt risibilitas, quæ in hoc secundo modo conuenit homini: & sic verū est, quod ea, quæ alicui cōueniunt per se, semper, & vbiq; debent illi conuenire: ergo si naturæ seclusa operatione intellectus p se, & secundū se cōpetit aliqua vniuersalitas, nullo modo posset illi singularitas conuenire: patet, quia cū vniuersalitas per se cōueniat illi, etiā quatenus est in indiuiduis debet illi hæc eadem vniuersalitas competere: & sic, si in eo statu cōueniret etiam ipsi naturæ singularitas, verificarentur de illa duæ cōtradictoriç, nimirū: Natura humana, quatenus est in Petro, est singularis, & simul, & semel, non est singularis: quia est vniuersa, hoc est absurdissimum fateri: ergo nullo modo dicendum est, quod naturæ à parte rei p se conueniat aliqua vniuersalitas: ergo neq; alia vnitas ab illa, quā habet in indiuiduis potest ipsi naturæ secundū se conuenire: patet hæc consequen-

quêtia: quia vnitas naturæ sequitur statũ, in quo reperitur talis natura: vnde in statu Metaphisico, habet vnitatẽ Metaphisicã: in statu Logico, vnitatẽ Logicã: ergo vbi natura solum reperitur in statu Phisico, sola vnitas Phisica, quæ est numerica, illi poterit conuenire.

Confirmatur: quia triplex forma tantum reperitur, cõstitutiua rei in aliquo esse: nẽpè indiuidualis, specifica, & generica: ergo triplex tantũ vnitas, quia quælibet forma dat suam vnitatẽ, & sic indiuidualis, dat vnitatẽ indiuidualẽ; forma specifica, dat specificã vnitatem; & tãdem generica dat genericam: sed à parte rei nõ datur aliud esse, præter illud, quod tribuit naturæ forma indiuidualis: ergo nec datur alia vnitas, præter indiuidualem: prior discursus certus est: quia vnitas sequitur esse: esse autẽ prouenit à forma: ergo quotuplex forma, totuplex vnitas: reassumptũ etiam patet ex dictis, nempè, ꝙ à parterei non detur aliud esse naturæ, præter indiuiduale: quia differentia indiuidualis cõtrahit omnem naturam superiorẽ, modificando illam ad tale esse, vt vidimus in superioribus.

Quarta conclusio: Petrus, & Paulus à parte rei sunt tantum vnum fundamentaliter, & possunt dici aliquo modo similes in natura: non quia in aliqua similitudine cõmuni vtriq; à parte rei conueniant: sed quia ad eorum entitates sequitur mutua relatio similitudinis, à qua, eadem, vel similia dici possunt: sicut vnum album simile dicitur alteri albo, non quia in aliqua similitudine cõmuni, & vna à parte rei cõueniant: sed quia, quodlibet habet albedinẽ similem alteri albedini; & idẽ proportionaliter dicimus de indiuiduis diuersarũ specierum, esse scilicet ante intellectũ diuersa, vel dissimilia in substantia à relationib⁹ diuersitatis, vel dissimilitudinis, quæ consequuntur eorũ entitates, & naturas, quatenus ita sunt numero diuersæ, vt omninò sint incapaces cõuenientiæ, vel vnitatis specificæ: dicuntur ergo indiuidua vni⁹ speciei magis eadẽ, vel minus diuersa; quã indi-

indiuidua diuersæ speciei ab vnitate fundamentali,& à relatione similitudinis, quã habent à parte rei. Ita eisdé verbis habet P. Didacus disp. 4. q.4. dicto 2.& infra,quæ omnia ex se satis loquent: nam proculdubio à parte rei reperitur inter indiuidua eiusdem speciei conformitas quædam in operationibus, & proprietatibus, alijsq; signis existentis humanitatis,& supra hanc conuenientiam, seù cõformitatem operationũ fundat intellectus vnitatem formalem naturæ specificæ, & concipit eam, tãquam idem principiũ illarum proprietatum in illis omnibus indiuiduis;quã conuenientiam non inuenit intellectus inter Petrum,& leoné, seù aliud indiuiduũ alterius speciei, & sic formaliter non magis differt à parte rei Petrus à leone,& à Petra; quam à Francisco, bene verum fundamentaliter.

Dices, Arist.5. Met.cap.15. asserere,similitudiné,& identitaté fundari in vnitate:ergo si à parte rei Frãciscus, & Paulus sunt similes, erunt etiam vnum. Resp. Aristotelé loqui de vnitate fundamétali, quatenus indiuidua eiusdem naturæ sunt fundamentum vnitatis specificæ, & incapacia alterius distinctionis,quã formalis numericæ.

Modo restat rationibus adductis pro cõtrarijs sententijs satisfacere,& primo ad primã primæ sententiæ Resp. distin. antecedens:omnia indiuidua sub vna specie contenta conueniunt à parte rei in illa natura specifica:formaliter,neg. fundamentaliter,conc.id est à parte rei reperitur in illis indiuiduis quædã conuenientia, & conformitas in operationibus, proprietatibus,&c. & sic vtraq; illa consequẽtia est falsa,formaliter loquẽdo:ad probat.antecedẽtis,neg.sequela, ad cuius probat.Resp.quod à parte rei duo indiuidua eiusdem speciei, neq; cõueniunt formaliter in illa natura specifica, neq; formaliter differũt: ratio est, quia cõueniẽtia formalis, & distinctio formalis non sunt à parte rei,sed tantũ per intellectum: natura enim humana v.g. habet esse vnam formaliter nõ ex se,& à parte rei,sed per ipsum intellectum,

comparantem illam cómuné suis inferioribus, vt infra dicã: & sic nó bene dicimus: à parte rei illa inferiora formaliter cõuenire in illa natura humana, neq; distingui formaliter, & specifice, cũ à parte rei tantũ dentur vnitas numerica, & distinctio numerica, sęù Phisica, quæ oritur ex principijs Phisicis, & indiuidualibus.

Ex qua solutione possumus apertè fateri, à parte rei inter Petrum, & Franciscũ dari distinctioné formarum, nó auté formalé: pro quo nota, quod alia est distinctio formalis, alia verò distinctio formarũ: distinctio formalis oritur ex principijs formalibus, vel specificis, vel genericis: sicuti distinctio materialis propriè oritur ex principijs materialib[9], & Phisicis: & sic p distinctionem formalé intelligimus distinctioné specificam, vel genericã: at verò distinctio formarũ, quam ponimus à parte rei inter duo indiuidua eiusdem speciei, ortum habet ab ipsa diuersitate formarum, eo modo, quo in ipsis indiuiduis reperiũtur: & quia à parte rei alia est forma Petri, alia Pauli: siquidem alia est differétia indiuidualis, cum qua identificatur forma Petri, & alia differétia indiuidualis, cum qua idétificatur forma Pauli, ideò bene dicitur, quod inter Petrum, & Paulum reperitur distinctio formarum: cæterum hæc distinctio eadé omninò est à parte rei, cum distinctione indiuiduali, solum ratione differt ab illa: itaque quando opposita fuerit hæc propositio: inter Petrũ, & Paulum nó datur vnitas formalis: ergo datur distinctio formalis: negatur: sed bene datur distinctio formarum.

Sed cõtra solutionem assignatã huic primo arguméto potest esse obiectio: si vniuersale formale est per intellectum: ergo neq; à parte rei potest dari natura materialiter vniuersa, sęù fundamétaliter: patet consequentia, quia nec materia potest esse sine forma, nec forma sine materia: sed vniuersalitas est forma, quæ efficit naturã vniuersam formaliter: & ipsa natura à parte rei est materia, quæ ab vniuersalitate efficitur formaliter vniuersa: ergo vel ipsa

ſa vniuerſalitas debet etiam dari à parte rei cum ipſa natura: vel ipſa natura non poterit dari à parte rei, ſed ſolum per intellectũ. Reſp. quod quælibet forma denominat, & dat eſſe rei, eo modo, quo eſt in illa: ſi enim eſt actu in re, denominat illã actualiter: ſi verò tantum in virtute, denominat illam virtualiter, & in potẽtia, vt calor actualiter denominat ignẽ calidũ: quia actu eſt in igne: at verò, quia in ſole non eſt actualiter, nõ denominat illum calidum formaliter, ſed virtualiter. Item lignũ ſemper poteſt dici materia, quæ recipit formã caloris: ſed non ſemper dicitur actu calidum, niſi quando actu informatur à tali forma: quãdo verò nõ habet actu calorem, dicetur calidum in potentia: ſic etiam vniuerſalitas, quia non eſt actu extra intellectũ, ideò non datur res à parte rei actu vniuerſa formaliter: ſed, quia ſolum fundamentaliter, & in potentia eſt in ipſis rebus, ex eo, q natura, quæ eſt in Petro v.g. poteſt concipi communis pluribus, ideò denominat talem Petri naturã vniuerſam in potentia, ſeù fundamentaliter, ſeù materialiter.

Ad conf. Reſp. quicquid alij dicant: diſt. antecedẽs: duplex carentia, altera, quæ eſt pura negatio: altera verò, quæ eſt priuatio: iam ex ſecũda diſp. ſcitis, quid ſit negatio, & quid priuatio: vnitas eſt diuiſionis carentia, ideſt diuiſionis negatio, negatur: eſt diuiſionis priuatio, conc. priuatio enim eſt, quæ cõmenſuratur cũ forma, qua priuat, non negatio: cum negatio viſus in ligno non ſit deformitas, & conc. cõſequẽtiã, modo explicato: ad minorem, cũ dicitur, ſed indiuidua ſub vna ſpecie contenta à parte rei carẽt diuiſione formali: ſi erit ſermo de carentia, quæ eſt pura negatio, conc. ſi de carentia, quæ eſt priuatio, negatur: quia à parte rei cũ non reperiãtur, neq; poſſint reperiri diuiſio formalis, & vnitas formalis, quæ tãtum ſunt per intellectũ: hinc fit, quod neq; poſſit reperiri priuatio vnitatis formalis, ſeù diuiſionis formalis: & ſic negatur abſolutè conſequentia: ſicuti non eſſet leggitima hæc conſequentia: lapis non eſt priuatus viſu:

ergo est videns: antecedens certum est, cũ priuatio sit carẽtia formæ in subiecto apto nato: lapis nõ est aptus natus habere visũ: ergo nõ dicitur propriè priuatus visu: ex quo tamen non sequitur, quod sit videns: quia vtrũq; repugnat lapidi; qui dicitur negatus visu: sic cum rerũ natura, seclusa operatione intellectus nõ sit apta nata habere hãc diuisionem formalem, nec vnitatem formalem: nõ bene arguitur, Franciscus, & Paulus à parte rei carent diuisione formali: ergo sunt vnum formaliter: quia illa carentia dicit negationem, non priuationem.

Vbi not. quod licet exemplũ de lapide negato visu nõ currat pari passu; nihilominus tamen potest sic accõmodari nostro intẽto, itaut sicuti pro subiecto illius negationis visus assignatur lapis, qui dicitur ineptus ad habẽdũ visum: ita in proposito argumẽto ꝓ subiecto carentiæ diuisionis formalis non assignamus nos indiuidua ipsa vnius speciei: sed assignamus ly, à parte rei: & sic sicut lapis dicitur nõ habere capacitatem ad visum, vnde non dicitur priuatus visu, sed negatus: ita ly, a parte rei, seù res ipsæ seclusa operatione intellectus non habent capacitatem ad habendã vnitatem formalẽ, seù diuisionẽ formalem, & sic neq; priuationem vnitatis formalis, seù diuisionis formalis, sed purã negationẽ: scio alias esse responsiones huic argumento, sed omnes aliquã difficultatẽ nõ parui momenti includunt.

Ad secundum argumentũ, iam patet solutio ex dictis in quarta conclusione; ibi enim diximus, duo indiuidua eiusdẽ speciei esse magis similia, quam duo indiuidua diuersarum specierum, propter relationes similitudinis, & dissimilitudinis, quæ consequuntur eorum entitates, & naturas: dicuntur ergo duo indiuidua eiusdem speciei magis eadẽ, & minus diuersa, quam indiuidua diuersarũ specierum, ab vnitate fundamentali, quã illa habent à parte rei, non verò quia cõueniant formaliter in aliqua natura.

Ad tertiũ neg. antecedens, ad cuius probationem Resp. quod singulare potest duob' modis

modis cōsiderari, ſicut, & vniuerſale: materialiter ſcilicet, & formaliter: ſingulare materialiter eſt, quodlibet indiuiduum, in quo cōtracta eſt natura per differentiam indiuidualem: ſicuti vniuerſale materialiter ſūt plura indiuidua ſimilia in operationibus, quæ poſſunt fundare vnitatem formalē in aliqua natura: & ſicut vniuerſale formaliter eſt natura affecta formalitate vniuerſalitatis, & ſuperioritatis: ita ſingulare formaliter eſt natura ſingularis affecta formalitate ſubijcibilitatis, & inferioritatis: ſingulare primo modo ſumptum non eſt relatiuū formaliter vniuerſalis: benè verum ſecundo modo conſideratum, quo modo non datur à parte rei, ſed tantum per intellectum, ad quem pertinet denominare ipſum ſingulare ſubijcibile, & inferius, ſicuti ad eundem intellectum pertinet denominare ipſam naturā vniuerſam formaliter, prædicabilem, & ſuperiorem: nō enim datur extra intellectum ſuperius, & inferius, ſubijcibile, & prædicabile.

Ad primam cōfirmat. diſt. antecedens: nil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, vel per ſpeciem propriā, vel per alienā: & ſic licet vniuerſale, quod eſt in intellectu nō præexiſtat in ſenſibus per ſpeciē vniuerſalis formalis, præexiſtit nihilominus per ſpeciē vniuerſalis fundamentalis, & materialis.

Ad ſecundā cōfirmat. eodē modo poſſumus reſpondere, diſt. antecedēs, obiectum potētiæ debet præcedere potentiam, vel formaliter, vel materialiter, ſeù fundamentaliter: & ſic conc. min. & diſtinguo cōſequens; præcedere debet intellectum, modo expoſito, ſcilicet, vel formaliter, vel materialiter: & ſic licet vniuerſale ſecundum formalitatē vniuerſalitatis nō præcedat ipsā potentiā, cuius eſt obiectum, præcedit nihilominus materialiter, & fundamentaliter.

Vel ſecundo Reſp. maiorē illam eſſe falſā de ea potētia, quæ eſt operatiua ſui obiecti, qualis eſt intellectus reſpectu vniuerſi formalis, quod ipſe intellectus conficit, & efformat: vt autē illud efformare poſſit, ſufficit præexiſtāt plura

ra indiuidua à quibus possit abstrahere quandã naturam, ipsamq; concipere multis superiorem, vnamq; formaliter, in quo consistit ratio vniuersi formalis.

Ad arguméta secundæ sententiæ Resp. & primo ad primum; notando, quod istæ particulæ, secundum se, ex se, de se, per se, &c. bifariam possunt vsurpari, vno modo negatiuè, alio modo positiuè: negatiuè sumuntur, quando explicantur per negationem, idest non cum alio, sed solitariè: vt cũ dico, intellectus de se est, tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, idest solitariè sumptus, seclusis specieb⁹ intelligibilibus: & homo ex se nihil potest operari diuinæ gratiæ meritorium, idest solitariè sumptus, semotis auxilijs diuinis, cum solis viribus naturalibus: positiuè verò tunc sumuntur, quando denotant propriam rei essentiam, & naturã: vt leo habet ex se, quod sit rugibilis, &c. & hoc modo etiam dupliciter potest ly, ex se, vsurpari: vel in primo modo dicẽdi per se, vel in secundo modo: illud dicitur alicui ex se conuenire in primo modo dicẽdi per se, quod est de ipsius essentia, & sic, quod potest eius essentialem diffinitionem ingredi, vt ex se cõpetit homini esse substãtia, animatam, sensitiuam, rationalem: illud dicitur alicui conuenire in secundo modo dicẽdi per se, quod est propria passio, & ꝓprietas quarto modo illius: vt ex se in secũdo modo competit homini esse risibilé, &c.

His positis facilis est solutio ad argumẽtum, quarè Resp. dist. maiorem: diuersæ naturę rerũ ex se habent diuersas aptitudines ad existendũ in his, vel illis indiuiduis: si sumatur ly, ex se, positiuè; negatur: qa (vt vidimus) esse in multis, vel in vno, neq; competit naturæ in primo modo dicẽdi per se, neq; in secundo modo dicendi per se: sed tantũ hoc habet per accidens: si sumatur ly, ex se, negatiuè; itaut sit sensus: quod natura aliqua si sumatur solitariè, idest segregata à cõditionibus indiuiduãtibus, nõ repugnat illi, quod possit cõparari pluribus indiuiduis huius speciei, & non alterius: hoc verũ esse potest; & sic intel-

tellecta illa maior ꝑpoſitio, tranſeat,& cõcedatur minor: negatur tamen cõſequentia: quia hic ſtatus naturæ ſolitariè ſumptæ, tantum conuenit illi per intellectum, cuius eſt abſtrahere naturam à conditionibus indiuiduãtibus: non autem reperitur natura à parte rei ſolitaria, alias incideretur in opinionem de Idæis ſeparatis.

Ad ſecundum Reſp. conc. mai.& min.& neg. quod poſſe eſſe in multis ſit attributum cõueniens naturæ ſecundum ſe poſitiuè, ſiuè in primo,ſiuè in ſecundo modo dicẽdi per ſe,vt cõcludit argumentũ, ad cuius probat, Reſpondeo, ꝙ naturæ humanę ſecluſa omni operatione intellectus,tãtum cõuenit eſſe hanc ſubſtãtiam, animatam, ſenſitiuam, rationalem: cum ſecluſa operatione intellectus, tãtum reperiatur natura in ſtatu Phiſico, & indiuiduali: ſi autem ſumatur natura in ſtatu Metaphiſico, tunc verum eſt,quod illi conueniat ſecũdũ ſe,eſſe ſubſtãtiã animatam, ſenſitiuã, rationalem, vt ſic abſolutè; ad hunc autem ſtatum iam præſupponitur natura abſtracta per intellectum à conditionibus indiuiduantibus, non enim ſic reperitur à parte rei: nec verũ eſt, ꝙ ſubſtãtiæ, animatæ,&c. ſecundum ſe conueniat,poſſe pluribus communicari poſitiuè, cum hoc habeat per conceptum intellectus, licet fundamentaliter, & materialiter id verũ ſit, cum nõ repugnet illi naturæ,ſic abſtractæ,poſſe concipi in multis: & vt ſic nil probat argumẽtum;cum iam natura concipiatur abſtracta per operationem intellectus, quãdo in tali ſtatu reperitur, vt infra quæſtione ſequẽti clarius explicabitur: hæc autem non repugnantia, verum eſt, quod præcedit ipſũ actu eſſe in multis, tamen hæc præcedentia nõ ponit naturã extra intellectum, vt videbimus loco citato.

Ad conf.Reſp.omnem potẽtiam præcedere actum, vel in aliqua prioritate reali, vel rationis: & ſic trãſeat illa maior; & cõcedatur minor. diſt. primum cõſequens: ergo natura prius debet præſupponi vna,potens eſſe,& concipi in illis multis,fundamẽtaliter,&

Meta-

Metaphisi: è, concedo: & sic præsupponitur, quando iam est abstracta à conditionibus indiuiduantibus: vna .n. tunc est, & illi non repugnat posse cōcipi in multis ab intellectu, quę dicitur potētia negatiua, non positiua à Doctoribus.

Ad tertium Respō deo, naturam humanā cōsideratam secūdum se, quatenus scilicet solum respicit sua prædicata essentialia, esse proculdubiò vnam, & non vnitate numerica, sed vnitate essētiali, & Metaphisica: hanc autem vnitatem nō habet à parte rei, cum neq; possit in tali statu natura à parte rei reperiri: sed hic status præsupponit abstractionē à cōditionibus indiuiduantibus, quæ fit per intellectum: & licet illam vnitatē non habeat natura ab intellectu præcisè, & directè, cū neq; intellectus possit statū essentiæ alicui entitati reali tribuere: potest tamen dici, quod habeat illam ab intellectu indirectè; nisi enim natura esset ab illis conditionibus abstracta, non posset dici vna Metaphisicè: verū est, quod à parte rei (vt sæpè diximus) natura humana est vna, sed vnitate fundamētali, & remota, quæ vnitas consistit in illa conformitate operationum, & proprietatū, vt supra docuimus.

Ad confirmat. Resp. conc. maiorem, & disting. min. hæc sunt cōtradictoria, natura de se est determinata, & natura de se non est determinata: si sumatur ly, de se positiuè, siuè in primo, siuè in secundo modo dicēdi per se: illæ duæ propositiones sūt cōtradictoriæ, negatur: quia ly, esse determinatum, vel nō esse determinatū, neq; pertinere possunt ad essentiam, neq; ad proprietatem naturæ, quæ de se tātum respicit sua prędicata superiora: si verò sumatur ly, de se, negatiuè, itaut idem sit, ac solitariè, & se motis conditionibus indiuiduātibus, tunc concedimus, illas propositiones esse cōtradictorias: quare cōcedenda est prima cōsequentia: item concedatur secunda minor, nempè, quod nō conueniat naturæ solitariè sumptæ esse determinatā propter rationē ibi allatam: & etiam concedimus, naturā solitariè sumptam nō esse determinatam,

tem, & esse indifferentē, & ex consequenti vnam Metaphisicē: ex quo tamen non licet colligere: ergo à parte rei natura habet hāc vnitatem Metaphisicam, & indifferentiam ad vnum, vel ad plura: siquidem, vt diximus, status solitarius naturæ, reperitur tantum in intellectu, cū præsupponat abstractionē à conditionibus indiuiduantibus.

Dices: natura secundum se positiuè, & secūdū suum esse essentiæ, non habet, quod sit singularis: ergo, q sit vniuersa, & sic vna vnitate aliqua, à numerali distincta. Respondeo, neg. consequētiam, nam licet omne, quod est, sit singulare, vel vniuersale, nō tamen sub quacunque ratione, sicut omne corpus necessario, vel est album, vel non album, & aliquo alio colore affectum, neq; aliquod à parte rei reperitur, quod coloratum nō sit: hoc tamen non habet ex se: homo enim secundum suam essentiam, neq; est albus, neq; est nō albus: Ita natura secundū se, neq; est singularis, neq; est non singularis, neque vniuersalis, sed tantum dicit sua prædicata essentialia.

Sed dices: natura ante operationem intellectus nulli est propria: ergo est communis: consequētia patet à diffinitione ad diffinitum: illud namq; commune dicitur, quod nulli proprium est: antecedens autē probatur, quia ante operationem intellectus, natura nō est cur magis sit determinata ad hoc indiuiduum, qua ad esse alterius: ergo nulli est ꝓpria, & ex consequenti est communis.

Resp. neg. antecedens: ad cuius probationē dico, quod si consideremus naturā secundum se ab omni conditione indiuiduali seiunctā, verum est, quod nō sit magis cur determinetur ad hoc, quam ad illud, cum, vt sic, nulli sit propria: at verò quatènus est à parte rei, taliter est propria natura humana, quæ reperitur in Francisco, ipsimet Francisco, vt nullo modo possit alteri communicari.

Sed contra, natura à parte rei prior est ipsis singularibus: ergo saltē in illo priori nulli est propria, & ex cōsequenti communis: antecedēs patet:

nam prius eſt, quod ſit homo, quam quod ſit Petrus: quod etiam euidens eſt: nam illud dicitur prius altero, à quo nō conuertitur ſubſiſtēdi conſequentia: ſed non valet conſequentia ab homine ad Petrū: vt eſt homo? ergo eſt Petrus: ergo prius eſt, quod ſit homo, quam quod ſit Petrus; & ex conſequēti natura à parte rei, prior eſt ipſis ſingularib⁹.

Reſpōdeo, neg. antecedēs: ad cuius probat, Reſp. prius eſt, quod ſit homo, quā quod ſit Petrus, prioritate rationis; conc. prioritate aliqua tēporis, quæ ſit à parte rei, neg. nā à parte rei in eodem inſtanti in quo aliquis homo eſt, talis, vel talis homo eſt, Franciſcus nempè, vel Petrus: prius nāq; quā infundatur rationalis anima corpuſculo illi, ad eā recipiendam diſpoſito, in vtero prægnantis, neque homo eſt, neque talis homo: ac ſtatim, atq; infunditur illa, & homo dicitur, & talis homo: neq;.n. eſt aſſignare aliquod inſtans, in quo ſit homo, & non ſit talis homo in ſingulari: quādo verò probat, illud eſſe altero prius à quo ſubſiſtendi non conuertitur cōſequētia: Dico hoc tātum probare prioritatē rationis, quam nos concedimus: quia propoſitiones, & conſequētiæ ſolum fiunt per intellectum.

Obicies iterum. Vel naturæ repugnat cōmunitas, & vniuerſalitas, vel non repugnat: ſi repugnat: ergo nullo modo poterit illi conuenire: ſi non repugnat: vel id eſt ſecūdum ſe, vel ſolum per operationē intellectus: non per ſolā operationē intellectus: quia quādo intellectus cōcipit aliquā naturam multis inferioribus cōmunem, iam ſupponit illi non repugnare, poſſe ſic concipi: ergo ſecundum ſe nō repugnat illi.

Reſpondeo iuxta dicta, naturam poſſe cōſiderari in diuerſis ſtatibus, ſi loquamur de natura in ſtatu ſiſico, quatenus ſcilicet contracta eſt ad tale eſſe indiuiduale per differentiam aliquam indiuidualem, certū eſt, quod vt ſic repugnat illi actualis cōmunitas à parte rei: nō tamen repugnat illi poſſe abſtrahi ab intellectu, & concipi pluribus communem: ſi loquamur de

natura

natura in statu Metaphisico, sic non repugnat illi communitas, immo ò est in pxima dispositione ad hoc, vt possit ab intellectu fieri vniuersa, quasè dicitur in tali statu vniuersa negatiuè: hic autem status, iã præsupponit abstractionẽ, quæ est opus intellectus.

Dices. Scientiæ sunt de rebus, nõ de singularibus: ergo de vniuersalibus: sed non de vniuersalibus, quæ fiunt per operationẽ intellectus: quia dormientibus hominibus remanent scientiæ: ergo de vniuersalibus existentibus in rebus, aut ante intellectum.

Pro solutione istius obiectionis not. primo, quod in vniuersali (vt diximus) sunt duo, alterum materiale, & est natura ipsa, quæ denominatur vniuersa, & hæc natura reperitur ante intellectũ, & est obiectũ scientiæ, potestq; esse subiectum, vel prædicatũ in propositionibus sciẽtificis: alterum quod reperitur in vniuersali est modus ipse vniuersalitatis, à quo natura denominatur vniuersa, qui modus fit ab intellectu: & non est obiectum scientiæ, sed conditio obiecti: & nequit esse subiectum, vel prædicatum in propositionibus scientificis: hæ enim falsæ sunt. Petrus est homo in communi: homo est animal in vniuersali.

Secundo not. quod cũ vniuersale sit obiectum scientiæ, eisdem modis debet reperiri vniuersale, quibus reperitur sciẽtia. Scientia autem tribus modis potest reperiri, primo in potẽtia: & hoc modo esset, etiam si omnis intellectus, q potest habere scientiã careret illa: & tunc naturæ solũ essent vniuersales in potentia, idest etiam si nullus daretur intellectus actu concipiens illas cõmunes pluribus, adhuc nõ repugnaret illis sic cõcipi. Secundo modo potest reperiri scientia in habitu: quãdo homines, qui illam habent non applicant eam ad actum considerationis, vt patet in dormientibus, & huic sciẽtiæ respondet vniuersale in habitu, quale est in speciebus, quarum obiecta non cognoscuntur actualiter. Tertio, & vltimo reperitur scientia in actu, quãdo is, qui habet illam exit actualiter in actum cõsidera-

tionis, & huic correspondet vniuersale in actu.

His adnotatis, ad obiectionẽ Resp. conc. sciẽtiã esse de rebus vniuersalibus, itaut vniuersalitas sit modus, & conditio obiecti, nõ verò ipsum obiectum: & cum subditur: non de vniuersalibus, quæ fiunt ope intellectus: neg. ad cuius prob. dico, quod dormientibus hominibus, adhuc remanent scientię in habitu non in actu: & sic illis tunc etiam correspondent vniuersalia in habitu, quę sunt in speciebus intelligibilibus representatiuis eorum: modo explicato.

## SECTIO TERTIA.

*An vniuersum formale fiat beneficio intellectus Agentis, vel Patientis?*

PRO tituli explicatione primo not. est: duplicẽ in nobis reperiri potẽtiam cognoscitiuam, alteram sensitiuã, quæ dicitur sensus: alteram intellectiuã, quæ dicitur intellectus: hæc est proculdubio priori dignior: licet sensus, ordine originis, & exequtionis, prior sit intellectu: cum nil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Diffinitur sensus ab Arist. 3. de Anima cap. 1. facultas animæ sensitiuæ habens vim recipiendi species rerum sensibiliũ sine materia, & sine obiecto: idest potentia sensitiua cognoscitiua recipit speciẽ sui obiecti, absq; eo, quod obiectum, vel aliquid materiale ipsius potentiam ingrediatur, vt immago sigilli imprimitur in cera, absq; eo, quod sigillum ipsam cerã ingrediatur: & immago Petri imprimitur in speculo, absq; eo, quod Petrus ingrediatur speculum. Hæc autem species dicitur species sensilis, seu sensibilis, & diffinitur: immago, vel similitudo prouenienś, ex obiecto in potentiã representans ei ipsum obiectum, sicuti est à parte rei; vt immago prouenieńs ex colore in visum represẽtat visui ipsum colorẽ, sicuti est à parte rei, & hæc dicitur species

sensilis

sensilis coloris. Obiectũ verò sensus est id, quod mouet sensum, vt ab eo percipiatur, vt color, respectu visus: sonus, respectu auditus, &c. Hoc autẽ duplex est, alterum per se, quod ratione sui mouet potentiam sensitiuã, vt color, &c. alterũ per accidens, quod ratione alterius mouet ipsam potentiam; vt paries, qui percipitur à visu ratione coloris in ipso pariete existentis.

Sensus autẽ duplex est: internus, & externus: externus diuiditur in quinq; corporis sensus, nempè in Visum, Auditum, Odoratum, Gustum, & Tactum. De numero sensuũ internorum extat grauis controuersia inter Philosophos 3. de Anima: Cõmuniter tamen quatuor enumerãtur, scilicet sensus communis, fantasia, vis æstimatiua, seù cogitatiua, & memoria: sed Conimb. 3. de Anima cap. 3. q. 1. art. 3. cum Theoph. ad tex. 162. eiusdem libri, existimant, in nobis tantum dari duplicem sensum internũ, nempè sensum communem, & fantasiam: sed hac prætermissa controuersia in suum locum, tantũ explicabimus, quid sit sensus cõmunis, & quid fantasia: quia hi duò sensus solummodo ad nostrũ propositum faciunt.

Sensus ergo communis est potentia animæ sensitiuæ interna, quæ immediatè recipit species sensiles obiectorum à sensibus externis, propriasq; eorum differẽtias cognoscit. Ex qua diffinitione duo colligũtur esse officia sensus cõmunis: primum, recipere species immediatè à sensibus externis: secundum, distinguere obiecta sensuum externorũ, & cognoscere proprias eorũ actiones: etenim sensus communis distinguit colorẽ à sapore, &c. tùm etiã cognoscit visum videre, auditum audire, &c. quod ipsi sensus externi præstare non possunt: nam cum sensus supra suum actũ reflecti nequeat, ideò constituitur in nobis hæc potentia sensitiua interna, scilicet sensus communis: cuius propria sedes est in prima parte cerebri, quæ est maximè humida, & ita species facilè in ea imprimi possunt, nõ tamen diù retinẽtur, quamobrem datur in nobis alia potẽtia interior sensi-

sensitiua, quæ dicitur fantasia, quæ diù retinet huiusmodi species, propter accomodatum temperamentū illius partis cærebri, in qua existit.

Hæc autē diffinitur, facultas animæ sensitiuæ interna, quæ recipit immediatè species sensiles à sensu cōmuni, illasq; diù retinet, & conseruat, & aliquādo inter se componit, & vnit. Ex qua diffinitione tria colligūtur fantasiæ officia: primum est, recipere species sensiles à sensu cōmuni: secūdum est, illas diù conseruare: tertiū est, illas aliquādo inter se vnire: & ob hanc causam in hac potentia contingunt somnia. nam cum in ea recipiātur species sensiles: possunt aliquando in illa plures illarum inter se coniungi, v.g. species montis, & species auri, & tunc immaginamur montem aureum, &c. species existentes in hac potentia dicuntur phantasmata, desumpto nomine ab ipsa potentia.

Secundo not. (vt idē Arist. docet 3. de Anima cap. 5.) duplicē esse in nobis intellectū, possibilem, siuè passiuū, siuè patibilem, siuè patientem, & agētem. Possibilis intellectus diffinitur, facultas animæ rationalis à corpore separata, & expers omnis materiæ, quæ potest rerum omniū naturas, & essentias cognoscere: dicitur primo, facultas animæ rationalis, vt distinguatur à sensu, qui est facultas animæ sensitiuæ: dicitur, a corpore separata, non quia intellectus nō existat in corpore: nam cum intellectus sit facultas animę, quādo hæc est corpori vnita, etiam ipse intellectus in corpore existit: sed quia intellectus ad intelligendum, non est affixus organo corporeo, vt sensus: dicitur, rerum omniū potēs naturas, & essentias cognoscere; quia species omniū rerum ei representari possunt: & ob hanc causam dicitur patibilis: quia in se recipit species intelligibiles: recipere autem est quodam pati, nō passione destructiua, sicut aqua patitur ab igne, dum calefit: sed passione pfectiua: perficitur enim intellectus recipiendo illas species ītelligibiles, sicut luna dicitur perfici, dum à sole recipit lumen.

Et quia intellectus noster (vt

(vt Philosophus docet)est tãquã tabula rasa, in qua nihil est depictum, idest nullam in se habet speciem intelligibilem, quæ determinet ipsum intellectum ad cognoscendũ hoc, vel illud obiectũ, necessario eas aliũde acquirere debet: cumq; nequeat eas solũ accipere à rebus sensibilibus, & corporeis: corporeũ, nãq; & sensibile non potest agere in id, quod est purè spirituale;ideò ponitur in nobis altera facultas ĩtellectualis,cuius vi producuntur species intelligibiles, & hæc dicitur intellectus agens, qui potest diffiniri,facultas animæ rationalis immaterialis, & incorporea, quæ illustrando fantasmata producit species intelligibiles,quas in se non recipit,nec per eas quicquam cognoscit. Illustrare autem fantasmata nil aliud est, quam intellectũ agentem lumine suo eleuare fantasma,vt possit simul cum ipso producere speciem intelligibilẽ in intellectu patibili. Vnde species intelligibilis solet diffiniri, immago,vel similitudo obiecti producta à fantasmate illustrato,& simul ab intellectu agẽte, representãs ĩtellectui possibili id totum, quod latebat in fantasmate: & hęc dicitur species impressa, quia imprimitur ipsi intellectui: præterquã datur alia, quæ dicitur expressa, & est conceptus ille, quem profert intellectus de obiecto cognito.Vnde colligi potest,speciẽ impressam produci ab intellectu agente, & à fantasmate illustrato:expressa verò ab intellectu patibili, ad quẽ pertinet cognoscere, & ab obiecto cognito,iuxta illud Aristotelicum, ex obiecto,& potentia paritur notitia.

Tertio not. quod abstractio est separatio vnius ab altero: quæ duplex est, realis, & rationis: realis abstractio est realis separatio vnius ab altero, vt quando præscinditur brachium à corpore, &c. abstractio verò rationis est separatio vnius ab altero, per potentiam cognoscentem, quæ duplex est, altera sensus,altera intellectus: abstractio sensus est, qua potentia sensitiua cognoscit vnum, non cognoscendo alterum, vt quando oculus v.g. cognoscit colorẽ pomi,

pomi, nil sibi de sapore, &c. abstractio intellectus est cognitio alicuius naturæ secundum sua attributa essentialia, præscindendo eam à conditionibus indiuiduantibus, vt quando intellectus cognoscit naturam humanã Petri, præscindẽdo à petreitate, vel etiã quando intellectus concipit vnum attributũ non concepto altero, &c.

Quarto not. quod abstractio duplex, affirmatiua, & negatiua: abstractio affirmatiua, (& loquor de abstractione rationis, & per intellectum) est quando intellectus intelligit aliquid nõ esse in alio, vel esse separatum ab alio, idq; affirmando ita esse, vel non esse: vt quãdo intellectus cõcipit naturam à singularibus separatã, affirmatq; ita esse à parte rei: abstractio verò negatiua, quæ solet etiam appellari præcissiua, est quando intellectus concipit vnũ, non concipiẽdo alterum, quæ dicitur præcissiua: quia hac abstractione intellectus præscindit vnũ ab alio; quæ tamen in rè adunata sunt, nõ tamen affirmando, vel negando ita esse, vel non esse: prima abstractio potest recipere falsitatem: nõ tamen secunda, & de hac intelligenda est illa propositio Arist. 2. Phis. tex. 18. abstrahẽtium non est mendaciũ: idest, abstractione præcissiua, seu negatiua: quod autẽ vim habeat intellectus vnum ab alio præscindendi, seu cõcipiendi vnũ non concepto altero, patet: nam hæc eadem vis videtur esse in sensibus ipsis: visus namq; percipit colorẽ pomi, non percipiẽdo odorem, vel saporem illius, quamuis hæc omnia in rè coniuncta sint: cur ergo hæc eadem vis intellectui denegabitur?

Ex his facile colligi potest contra ferè omnes recentiores, munus abstrahendi non cõuenire propriè, & in rigore intellectui agenti, sed tantum intellectui passibili: quod sic potest suaderi facilè: nam abstrahere, vel dicit hoc, quod est ab alio trahere, & vnũ ab altero præscindere, & separare, vel ad se trahere: sed neutrum horũ conuenit intellectui agenti: non ad se trahere: quia trahẽdo in se, reciperet, & recipere est pati (vt diximus)

mus) quod non cõpetit agẽti intellectui: non ab alio separare: nam qui vnũ ab alio separat, seu præscindit, necesse est, vel vtrũq; cognoscat, vel saltẽ id, quod separat ab alio: vt patet in omnib⁹ abstractionibus: oculus.n. dicitur præscindere, & separare colorem à sapore: quia percipit obiectum suum, nempè, colorem: gustus dicitur separare saporem ab odore, &c. quia etiam suo modo percipit saporem esse obiectũ suum: sed intellectus agens nullo modo cognoscit (vt fatentur omnes) cum cognoscere pertineat ad possibilem intellectum: ergo neque ad ipsum pertinet præcissio, seu abstractio. Munus ergo intellectus agẽtis solum est, illuminando fantasmata, reddere illa, quæ in potentia sensibili sensilia sunt obiecta, spiritualia, vt possint ab intellectu possibili cognosci: quod efficit lumine suo; quod si hoc velint Doctores abstractionem nuncupare, id erit improprie, & largo modo: pertinet ergo abstractio ad intellectum possibilem.

Præter abstractionẽ datur in eodem intellectu possibili quędam alia operatio, quæ dicitur comparatio, siuè collatio; qua cõparat, & confert naturam illam abstractam ab inferioribus cum ipsismet inferioribus: & sic natura, quæ per abstrationem concipiebatur separata à singularibus, p comparationẽ percipitur cũ illis vnita. Hęc autem comparatio (vt optimè adnotant Iuniores aliqui) duplex est, simplex, & cõposita: simplex est, quando intellectus concipit vnũ in altero sine affirmatione aliqua, simplici nãq; conceptu cõcipere possum albedinem in pariete, animalitatem in cane, &c. sine eo, quod enũciem per propositionem affirmatiuam, albedinem esse in pariete, & animalitatẽ conuenire cani, &c. comparatio verò composita est, cum intellectus concipit vnum attributũ in ordine ad inferiora, vel esse in ipsis inferioribus affirmando illis conuenire, vt quando cognoscit, risibilitatem conuenire homini, & nõ leoni, &c.

Quinto sũmopere recolenda est doctrina illa, quam tradidi-

didimus de diuerso statu naturæ sect. præced. & præsertim de duplici vniuersali, materiali nempè, seù Metaphisico, seù negatiuo, quod est ipsa simplex natura, à conditionibus indiuiduátibus abstracta per intellectũ, cum ordine tantum ad sua prædicata superiora, & essentialia: & Logico, seù formali, seù tandé positiuo, quod est ipsamet natura, cũ ordine ad sua inferiora præcisè. His adnotatis: quæstio est: Vtrùm natura recipiat denominationé vniuersalitatis ab illa illustratione intellectus agentis, vel ab intellectu possibili? & si ab intellectu possibili, an per abstractionem; an verò per comparationem? & si per comparationem; an per cõparationé simplicem? an verò per comparationem compositam?

Sed vt certum ab in certo separemus: fateor tanquã certissimũ in hac quæstione, contra Caiet. in opusc. de ente, & essentia cap. 4. q. 6. Sotũ q. 3. vniuersalium. Zumelem p. p. q. 13. art. 7. conclu. 3. & alios, quibus etiam videtur aliquo modò adherere Tolet. q. 2. vniuersalium in fine: naturã non fieri vniuersalé per illam illustrationé intellectus agentis, quam hi Doctores improprio vocabulo, abstractioné appellant: quod sic ostendo: iam diximus vniuersalitatem esse secundam notionem obiectiuam, & sic ens rationis: ergo ad illam potentiam pertinet vniuersalitaté rebus tribuere, ad quã pertinet efformatio entis rationis: sed ens rationis nequit fieri ab intellectu agente: ergo, &c. mi. patet: quia totũ esse entis rationis consistit in cognosci actu: sed intellectus agens non cognoscit quicquã, vt supra diximus, ergo nequit ens rationis efformare, & ex cõsequenti, neq; vniuersalitatem rebus tribuere.

Secundo id idem probatur: munus intellectus agétis est, illustrando fantasmata repræsentare intellectui possibili omne id, quod latet in illis: ergo repræsentat naturã cum conditionibus indiuiduantibus: & indiuiduam, & singularem: ergo per hanc illustrationem nequit natura vniuersalitaté recipere: antecedens

certum

certum est: nil enim aliud intellectus agens efficit, quam representare intellectui possibili species, quæ in fantasia resident, modo tamen spirituali: prima cõsequentia etiã patet: nam quælibet species, quæ est in fantasia est cũ suis conditionibus indiuiduantibus, & ex consequenti indiuidua, & singularis: sed intellectus agens intellectui possibili representat speciem cum his omnibus, quæ latent in illa: ergo illã representat cũ conditionibus indiuiduantibus, & ex cõsequenti singularem. Solum ergo quæstio est de intellectu possibili, nimirum p quam operationẽ ipsius fiat natura vniuersa?

Cuius quæstionis resolutionem facilẽ omninò existimo, bene adnotatis his, quæ supra adnotauimus. Quare dicendum primo; naturam separari à conditionibus indiuiduantibus, per abstractionem intellectus possibilis, per quam separationẽ fit natura vniuersa Metaphisicè, siuè negatiuè: vbi nota, quod tanquam certum fateor, singulare cognosci ab intellectu per propriã speciem, immò esse primo cognitum ab intellectu; cum natura sic representetur illi ab intellectu agente (vt latissimè dicã primo Phis. dante Deo:) cognoscit ergo potentia obiectum sibi singulare, modo tamen spirituali, & ab hoc singulari abstrahit naturã, itaut percipiat illam, non perceptis cõditionibus indiuiduãtibus, & illa natura sic abstracta dicitur vniuersa Metaphisicè: quia in eo statu est indifferẽs ad vnum, & ad plura: siquidẽ intellectus potest illã conferre vnico tãtum indiuiduo, & tunc per illam præcisè collationem erit iterum singularis; & etiam cõferre illam potest pluribus inferiorib⁹, vnde tũc erit positiuè vniuersa.

Secunda conclusio: nõ sufficit abstractio intellect⁹ possibilis ad reddẽdam naturam vniuersam formaliter, & Logicè: patet, quia per abstractionem nil tribuit intellectus naturæ, sed potius aufert; tollit namq; conditiones indiuiduantes, numericamq; vnitatem: quod si remanet vniuersa Metaphisicè, hæc vniuersalitas non est aliquid superad-

ditum ipsi naturæ: sed potius est quædam indifferétia, quæ essentialiter consequitur statum illum, quarè dicitur vniuersalitas negatiua: sicut etiã potest dici singularitas negatiua: quia non est actu singularis: tamen nõ repugnat illi: sicuti, licet nõ sit actu vniuersa: non tamen illi repugnat, & illa vnitas quam habet, licet non sit vnitas numerica, neq; vnitas Logica: est tamen vnitas Metaphisica, siuè negatiua, quæ sequitur statũ ipsum Metaphisicum naturæ.

Sed dices: supra dictum est, ad vniuersalitaté duo requiri: alterum, quod natura sit in multis cum sui multiplicatione, quod habet ipsa natura à parte rei: alterũ, quod sit vna: sed iam natura in hoc statu abstractionis est vna, & à parte rei est in multis: ergo iam redditur vniuersa formaliter.

Respondeo; verum esse, illa duo requiri ad vniuersalitaté formalem, nempè, quod sit in multis natura, & ꝙ sit vna: sed hoc sic debet intelligi, quod vna cõcipiatur in illis multis: nam à parte rei natura humana, v.g. in quolibet indiuiduo vna est, & in multis multiplex: vnde debet concipi in multis vna: in statu autem abstractionis, licet natura sit vna, nõ tamen dicitur vna in multis, cum tantum respiciat sua superiora, non verò inferiora: vel si respicit, saltem relatione transcẽdẽtali, tantum respicit illas conditiones indiuiduantes, à quibus abstracta est: & sic poterit dici vna ab vno, scilicet indiuiduo, non autem in pluribus: vbi nota, ꝙ intellectus potest abstrahere naturam humanã à Petro solum: & potest abstrahere à Petro, Francisco, Carolo, &c. natura abstracta à Petro solo, est vna realiter, neque potest esse plures realiter, bene verũ in pluribus, sed per rationem: at verò naturæ abstractæ à pluribus in illo statu abstractionis præcisè, non sunt vna natura, sed plures realiter: quia sunt plura obiecta potentia terminare plures actus intellectus, realiter diuersos: tamẽ possunt esse vna natura ꝑ intellectum, si conferat illas ad inuicem.

Sed iterum obijcies. Natura redditur indiuidua quãdo

per

per differentiam indiuidualē contrahitur ad tale esse: ergo quādo à tali differentia indiuiduali abstrahitur per intellectum, erit vniuersa. Respondeo, conc. antecedens: distin. consequens: ergo quādo abstrahitur à cōditionibus indiuiduātibus erit vniuersa: Metaphisicè, conc. Logicè, neg. idest erit non singularis: per abstractionem enim nil positiuum resultat in natura, sed solum tollitur per actum præcissionis indiuidualis conditio, & redditur vniuersa Metaphisicè, seù negatiuè, quod mediat inter singulare, & vniuersum formale.

Tertia conclusio: vniuersū formale fit per comparationem. Hæc est hodie communiter recepta: defenditur à D. Thom. q. 7. de potentia art. 1. opusc. 48. cap. 1. & 2. à Caiet. postea in sua Log. cap. de generatione: à Soncin. 10. Met. q. 15. Iauel. tract. 4. Log. cap. 2. Suar. 1. to. Met. disp. 6. sect. 6. nu. 8. licet P. Didaco à Iesu videatur peculiaris quædam sententia, opinio ipsius Suar. dum docet, vniuersale dupliciter concipi posse: primo vt quid absolutum, quod potest relationem aliquam fundare: secundo, vt relatiuum formaliter dicens ordinem ad inferiora: ad absolutum (inquit) non est necessaria cōparatio: tamen relatiuū necessario fit per compationem. Cæterum P. Suar. per vniuersum absolutū, intelligit vniuersum Metaphisicum, seù negatiuum, quod nō sit per comparationem, sed per abstractioné, vt vidimus: per vniuersum verò respectiuum, intelligit vniuersum Logicum, seù formale, & positiuum: itaq; non est opinio singularis: fauet etiā huic conclusioni idem P. Didacus disp. 4. q. 4. & est expresſè, nō solum cōtra authores cit. qui asserebāt fieri ope intellectus agentis: sed etiam cōtra Dur. in 1. dist. 3. q. 3. Flandriam 7. Met. q. 17. & alios nonnullos, qui tenent, vniuersale formale fieri per abstractionem intellectus possibilis: non verò per comparationem.

Potest hæc cōclusio facilè sic probari, primo ex diffinitione ipsius vniuersi formalis: vniuersum formale diffinitur vnum in multis cum sui

multi-

multiplicatione: ergo nequit natura hanc vniuersalitatem recipere, nisi concipiatur in ordine ad multa: sed hoc nō potest fieri per abstractionē, siquidem quādo intellectus aliquam abstrahit naturam, potius segregat illam ab inferioribus, quam concipiat illis cōmunē: ergo id fit per comparationē: totus discursus legitimus est: primum antecedens est euidens, consequentia certa: nam si essentia vniuersalis formalis consistit in hoc, quod est, esse vnum in multis, nequit aliter concipi, quam in ordine ad multa. mi. exactè explicata est: aliud .n. est, concipere aliquid in aliquo, aliud verò cōcipere aliquid sine alio, vel non cum alio, vel seiunctum ab alio: p abstractionē intellectus concipit naturam, non concepto aliquo inferiori; ergo per abstractionē nequit natura vniuersalitatē accipere: ex quo sequitur, id fieri per comparationem, qua intellectus confert naturā cum indiuiduis.

Confirmatur, quia relatiua sunt simul natura, & cognitione: cum cognito vno cognoscatur statim, & reliquum: sed vniuersum formale est relatiuum, refertur enim essentialiter ad inferiora: ergo nequit cognosci sine tali ordine, & ex cōsequenti nequit natura induere denominationē vniuersalis formalis, nisi cognognatur cū ordine ad inferiora: quod fieri nequit beneficio abstractionis (vt vidimus) ergo beneficio cōparationis. ma. est certa. minor etiam patet ex eius diffinitione: consequētia verò probatur, quia si aliquid posset sine aliquo ordine cognosci, esset absolutū, non respectiuum: ergo si vniuersale formale posset cōcipi sine ordine ad inferiora, non esset relatiuum.

Secūdo probatur, quia sunt aliquæ naturæ specie diuersæ, quæ tamen à parte rei conseruātur in vnico indiuiduo, vnde non habent multiplicationem, vt sunt natura Solis, Lunæ, Phœnicis, &c. & secundum sententiam D. Tho. quilibet Angelus constituit suam speciē (licet aliter apertè sentiā ipse in meis quæstionibus quodlibeticis, quæ Deo dante typis etiā, si meis superioribus

bus luce dignæ videbuntur, quam cito tradētur) quomodo ergo huiusmodi naturæ denominationem vniuersalis Logici accipient, nisi ab intellectu conferantur, & comparētur pluribus indiuiduis, saltem possibilibus?

Sed petes, per quam comparationē natura fit vniuersa formaliter? Respōdeo, quod duo habet vniuersum formale: primum est, esse in multis: secundum verò, prædicari de multis: primum pertinet ad eius essentiam: secundum ad propriam passionem (vt diximus ad calcē sect. primæ huius disp.) esse in multis præcisè habet natura per comparationem simplicem, per quam cōcipitur ab intellectu in suis inferiorib⁹, sine affirmatione aliqua: & per hanc actionem fit verè vniuersa formaliter: etiā si impossibilis esset composita cōparatio: natura per hoc, quod est esse in multis constituitur essentialiter in ratione vniuersi formalis. Prædicari verò de multis habet natura per cōparationē compositam, qua cōcipitur, vt cōueniens suis inferioribus: prima comparatio pertinet ad simplicium apprehēsionem: secūda verò ad iudicium, ita videtur asserere Vazq. p. p. disp 213. cap. 3. quantum ad hoc secundum.

Ex hoc colligitur solutio cuiusdam tacitæ obiectionis, ex Aristo. desumptæ 1. lib. de interpret. cap. 5. vbi definiens vniuersum dicit. Dico autem vniuersale, quod de pluribus aptū est prædicari: ergo essentia vniuersalis (colligunt nonnulli recentiores) nō consistit in illa actuali comparatione naturæ in multis, sed in aptitudinali, quam aptitudinem habet natura per abstractionem, tunc enim cum sit indifferens, dicitur apta ad essendum in multis, & prędicandū de multis. Resp. enim, non dixisse Aristotelem, vniuersum esse illud, quod in pluribus aptum est esse: immò quādo loquitur de hoc esse in multis, illud exprimit per actum, nō verò per aptitudinē, vnde 7. Met. tex. 13. docuit, vniuersum esse vnū in multis, actu, intellige, non in potentia: sed dixisse, vniuersum esse illud, quod de pluribus aptum est prædi-

prædicari, definiens ipsum per propriam passionem, non per essentiam: non enim cõstitui tur natura in ratione vniuersi formalis, nisi actu cõcipiatur in multis per cõparationem simplicem, & in eo conceptu non prædicatur actu natura de multis, & sic in eo conceptu natura potest dici apta ad prædicandum de multis, quæ aptitudo reducitur ad actum per comparationem compositam: quæ duo cõparationes ita se habẽt ad inuicẽ, vt vna nequeat esse sine alia: imò in eodem instanti, in quo intellectus concipit naturã in multis, simplici conceptu comparatiuo, concipit etiam conuenientiã naturæ cum illis multis, cõceptu composito: tantũ ergo reperitur inter hos duos cõceptus distinctio quædam, & prioritas rationis; vt diximus in fine sect. 1. huius disp.

Ex quo etiam colligitur falsitas illius opinionis, quæ docet, naturam fieri vniuersam per comparationem compositam præcisè, & quod esse in multis nullo modo differat à prædicari de multis; & sic posse de multis prædicari, posse esse in multis, actu esse in multis, & actu de multis prædicari, idem omninò esse etiam per rationem, quæ sententia ex dictis satis refellitur, quodq; essentia vniuersi formalis nõ consistat in illa actuali prædicatione de multis, optimè probatur à Patre Didaco disp. 4. q. 4. in 4. sententia sic: nunquã natura potest vnico intellectus actu de multis prædicari: ergo nunquam natura poterit esse vniuersa: patet consequentia: quia si ratio vniuersi cõsistit in actuali prædicatione de multis, si est impossibilis hæc actualis prædicatio, erit etiam impossibile vniuersum formale: nam vbi essentia alicuius entis est impossibilis, necessario erit etiã impossibile tale ens, quod supponebatur constitutum per talem essentiam: antecedens probatur omnis actualis prędicatio est vnius de vno: quod patet inductione, hæc prædicatio; Frãciscus est homo, est vnius naturæ humanæ de vnico indiuiduo: & sic est omnis prædicatio specifica: non .n. esset bona hæc prædicatio; Franciscus, Petrus, & Paulus sunt homo,

homo, vt patet: sed sunt homines, quæ prædicatio esset plurium de pluribus: nam per ly, homines, plures denotantur homines, nō vnus: à parte etiā subiecti stāt plura indiuidua: ergo nunquam natura potest vnico intellect⁹ actu de multis sibi inferioribus prędicari: sicuti vnico intellectus actu potest in multis concipi: ergo si essentia vniuersi consisteret in actuali pdicatione de multis, nunquā natura posset esse vniuersa formaliter.

Dices, hāc prædicationem naturæ de pluribus fieri succesiuè, & sic pluribus actibus intellectus, vt Franciscus est homo, Petrus est homo, Carolus est homo, &c. en quomodo natura humana de multis prædicatur.

Sed contra: quia quando intellectus cōficit primā prædicationē, nempè, Franciscus est homo, vel hæc prædicatio est de multis, vel de vno, non de multis, vt patet: ergo in hac prædicatione natura nō est vniuersa: sic etiam quādo secundā conficit prædicationem, Petrus est homo, neq; in hac pdicatione pręcisè, natura potest dici vniuersa, siquidē prædicatur de solo Petro, & sic etiam de vltima: quādo ergo natura cōstituetur in ratione vniuersi formalis? quia non est maior ratio de primā prædicatione, ac de vltima: sed nulla prædicatio est de pluribus: ergo nulla erit vniuersalis: patet, quia, per vos, ratio, & essentia vniuersalis est actu prædicari de plurib⁹: sed nunquā conspicitur natura esse in hac actuali prædicatione de multis: ergo nunquā poterit dici vniuersa formaliter: & nota quod procedit argumentum, præsertim de natura specifica: licet etiam de natura generica conuingat: nam genus est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus: & si ratio vniuersi consisteret in actuali prædicatione de illis plurib⁹, nunquā natura generica habebit rationē vniuersi formalis, quia nunquam vnica actuali prædicatione prædicatur de omnibus, vel pluribus speciebus sub se contentis, vt discurrēti facile patebit.

Secūdo insurgo: quia quando natura prædicatur de vno

indiuiduo, vel actu etiã prædicatur de reliquis, vel habet potentiam, & aptitudinẽ ad prædicãdum de illis, non primum, vt patet: ergo secundũ, tunc sic: natura certè tunc est vniuersa: sed nõ est vniuersa, ex eo, ꝙ prædicatur actu de vno: ergo est vniuersa, ex eo, quod habet aptitudinem ad prædicãdum de reliquis: sed ideo habet aptitudinẽ; quia concipitur in illis multis simpliciter ab intellectu: ergo natura constituitur vniuersa formaliter per hoc, ꝙ actu cõcipitur simpliciter in multis.

Ex dictis sequitur quomodo fiat obiecti alicuius intellectio, & vniuersi formalis effformatio: fit itaq; hoc modo videlicet. Petrus positus ante potẽtiam visiuam, per mediũ diaffanũ imittit speciẽ quandam intentionalem in potentiam visiuã, qua specie recepta in ipsa potentia elicitur actus vidẽdi. Hæc species simul cum potẽtia visiua producit aliam in sensu communi, qui ea recepta distinguit accidentia Petri inter se, & cognoscit visum videre: & quia in hoc loco nõ possunt species conseruari diù propter humiditatẽ, ideò producitur alia, quæ recipitur in fantasia, & ibi diù conseruatur, ac proinde fantasia dicitur Thesaurus specierum sensibilium. Tunc intellectus agens illustrat hãc speciem, quæ illustrata simul cũ ipso intellectu agente producit speciem in intellectu passibili, quæ repræsentat id totũ, quod latebat in fantasmate, nempè accidentia Petri, differẽtiã eius indiuidualẽ, & attributa essentialia ipsius. Tũc intellectus passibilis cognoscit Petrum, postea abstrahit naturam humanam, cognoscendo eam secũdum se, & secundum sua attributa essentialia non cognitis conditionibus indiuiduantibus: postea verò hanc naturam humanam sic abstractam cõcipit in multis indiuiduis inferioribus simplici apprehensione: nam in omnibus cognoscit esse substãtiam, animatã, sensitiuam, rationalem; tandem comparatione composita cognoscit verè illam conuenire illis inferioribus, in quibus apprehendit conuenientiam quandam operationũ, & non alijs

alterius

alterius speciei, quæ concipit dissimilia in operationibus, & sic conficit prædicationes affirmatiuas, & negatiuas, vt Petrus est homo, canis nõ est homo, &c. & hoc modo procedit intellectus in efformatione vniuersi formalis.

## SECTIO QVARTA.

*An vniuersale formale sit Genus ad quinq; vniuersalia Porphyrij, eorumq; subiectum?*

Titulus præsentis quæstionis vnum supponit, & duo quærit: supponit quinq; esse, nec plura, nec pauciora Porphy. prædicabilia: quærit autē primo, an eorum immediatū genus sit vniuersum formale: secundo, an hoc vniuersum formale sit huius tractatus subiectū: quantum ad id, quod supponitur not. primo, quod ad rationē vniuersi formalis plura requiruntur: in primis namq; requiritur, quod sit natura finita; vnde Deus nequit habere rationē vniuersi formalis. Debet esse natura completa; hinc est, quod Anima quãdo cõfertur cum hac, & illa Anima de quibus potest prædicari non debet dici vniuersa formaliter. Debet vno nomine significari: vnde est, quod definitio, quando cũ fertur, cum indiuiduis ipsius naturæ, cuius est definitio non dicitur vniuersa formaliter: quia est oratio, & sic quid compositũ ex pluribus vocib⁹, vt Animal rationale, quãdo prædicatur de Francisco, Carolo, &c. Debet insuper vniuersè prædicari; qua de causa ens cum confertur cum substantia, & accidēti, de quibus analogicè prędicatur nõ est vniuersum formale: præterquamquod ens et ã excluditur à ratione vniuersi formalis: quia non significat naturam cõpletam: sed abstrahit à cõpleta, & incompleta. Debet deinde prædicari directè, qua de causa substantia, quãdo prædicatur de partibus, sēu de substantijs incompletis, vt Anima est substãtia, &c. de que differentijs

essentialib⁹, vt rationalitas est substãtia, sensibilitas est substãtia, &c. quæ ponuntur à latere prædicamenti, nõ ex hoc dicitur vniuersalis formalis: quia cum vniuersale debeat prædicari, tanquam attributũ superius de inferioribus cõstitutis, debet se habere quasi forma in illis recepta: substãtia autem non se habet, quasi forma rerum differentiarum essentialium, cũ vnius formæ nõ detur alia forma. Item debet prædicari affirmatiuè, nõ negatiuè, vt si qs diceret leo non est hoc album, lapis non est hoc album, Petrus non est hoc album, signato aliquo albo: non est ly, hoc album, vniuersale: quia vniuersale cõstituitur per ordinem ad illa, de quibus affirmatur, & non de quib⁹ negatur. Debet insuper esse natura determinata: vnde indiuiduũ vagum, vt quidam homo, quando prædicatur de Petro, & Paulo non habet rationem vniuersi formalis, cum non sit quid determinatum. Debet tandem formaliter de suis inferioribus prædicari: quia vniuersale non constituitur per prædicationem identicam.

Pro quo not. 2. duplicẽ esse prædicationẽ, formalem scilicet, & identicam: identica illa est, quæ, vt sit vera, tãtum postulat identitatem extremorũ à parte rei: vt hæc prędicatio, Actio est passio, est vera identicè: quia Actio, & passio à parte rei, idem omninò sunt: formalis verò dicitur illa, in qua ratio formalis attributi, saltem per rationem differt à ratione formali subiecti, & ipsi conuenit, vel tanquã attributum essentiale, vt homo est animal: vel tanquam proprietas, vt homo est risibilis: vel tanquam accidens cõmune, vt homo est albus: cumq; vniuersale debeat prædicari de suis inferioribus, necessariò eius prędicatio debet esse formalis.

His adnotatis; facilè patebit discurrẽti, quinq; tantum esse, nec plura, nec pauciora vniuersalia, sęù prædicabilia: quorũ sufficientia inde communiter sumitur: quia tãtum sunt quinq; modi prædicãdi de multis cum supra enumeratis conditionibus: hoc autẽ sic suaderi potest; nam quic-

quid

quid prædicatur de multis finitè, vniuocè, formaliter, determinatè, affirmatiuè, &c. vel prædicatur de illis multis intra essentiã, vel extra essentiam: si intra essentiã, vel dicit actu totam essentiã, & sic est species, quæ prædicatur de suis indiuiduis, secundum totam ipsorũ essentiã: vel dicit actu partem essentiæ: & tunc, vel dicit partem materialem, & sic est genus, quod prædicatur de suis inferioribus, dicẽs ipsorum partem genericam, & materialẽ, vel dicit partem formalem essentiæ, & sic est differẽtia: si verò prædicatur extra essentiam, vel id est conuertibiliter, & sic constituitur proprium, quod conuertitur cum eo, cuius est proprium: vt homo est risibile: risibile est homo: vel inconuertibiliter, & sic est accidens commune; quod nõ conuertitur cum eo, cuius est accidens: non .n. valet, homo est albus: album est homo: præter hos autem non datur alius modus prædicandi de pluribus cum supra enumeratis cõditionib⁹: ergo non datur aliud prædicabile.

Vel ex eo eadẽ veritas deducitur: quia sicut in composito naturali, quinq; tantum considerari possunt, nempè ipsum cõpositum, forma, materia, propriȩ passiones, & accidẽtia communia: ita etiam in composito Metaphisico, quinq; alia solum cõsiderantur, nempè, ipsa species, quæ habet rationẽ cõpositi, componitur .n. ex genere, & differentia: secundo genus, quod correspondet materiæ: tertio differẽtia, quæ correspondet formæ essentiali: quarto proprium, quod ortum habet à forma, quod correspondet proprijs passionib⁹ entis realis: & tandem ipsa accidentia communia, quæ oriuntur ex materia.

Sed contra hoc præsuppositum objcies primo: diximus supra not. 1. quod ad rationẽ vniuersi formalis requiritur, quod sit quid cõplectum: sed differentia est quid incõpletũ: ergo differentia nequit habere rationem vniuersi formalis: ma. cum consequentia patent: quia scilicet anima, quæ est quid incõpletum collata cũ hac, & illa nõ habet rationem vniuersi formalis:

malis: ità differentia, &c. mi. ꝓbatur, quia rationalitas v.g. quæ est differẽtia pars est hominis, eiusq; partem formalẽ essentiæ dicit.

Resp. quod quando differentia prædicatur non prædicatur de eo cuius est differentia in abstracto, sed in concreto: non enim dicimus, homo est rationalitas: sed rationalis: ly autem rationale dupliciter vsurpari potest ad huc, vno modo formaliter pro gradu præciso differentiæ, qua ratione constituit hominem, & sic est pars cõstitutiua illius, qua ratione est ens incompletũ, & vt sic nõ prædicatur de specie, aut de eius indiuiduis propria prædicatione, quia pars in quãtum pars nequit de toto aliquo prædicari (vt infra dicã) alio modo sumitur materialiter, scilicet pro habẽte rationalitatem, & hoc modo nõ est ens incompletum, nec pars hominis: sed idem, quod homo, à quo solum differt ex diuerso modo significandi: quia homo significatur, vt quid: rationale verò, vt quale, & vt sic induit rationẽ vniuersi formalis: licet in prædicatione ex peculiari modo significandi ipsius differẽtiæ, dicat actu solum partem formalem essentiæ subiecti, de quo prædicatur: nihilominus tamen virtute, & in potentia vtranq; continet partem.

Objicies secundo, ideo genus, & species constituunt diuersa prædicabilia: quia genus prædicatur de pluribus differẽtibus specie; & species de pluribus differentibus numero: sed differentia intermedia prædicatur, de pluribus differentibus specie, vt sensibile: & differentia infima prædicatur, de pluribus differentibus numero, vt rationale: ergo differẽtiæ etiam debent cõstituere duo prædicabilia.

Respondeo, quod genus, & species ideo constituunt diuersa prædicabilia: quia habent diuersum modum prædicandi: genus namque dicit partem materialẽ tantũ essentię actualis suorum inferiorũ, quando de illis prædicatur: species vero dicit totã essentiam indiuiduorũ: tamen differẽtia, tam infima, quam intermedia habet eundem modũ prædicandi in quale quid

incom-

incompletè: nam vtraq; dicit actu partem tantum formalē essentiæ, vt dixi.

Tertio objicies: Aristoteles 2. Top. cap. 3. & 4. cōnumerat quatuor prædicata Topica, scilicet genus, diffinitionem, proprium, & accidens: ergo quatuor tātum prædicabilia: quia quodlibet prædicatū ex enumeratis de pluribus prædicatur.

Respondeo non esse eodē modo Philosophādū de prædicatis Topicis, ac de prædicabilibus: quia diuersitas prædicatorū Topicorum desumitur à diuersitate eorum, quæ possunt de subiecto cōmuni prædicari, cumq; species non prædicatur de subiecto communi, ideo non annumerantur inter Topica prędicata: at diuersitas prædicabiliū desumitur à diuersitate modorū prædicandi, vt dixi.

Quarto objicies: decē sunt prædicamenta: ergo decem prædicabilia, quia quodlibet prædicamentum de pluribus inferioribꝰ prædicatur. Resp. prædicaméta solum continere in recta linea genera, & species, à latere ponuntur etiam differentiæ: & sic omnia illa, quæ in recta linea ponuntur prædicantur, vel vt genera, vel vt species: tamen nō bene colligitur tot esse prædicabilia, quot prædicamenta: quia diuersitas prædicamētorum desumitur ex diuersitate naturarum: primo diuersarum, quæ sunt decem (vt ibi dicā:) diuersitas verò prædicabiliū desumitur, ex diuersis modis prædicandi de pluribus, qui sunt tantum quinque, vt dictum est.

Sed dices: per te quicquid collocatur in prædicamento, vel in recta linea, vel à latere, tantum est, vel genus, vel species, vel differentia: ergo tantum sunt tria prædicabilia: patet cōsequentia, quia si plura darentur, maximè proprium, & accidens: sed etiā propriū, & accidens collocātur in prædicamento accidētium: ergo etiam proprium, & accidens debent reduci ad illa tria.

Respondeo, quod propriū, & accidens possunt duobus modis considerari: primo in ordine ad eorum propria inferiora, vt risibile in ordine ad hoc, & illud risibile: album

in

in ordine ad hoc, & illud album: & sic proprium, & accidens non constituunt diuersa prędicabilia: sed reducuntur, vel ad genus, vel ad speciem: secundo possunt considerari in ordine ad illa subiecta, quæ accidentaliter denominant, vt risibile in ordine ad Petrum, & Paulum, &c. albũ in ordine ad parietem, vestẽ, paginam, &c. & hoc modo constituunt quartum, & quintum prædicabile.

Quinto obijcies: proprium non est vniuersale: ergo, &c. antecedens probatur: quia proprium distinguitur cõtra cõmune: at vniuersale essentialiter est cõmune: ergo proprium non est vniuersale. ma. patet: quia proprium illud dicitur, quod non est alijs commune: & commune illud est, quod nõ est alicui proprium. Resp. neg. antecedẽs: ad cuius probat. dist. mai. quod est proprium alicui indiuiduo distinguitur contra cõmune, vt sic, conc. quod est proprium toti speciei non distinguitur contra cõmune specificum: bene verũ distinguitur contra commune genericum: aliquid .n. potest esse cõmune omnibus indiuiduis omnium specierũ sub vno genere cõtentorum, vt moueri conuenit omnibus indiuiduis contentis sub speciebus animãtium: & aliquid potest esse cõmune solum indiuiduis sub vna specie contentis, vt loqui commune est omnibus indiuiduis naturæ humanæ: sic etiã aliquid potest esse proprium vnico indiuiduo vnius speciei, quæ vltimæ proprietates sunt nobis ignotæ, sicut vltimæ rerũ differentię. & aliquid potest esse proprium toti speciei, vt esse risibile proprium est toti speciei naturę humanę, &c. quãdo ergo in argumẽto dicitur: proprium distinguitur cõtra commune, idest, id quod est alicui singulari, seũ indiuiduo propriũ, nequit esse commune: & id quod est toti speciei cõmune, nequit esse alicui indiuiduo proprium: sic etiam id quod est commune naturæ genericæ, nequit esse proprium naturæ alicui specificæ: Cæterũ id quod est proprium alicui speciei, dicitur etiam esse cõmune omnibus indiuiduis illius speciei: quia

quod

quod est proprium rei communis, est commune.

Sexto dices: persona (idem dico de supposito: nam id quod in natura irrationali est suppositum, in rationali est persona: suppositum namque, & persona se habent, sicut superius, & inferius, cũ omnis persona sit suppositũ, non tamen omne suppositũ est persona: vnde indiuiduũ naturæ irrationalis dicitur suppositum; non tamen persona: sed indiuiduum rationalis naturæ potest dici persona, & suppositum:) persona igitur, & suppositum prædicantur de pluribus: sed non sunt genus, neque species, nec differentia: nam personalitas non conuenit essentialiter naturæ substãtiali: neq; sunt propriũ, quia personalitas est modus substãtialis: proprium autem prædicatur accidẽtaliter: neq; sunt accidens cõmune; nam hoc prædicatur cõtingenter, personalitas autẽ naturaliter cõsequitur naturam substantialem actu existentẽ: ergo constituendum est sextum vniuersale.

Respondetur, quod persona, & suppositum si cõparentur ad personas naturarũ speciei diuersarum, v.g. ad personam angelicam, & humanã, possunt dici genus: si comparentur determinatè ad singulares personas alicuius determinatæ speciei, v.g. persona humana ad personam Petri, & Ioãnis, tunc persona, vt sic poterit dici species: si persona comparetur ad naturã substantialem actu existentẽ poterit dici proprium; nam personalitas necessario cõsequitur naturam substantialẽ actu existentem: si tandem persona comparetur ad naturã substantialem possibilẽ, erit accidens cõmune, quintum prædicabile.

Neque obstat, quod personalitas sit modus substãtialis nam hoc tantum impedire potest, quo minus personalitas prędicetur tanquam accidens prædicamentale, & non tanquam accidens prædicabile: quia substantia prædicamentalis: bene potest prædicari accidẽtaliter de aliquo, & sic esse accidens prædicabile: quare dicunt patres Theologi, quod hæc prædicatio

Z (Filius

(Filius Dei est homo) supposito mysterio incarnationis est vera, & spectat ad accidens quinti prędicabilis: nã quamuis homo sit substantia, prædicatur tamen accidentaliter de filio Dei, cui contingenter conuenit esse hominem.

Hoc ergo p̃suppoſito, (cui vel solus Caiet. videtur dissentire cap. de specie, afferẽs plura esse, quam quinq; vniuersalia, licet Pater Sãchez illum explicet, nempè, quod loquatur de vniuersali, & prædicabili largo modo, prout distinguitur à particulari; quomodo, & diffinitio, & ens, & Anima, & cætera similia possunt vniuersalia nuncupari q. 39. prædicab. concl. 3.) circa primum, quod quæritur, an scilicet vniuersale formale sit genus ad quinq;? multa vtique, eaq; nõ parũ difficilia essent dicenda, quæ sicco vestigio pertrãseuntur à Doctoribus; in quibus nos etiã parum immorabimur, ne nostrã videamur breuitatẽ in rè non adeo necessaria deserere.

Cæterum not. quod de ratione proprij generis est, q̃ æqualiter participetur ab omnibus speciebus: vnde excluditur Analogum à ratione generis propriè dicti, cum inæqualiter participetur à suis inferioribus analogatis: sed aliquid æqualiter, vel inæqualiter suis inferioribus conuenire stat dupliciter: primo, ita ut ipsa ratio superior habeat ex sua intrinseca ratione, quod prius, & principalius communicetur vni inferiori, q̃ ãalteri; vt ens prius, & principalius dicitur de substãtia, quam de accidẽti, immò accidẽti conuenit ratione substãtiæ, & sic accidẽs in ordine ab substantiam diffinitur, nempè, entis ens: & prius principaliusq; de Deo, quam de reliquis creatis substãtijs (vt dicam in Antepredica[illegible]:) & hoc est maximum signum Analogiæ: quæ inæqualis participatio tollit vniuocationẽ, quæ est de intrinseca ratione generis propriè dicti: secundo potest aliqua ratio superior inæqualiter à suis inferioribus participari, non quod ipsa ratio secundum se conueniat magis vni, quã alteri: sed quia ipsorum inferiorũ essentiales differẽtiæ id postulant, nẽpè, quod

quod differentia vnius inferioris perfectiori modo contrahat illam rationẽ superiorem, quam cæteræ: quia inter ipsas species datur pfectior, & imperfectior: & hæc inæqualis participatio non facit Analogiam, neq; tollit vniuocationẽ: sit exemplum in Animali, q̃ est propriũ genus respectu hominis, leonis, canis, formicæ, &c. tamen ratio animalis perfectius participatur ab homine, quam à leone, & perfectius à leone, quã à mure, & perfectius à mure, quã à formica, &c. non tamen hæc inæqualitas tollit vniuocam prędicationẽ animalis de omnibus his, vniuocamq; conuenientiam, cum ipsa ratio animalis secundũ se non habeat, quod conueniat illis inæqualiter, sed æqualiter: verum si secus accidit id est ex vì differentiarum ipsorum inferiorũ: sic etiã numerus est genus ad binarium, ternarium, &c. & tamen, ternarius essentialiter, ordine originis, præsupponit binarium, quod nõ prouenit ex ipsa ratione generica, sed ex ordine ipsarum specierũ, id postulantiũ ex vì propriarum differentiarum.

Itẽ de ratione generis est, quod sit extra essentiam differẽtiarum: vnde ens, quamuis nõ esset analogum, adhuc nõ posset esse genus: quia imbibitur intrinsicè in omnibus differentijs inferioribus, et á vltimis, & sic sensibilitas est ens; rationalitas est ens, &c. nõ sic Corpus v.g. vel Animal: nam Corpus non includitur in sensibilitate, neq; in rationalitate: nõ enim valet; sensibilitas est corpus: vel rationalitas est corpus, vel animal.

Debet etiam genus prædicari de pluribus specie differẽtibus: ac perinde, homo, nequit esse genus, cum tantum prædicetur de pluribus differẽtibus numero, vt de Petro, Francisco, &c. licet hæc cõditio non sit adeò necessaria (vt ex infra dicẽdis patebit.) alias etiã cõditiones habere debet genus: tamen præcipuas tãtũ enumeraui: ex quibus certũ est vniuersum formale prædicari de pluribus inferioribus, nẽpe de omnibus quinq; prędicabilibus: nã genus est vniuersum, & sic species, &c.

Ite certũ esse debet, quirq; prædicabilia esse quinq; species vniuersi formalis: cum

quodlibet eorum, quatenus vniuersum formale est, contineat solum singularia sub se: genus. n. solum continet hoc, vel illud genus, scilicet hanc, vel illā intētionē, quæ denominat animal, vel colorē, &c. quæ sunt intentiones singulares: & species tantum cōtinet hāc, vel illam speciem, & alia similiter.

Sed contra hoc potest esse obiectio: si hoc genus est singulare: ergo non potest quidditatiuè contineri sub vniuersali, tanquā sub genere: patet, quia quādo aliquid continetur in recta linea prædicamētali sub aliquo, debēt illi essentialiter conuenire omnia prædicata superiora: sit exēplū in prædicamēto substantiæ: Petrus cōtinetur sub vltima specie illius prædicamenti directè, & illi essentialiter conueniunt omnia attributa superiora à substantia, quæ est genus generalissimū, vsq; ad hominem, qui est species specialissima: ergo si, hoc genus, vel illud collocātur in recta linea prædicamēti relationis rationis, sub specie generis, vt sic, debent illi quidditatiuè conuenire omnia prędicata essentialia huius Cathegoriæ: sed vniuersale formale, quod est genus respectu omnium prædicabilium, sicuti animal respectu hominis, leonis, &c. nequit conuenire huic generi, vel illi: cū ex dictis sint singularia: ergo hoc, vel illud genus non poterunt sub vniuersali formali contineri.

Pro solutione est not. quod aliquid esse vniuersale, vel singulare stat dupliciter: vno modo essentialiter, & formaliter, altero modo denominatiue, & accidentaliter: illa secunda intentio, quæ denominat naturam aliquam vniuersam, vel singularē, dicitur esse vniuersa, vel singularis essentialiter, & formaliter, vt intentio generis, quæ denominat Animal genus: & speciei, quæ denominat hominē speciem: at verò illa intentio, quæ ab alia intentione inferiori denominatur vniuersa, vel singularis, erit vniuersa, vel singularis denominatiuè, & accidentaliter; sicuti denominatiuè, & accidentaliter ipsa natura realis denominatur vniuersa, vel singularis: vt hæc genereitas,

tas, quæ denominat Animal hoc genus, dicitur accidentaliter, & denominatiuè singularis: quia secũda intentio singularis inferior est secũdæ intentioni generis, & sic nequit illã quidditatiuè denominare: sed tãtum accidentaliter: sic etiã, vniuersale superius est ad quinque prædicabilia, & tamen genus, quod est sibi inferius, prædicatur de illo, vt cũ dicitur, vniuersale est genus: tamen hæc prædicatio nõ est quidditatiua: sed solum accidentalis, & denominatiua.

Ad argumẽtum Resp: hoc genus esse singulare denominatiuè, & accidentaliter, non tamẽ essentialiter: ex quo nõ sequitur, nõ cõtineri sub vniuersali, siquidẽ quidditatiuè hoc genus est vniuersale: & illi cõueniunt omnia attributa superiora prędicamẽti Relationis rationis: dicitur tamẽ singulare: quia hæc intentio, quæ denominat Animal genus, indiuidua est, & indiuidualiter tãtum differt ab illa intentione, quæ denominat colorem genus, &c. cęterum, hoc genus, quidditatiuè continetur sub vniuersali: quia si cõsideretur in ordine ad propria inferiora, nempè ad hominem, leonẽ, &c. vniuersum profectò est: & idẽ est de reliquis prædicabilibus; hoc propriũ nempè, risibile, numero differt ab alio proprio, nẽpè, rugibile, loquẽdo de ipsis secundis intẽtionibus proprij: & tamen, tam risibile, quam rugibile in ordine ad eorum inferiora, quorum sunt propria, vniuersalia sunt; & hæc doctrina est summopere notanda. Quod autẽ genus prædicetur de hoc, & illo genere, tanquã de pluribus numero differentibus in quid, & essentialiter, certũ est: nam si quæras, quid est animal, prout subest secundæ intentioni? optimè Respon. esse genus: & quid color sub secunda intentione? genus vtiq;: & hæc prædicatio, hoc genus est genus, demonstrato Animali, vel colore, est prædicatio essentialis: & secunda intentio generis, quæ denominat Animal genus, numero, tãtum differt à secũda intentione generis, quæ denominat colorẽ: quia vtraq; cõuenit in vnica ratione essentiali specifica: vtraq;

namq; denominat naturã in multis speciebus vnam, &c.

Sed contra hoc esse potest obiectio: illa, quorũ vnum de altero enunciatur, nequeunt specificè differre: q a ea, quæ specie differunt, sunt essentialiter opposita: quarè homo nequit de leone prædicari, nec de quacunq; alia specie Animalis: quia specificè differt ab illis: sed horum quinq; prædicabilium, vnum prædicatur de alio, vt Genus est species; Accidẽs est species: Species est Accidens: Genus est Accidens: ergo signum est, ꝙ non differunt specie inter se, & ex consequenti vniuersum non prædicatur de illis; tanquam de pluribus differentibus specie.

Respõdetur distin. mai. Illa, quorũ vnum de altero enunciatur, formaliter, & essentialiter, nequeũt specificè differre, concedo: quorũ vnum de altero enunciatur, denominatiuè, & accidentaliter, nequeunt specificè differre, negatur: quia albũ prædicatur de Homine, de Pariete, & de lacte, denominatiuè tamen, & accidentaliter, & differt ab illis, non solum specie, sed genere etiam: ad minorem cum dicitur, species prædicari de Genere, & de Accidenti, &c. & Accidens de specie, Genere, & reliquis: dictin. denominatiuè, concedo: formaliter, nego: negaturq; absolutè cõsequentia.

Sed contra: si species denominatiuè prædicaretur de genere, & reliquis, sequeretur, quod vniuersum ipsum denominatiuè etiam prædicaretur de illis: hoc est absurdũ: ergo &c. sequela probatur ex illa regula antepredicamentali: quando alterũ de altero prædicatur, quicquid prædicatur de prædicato, ꝑdicatur etiã, & de subiecto, eodem modo, idest, quãdo aliquod attributum prædicatur essentialiter de aliquo subiecto, omnia prædicata superiora illius attributi, etiam essentialiter de tali subiecto prædicantur: sit exemplum; animal essentialiter prædicatur de homine, de eodem homine etiã essentialiter prędicari debẽt, Substantia, Corpus, Viuens, Animatum, &c. quæ sunt prædicata superiora Animalis: itẽ, quando

do aliquod attributum prędicatur accidẽtaliter de aliquo subiecto, omnia prædicata superiora, & essentialia illius attributi, debent etiã accidentaliter de eodẽ subiecto enunciari: sit exemplũ; album prædicatur accidentaliter de homine: coloratũ, quod est attributũ superius essentiale albi, etiam accidentaliter de ipso homine prædicatur: ambæ, namq; hæ propositiones sunt accidentales, homo est albus: homo est coloratus. Sed sic est, quod species denominatiuè, & accidentaliter prædicatur de genere, differentia, &c. per vos: ergo vniuersum formale, etiam accidẽtaliter prædicatur de ipsis prædicabilibus: quia vniuersũ est prædicatũ superius essentiale speciei: hæc .n. prædicatio essentialis est: species est vniuersũ formale.

Respondetur, neg. seq. ad cuius prob. Respondeo, interpretando regulam illam Aristotelicam: sic namq; est intelligenda: quãdo vnũ de altero immediatè prædicatur, quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiã, & de subiecto: si de tali subiecto, mediante illo immediato prædicato prædicatur, & sic eodẽ modo: non autem sic, si illud, quod de tali immediato prædicato prædicatur, enũciatur alias de illo subiecto etiã immediatè, & nõ mediante ipso prædicato: sit exemplum, de homine prædicatur essentialiter animal, viuẽs essentialiter prædicatur de animali: essentialiter etiam prædicatur de homine, quia medio animali de ipso homine prædicatur: sic etiam, album accidentaliter prædicatur de homine: coloratum essentialiter prædicatur de albo; vnde accidentaliter de homine etiam prædicatur, quia coloratum medio albo prædicatur de homine: quod non reperitur in nostro casu: nam licet species prædicetur accidentaliter de genere, & reliquis prædicabilibus: & vniuersum essentialiter prędicetur de specie, non sequitur, ipsum vniuersum accidentaliter prædicari de genere, & reliquis: quia non prædicatur de his mediante specie: sed immediatè, sicut de ipsa specie: itaut tam immediata sit

hæc

hæc prędicatio, genus est vniuersum formale: quam hæc, species est vniuersũ formale.

Sed oportet examinare breuiter egregiam quandam hic difficultatem: secundũ quam rationẽ quinq; prædicabilia sint species vniuersi formalis? Quamobrẽ not. primo, quod quodlibet horum prædicabilium triplicem respectum habet: primum ad naturã, quam denominat: secũdũ ad ipsum vniuersum, tanquam ad quid superius: tertiũ ad inferiora, de quib⁹ prædicatur: primus respectus est essẽtialis; reliqui accidentales: & sic respectus essentialis primi prædicabilis est, denominare naturam in communi vnam in pluribus, tãquam partem materialem ipsorum: respectus essentialis speciei est, denominare naturam in cõmuni, vnam in pluribus, vt totam ipsorum essentiam. Differentiæ verò est, denominare naturam in cõmuni, vnam in pluribus, vt partẽ formalem ipsorũ. Proprij, est denominare naturã vnam in pluribus subiectis cũ dependẽtia ab illorum essentia specifica: & tandem accidentis respectus essentialis est, denominare naturam accidentalẽ in cõmuni, vnam in pluribus subiectis, omninò ab eorum essentia independentem.

Quilibet autem horum respectuum in communi diuidatur in plures respectus particulares, siuè indiuiduas intentiones: nempè, respectus ille essentialis generis diuiditur in respectum, siuè in intentionem denominãtem hanc naturam, nempè, animal, vnã in particularibus speciebus, &c. & in intentionẽ denominantem colorem, &c. qui respectus particulares differunt numero tantũ, & de illis prædicatur respectus ille in communi prędicatione speciei: sic etiam genus in cõmuni, eadẽ prædicatione prædicatur de hoc, & de illo genere in particulari, vt hoc genus est genus: sicuti hic homo est homo, &c. & idem dicẽdum de reliquis prędicabilibus: & hic est alius respectus, quẽ dicũt prædicabilia ad inferiora.

Tertius respectus est ad vniuersale: q a intellectus aduertens omnia hæc prædicabilia cõuenire in vna ratione com

muni,

muni, nempè in hoc, ꝙ sunt veluti formæ denominantes naturã in multis, fingit in ipsis prædicabilibus relat onē spe ciei subijcibilis: prior ergo respectus (vt diximus) est essentialis ipsis prædicabilibus reliqui verò, accidẽtales: sicuti tria possumus in homine con siderare, primũ, quod sit animal rationale: secundũ, quod subijciatur animali, tanquam prædicato superiori: tertium, quod prædicetur de Francisco, Petro, &c. ex quibus certum est: primũ conuenire homini essentialiter: secundũ verò, & tertium accidentaliter: quia accidit homini, quod subijciatur animali, tanquam prædicato superiori, cũ hoc sit per intellectum: non enim alicui, ex se, cõuenit esse prædicatum, vel subiectum; superius, & inferius: licet Homo quidditatiuè, & essentialiter contineatur sub Animali: & accidit etiam Homini, quod prædicetur de Petro, & Paulo, &c. cum prædicatio pertineat ad intellectum: licet Homo sub se quidditatiuè contineat Petrum, & Paulum: non tamen accidit illi esse animal rationale, cũ in hoc consistat eius essentia: sic tria possumus in quolibet prædicabili considerare: primum, ꝙ sit quædam intentio denominãs naturam vnam in multis speciebus, vel indiuiduis: si sit genus, vel species: quod pertinet ad essentiam ipsius: secundum, ꝙ subijciatur vniuerso formali, quod est accidentale vnicuiq; ipsorum, cum id fit per intellectũ; licet vniuersũ quidditatiuè omnia quinq; prædicabilia cõtineat sub se, sicut animal, hominẽ, & leonem, &c. tertium tandem, ꝙ prædicetur de pluribus inferioribus, quod etiam accidit prædicabilibus, cum id etiam habeant ab intellectu, licet vnumquodq; ipsorum quidditatiuè sub se sua inferiora contineat, sicut homo Petrũ, & Paulum, &c.

Ex his tribus respectibus, certum est, quinq; prædicabilia nõ dici species vniuersalis formalis, quatenus subijciuntur illi præcisè: ita ut ratio cõstitutiua ipsorũ in tali esse specifico, sit ille respectus subijcibilitatis: quia si quæreretur, ꝙ quatenus cõtinentur sub vni-

uersali nõ essent vniuersalia: patet sequela, quia species subijcibilis, in quantum subijcibilis nõ est vniuersa formaliter: nam de ratione vniuersi formalis est respicere inferiora: species autem subijcibilis sub ratione subijcibilis præcisè, habet tantũ respicere prædicata superiora, quibus subijcitur, & sic prædicabilia nõ dicuntur species vniuersi formalis præcisè, quatenus subijcibilia sunt.

Item certũ esse debet, prædicabilia non dici species vniuersi formalis, ex ea ratione præcisè, quia prædicantur de pluribus, &c. quia vt sic vnica tantũ esset vniuersi formalis species, nempè secundum prædicabile, quia cum omnia prædicabilia conueniunt in hoc, quod est prædicari de pluribus numero differentibus, (vt diximus) loquendo de ipsis secundis intentionibus prædicabilium: quia istæ sunt, quæ collocantur immediatè sub vniuersali (vt statim dicam) tantum secundũ prædicabile daretur sub vniuersali: præterquamquod, per id aliquid cõstituitur in esse specifico sub aliquo genere, per quod essentialiter, & specificè differt à reliquis speciebus sub eodem genere contentis: sed quinq; prædicabilia non differunt, per hoc, quod est prædicari de pluribus numero differentibus, cũ omnibus id æqualiter conueniat, siquidem hæc prædicatio est propria speciei prædicatio: non ergo cõstituuntur in esse specifico sub genere vniuersi formalis, per hoc, quod est prædicari de plurib⁹ numero differentibus: mi. cũ consequentia patet: ma. etiam certa est: nam omne constitutiuũ essentiale speciei, facit etiã ipsum constitutum essentialiter ab alio differre: & ideò dicitur differentia.

Sed iterum not. est, quod ipsa prædicabilia possunt dupliciter cõsiderari, vt quo, & vt quod: siuè (vt clarius me explicem) secundum rationẽ denominãtem; & secundum naturam denominatam: ratio denominans dicitur prædicabile, vt quo: quia est id, quo mediãte aliquid prædicatur: natura denominata, dicitur prædicabile, vt quod, quia

est,

est, id quod prædicatur: vt genus dicit notionem denominantem aliquam naturã sic, quæ potest appellari in abstracto genereitas: & dicit ipsum animal v.g. vel colorem, sub hac secunda intentione, quando ergo animal, exépli gratia, prædicatur de suis inferioribus: ratio prædicãdi est ipsa genereitas, & sic dicitur prædicabilia, vt quo: ipsum verò animal dicitur prædicabile, vt quod, quia est ipsum quod prędicatur.

Hoc supposito certum esse debet, quod sub vniuerso formali non collocãtur ipsa prædicabilia, vt quod: sed tãtum ipsæ rationes prædicãdi, siuè ipsa prædicabilia, vt quò: sęù ipsæ secundæ intẽtiones: quia vniuersum collocatur sub relatione rationis, & relatio nõ prædicatur de ipso vniuesali, deq; eius speciebus, sũptis, vt quod, sed vt quo: nõ enim est bona prædicatio hæc: id quod denominatur vniuersum formale est relatio: neq; hæc, animal, quod denominatur genus est relatio: sed secũda intentio vniuersi formalis, quæ habet denominare naturam vniuersam formaliter est relatio: & secunda intentio generis, quæ habet denominare naturã genus est relatio: quia ipsã natura denominata genus, vel vniuersa formaliter dicitur relatiua: sicuti non valet dicere, album est color, viride est color, sumpto ly album, & ly viride, pro subiecto, albo, vel viridi: sed albedo est color, & viriditas: nam album dicitur in concreto coloratũ, sicut etiam viride.

Prædicabilia ergo sumpta, vt quo, nempè pro ipsis secundis intentionibus sunt species vniuersi formalis, constituunturq; in esse specifico, per proprias cuiuslibet essentias: notio namq; generis cõstituitur, per hoc, quod est denominare naturã vnam in pluribus, tanquam partem materialem ipsorum: notio speciei constituitur in esse speciei contentę sub vniuerso, per hoc, quod est denominare naturã vnam in pluribus, tanquã totã ipsorũ essentiã, & sic de reliquis: quarè patet distingui inter se secundum effectus formales diuersos .s. quatenus diuerso modo denominant naturas.

Ex his patet melius, & clarius, prædicationẽ speciei de genere, & reliquis prædicabilibus non esse formalem, sed denominatiuam tantum, (vt diximus) & accidentalẽ: nãq; si esset formalis, faceret hunc sensũ hæc prædicatio (genus est species,) idest notio, quæ denominat naturam vnam in pluribus, tanquã partem materialem ipsius, est notio, quæ denominat naturam vnam in pluribus, tãquam totam ipsorum essentiam, quod, quã falsum sit, patet omnibus: vnde species nõ prædicatur formaliter de reliquis prædicabilibus: sed tantũ denominatiuè: facit namq; hunc sensum illa prædicatio: notio, quæ denominat naturam vnam in pluribus, tanquam partem materialẽ essentiæ ipsorũ; denominatur species, à notione speciei: sed nõ est ipsa notio speciei formaliter, cum se habeat potius, vt quid denominatũ ab illa.

Sic etiam quando dicimus; vniuersale est genus, non est intelligenda formaliter hæc ꝑpositio, itaut faciat hũc sensum: notio, quæ denominat naturam in cõmuni vnam in pluribus cũ sui multiplicatione, quæ est notio vniuersalis, est notio, quæ denominat naturam vnam in pluribus, tanquam partẽ materialẽ essentiæ ipsorũ, quæ est notio generis; hoc.n. falsum est: sed sic intelligitur, itaut faciat hunc sensum: notio, quæ denominat naturã vnam in pluribus cũ sui multiplicatione, denominatur genus à secunda intentione, nempè à genereitate, non quod sit ipsa genereitas: sed potius se habet respectu genereitatis, vt quid concretum ex ipsa vniuersalitate denominata, & ex genereitate denominante. Satis dicta sint circa illam generis conditionem, nempè, quod debet prædicari de pluribus specie distinctis, quam cõditionem probauimus iam reperiri in vniuerso.

Diximus insuper, quòd de ratione generis etiã est, quod sit extra essentias differentiarum: quæ cõditio etiam reperitur in vniuerso: non.n. ratio vniuersi formalis imbibitur in differentijs prædicabilium, vt discurrenti facilè patebit.

Tandem

Tandem de ratione proprij generis est, quod æqualiter participetur ab omnibus speciebus: propter defectum huius códitionis, fatentur Albertus tract. 2 prędicab. cap. 9. Paul. Venet. in prohæm. præ lic. & alij recentiores nonnulli, vniuersum non esse proprium genus ad quinq; Porphyrij prædicabilia, quod sic probant: Genus, & Species, & Differẽtia nobiliori modo sũt in suis inferioribus, quam Propriũ, & Proprium nobiliori modo, quam Accidẽs: ergo inæqualiter participant ratione vniuersi formalis: antecedens patet, quia Genus, Species, & Differentia sunt essentialiter in suis inferiorib', Proprium verò, & Accidens accidẽtaliter. Item Proprium cõuertitur cũ eo, cuius est Proprium, Accidens verò nõ: ergo nobiliori modo, &c. quia nobilius est, esse in multis essẽtialiter, quã accidentaliter, & nobilius est, cõuerti cũ eo, in quo aliquid est, quam nõ conuerti. Immò conuenientia essentialis prior est conuenientia accidentali: sed vniuocũ abhorret prius, & posterius: ergo vniuersum nequit esse genus proprium.

Confirmatur: quia vniuersale essentialiter est vnum in multis inferioribus: atq; adeò debet per se habere propria inferiora: sed ista ratio inæqualiter conuenit prædicabilibus: nã omnia inferiora, vel sunt species, vel indiuidua: si species, cõtinentur sub genere propriè, quia generis est, esse in pluribus speciebus: si indiuidua, cõtinentur immediatè sub specie, cum ad speciem pertineat, in multis indiuiduis esse: ergo reliqua prædicabilia non habent propria inferiora, sed impropria, & ratione alterius, nempè, vel generis, vel speciei, quorũ sunt propria inferiora: & ex consequenti, ratio vniuersi nõ conuenit illis vniuocè, sed potius analogicè.

Cæterum dicendum est, ipsum vniuersũ formale, vniuocè couenire omnibus quinq; prædicabilibus, vt cõmunior sententia docet, nosq; supra diximus sect. 1. huius disput. explicãtes diffinitionem vniuersi formalis: prætterquam quod ex ipsa vniuoci diffinitione, id colligere possumus.

Id namq; vniuocũ est, quod pluribus conuenit secundum idem nomen, eandéq; rationem: sed sic se habet vniuersum respectu quinq; prædicabilium: ergo, &c. mi. prob. & in primis vniuersum formale essentialiter (vt vidimus) conuenit omnibus prędicabilib⁹: cuius signum est, quod ad interrogationẽ factã per quid de quolibet prædicabili, respondemus statim per vniuersum formale; vt quid est genus? est vniuersum; quid species? est vniuersum, &c. sicuti, cũ petimus, quid sit homo? statim respondemus esse animal; & certum est omnibus, quod ea, quæ prædicantur in quid de aliquo conueniunt illi essentialiter: cum hæc prædicatio in eo, quod quid solũ conueniat generi, quod dicit partem essentiæ materialem illius, de quo prædicatur, & speciei, quæ dicit totam essentiam subiecti.

Quod autẽ æqualiter conueniat omnibus etiam patet: nam ratio essentialis vniuersi formalis est, multa respicere sub vno cõceptu: quam rationẽ participant æqualiter omnia prædicabilia: nam hæc ratio nõ magis communicatur generi, quam reliquis, vt clarius ex solutione argumentorum patebit: & licet propriũ, & accidẽs sint extra essentias inferiorum, quę respiciunt, & quibus conueniunt; reliqua verò prima tria sũt de essẽtia ipsorũ: ex quo videtur, quod tãtum genus, species, & differẽtia, sint essentialiter vniuersa: proprium verò, & accidẽs, tantum per accidens rationẽ vniuersi formalis participent; nihilominus tamẽ, tam essentiale est proprio, & accidenti esse in plurib⁹ subiectis extra ipsorum essentias, sicut, generi, speciei, & differentiæ essentiale est essentialiter eorũ inferioribus conuenire.

Neq; hinc valet inferre, id esse absurdum: nam sequeretur dari aliquid cõmune vniuocum decẽ generibus generalissimis; nempe ipsum vniuersale: esset enim vtiq; absurdissimum concedere aliquid cõmune vniuocum essentiale ipsis decem generibus: non tamen est absurdum dare aliquid cõmune vniuocum accidẽtale, & denominatiuum,

quale est vniuersum formale, & genus: nam hæ prædicationes vniuocę sunt, substãtia est genus, & vniuersum: quantitas est genus, & vniuersum, & sic de singulis: vnde vniuersum, & genus prędicantur de substãtia, quantitate, &c. accidentaliter, & denominatiuè tantum: non tamen essentialiter, vt ex supra dictis facile colligi potest.

Quarè ad argumentum oppositæ sententiæ Respondeor, quod licet perfectiori modo genus, species, & differentia participēt rationē vniuersi formalis, ita ut sint principaliora vniuersalia pprio, & accidenti: hoc tamē non prouenit ex ipsa ratione superiori, quæ æqualiter secūdū se communicatur suis inferioribus: sed ex vi propriarū differentiarum ipsorum prędicabilium, quæ id postulant, hoc autem non tollit vniuocationem, vt diximus supra posuimusq; exemplum in speciebus animalis, inter quas datur vna alia nobilior, & pfectior: & licet cōuenientia accidentalis præsupponat conuenientiam essentialem ordine originis, non tamen hæc prioritas, & posterioritas tollunt vniuocationem: quia etiā binarius prior est ternario, & ternarius quaternario, &c. & tamen numerus vniuocè prędicatur de illis: quia secundū se non magis cōuenit binario, quam ternario, sed ęqualiter omnibus: sic etiam licet conuenientia essentialis prior sit secundum se conuenientia accidentali: tamen in ratione vniuersi formalis præcisè æquè vniuersa sunt.

Ad conf. Respondent quidam, non esse de ratione vniuersi formalis habere propria inferiora, sed vnire plura in aliqua ratione cōmuni, siuè illa propria inferiora sint, siuè aliena: sed hæc solutio nō placet: quia de intrinseca ratione vniuersi formalis est inferiora respicere: ergo tale vniuersum talia respicit inferiora: ergo id, quod propriè vniuersum est, & per se propria inferiora p se, seu rōne sui habere debet.

Quarè melius Respōdetur conc. de ratione vniuersalis esse respicere propria inferiora: negamus autē proprium, &

& accidens non habere propria inferiora: quando autem dicitur, quod omnia inferiora, vel sunt species, vel indiuidua; species pertinent ad genus, & indiuidua ad speciem propriè: & cũ differentia, proprium, & accidens habeant etiã respicere species, & indiuidua, illa respiciunt mediantibus proprijs superioribus, nempe genere, & specie. Ad hoc Respondeo, quod diuerso modo species, & indiuidua subijciũtur generi, & speciei, ac differẽtiæ, proprio, & accidenti. Species namq; sub hac præcisè ratione, quatenus species sunt, dicũtur esse inferiora propria generis, cuius est respicere plura inferiora specie distincta: sic etiam indiuidua sub hac ratione præcisè, quatenus indiuidua sunt, habẽt esse inferiora propria speciei: Cæterùm quando differentia prædicatur de specie, non respicit speciẽ, quatenus præcisè species est; sed quatenus habet rationẽ cuiusdam cõstituti essentialis in suo esse formali, & essentiali, siue species sit, siuè genus: & vt sic sub hac ratione, species est proprium inferius differentiæ, & non generis, cum nõ respiciatur à genere sub hac ratione. Item quando propriũ, & accidens prædicantur de speciebus, & de indiuiduis: nõ prædicãtur de ipsis quatenus præcisè illæ species sũt, hæc verò indiuidua: sed quatenus habent rationem subiecti accidentium, siue, quod idem est, inhæsionis: & sub hac ratione, tam species, quam indiuidua sunt propria inferiora quarti, & quinti prædicabilis, & nõ generis, & speciei. Vnde sequitur, quod nõ prædicentur de illis mediante alio: sed per se, & immediatè.

Quid autem dicendum ad secundum, quod quæritur in titulo quæstionis? est ne vniuersum formale obiectũ adęquatũ huius Porphyrij tractatus de quinq; prædicabilib.? Scio, Nominales fateri, esse has quinq; voces, consequenter ad id, quod asserunt de totali subiecto Logicæ: quam sententiam in Prohęmialibus confutauimus. Scio, alios docere; obiectũ huius libelli esse; ens rationis contractum per prædicabilitatem;

tatem: quam sententiã defendunt nonnulli ex his, qui tenente, ns rationis esse totius Logicæ subiectum: qui enim hoc supponit, facilè hanc probabit opinionẽ, ex eo, quod subiectum totius debet etiã esse subiectum partis, cõtractum tamen per aliquã peculiarem rationẽ: sed subiectũ totius Logicæ est ens rationis: ergo hoc idẽ ens per aliquam rationem contractum, erit etiam huius partis Logicæ subiectum: sed ratio, qua contrahitur in hoc tractatu ens rationis est prædicabilitas: ergo ens rationis sub ratione prædicabilis erit subiectum, &c.

Cæterũ nos non negamus, quod id, quod est obiectum huius libri, sit ens rationis, cũ vniuersale ens rationis sit: tamen non ex eo, quod ens rationis sit obiectum Logicæ, cum id satis cõfutatum sit in Prohęm. sed quia tale ens rationis, quod est vniuersũ formale conducit etiam aliquo modo ad directionẽ operũ rationis, vt dicam statim.

Scio etiam aliquos docere obiectũ huius libelli esse prædicabile formaliter, & nõ vniuersale: siquidẽ Porphy. disputat de his quinq; sub ratione prædicabilis, ac perinde eorum diffinitiones assignat per prædicari. Verũ Porphy. sciens proprias rerum passiones notiores esse ipsis essẽtijs, claritatis gratia, vt Crhysaorium suũ facilius doceret hęc quinq; vniuersalia per prædicari diffiniuit, tanquã per propriam passionem ipsorum.

Quarè dicendum est, vniuersũ formale, eo modo, quo diximus esse genus ad quinq; hæc prædicabilia, esse etiam obiectum adæquatum ipsorum, quatenus etiã conducit ad directionẽ operum rationis, ad quã directionẽ debẽt ordinari omnia quæ tractantur in Logica, vt diximus, tùm in nostra Parua Logica, tùm etiã in Prohæm. prima huius dicti pars patet: quia in toto hoc tractatu nil aliud videtur Author intendere, quam demonstrare proprietates, passionesque vniuersi formalis: hoc præstat pręsertim cap. de genere, vbi asserit, eorum quæ pdicantur, aliud de vno, aliud de pluribus prædicari:

prosequiturq; deinceps tractationem eorum, quæ de pluribus prædicantur, diuidens illa in quinq; species, & cap. 7. agens de communitatibus prædicabilium, inquit, cõmune esse omnibus, de pluribus prædicari: secunda etiã patet: quia hæc pars Logicæ, præsertim deseruit diffinitioni, tam essentiali, quam accidentali, cum in hac agatur de specie, quæ solet semper diffiniri in quacunq; diffinitione, de genere, & differentia, quæ sunt partes diffinitionis essẽtialis: de proprio tandem, & accidenti, quæ ingrediuntur diffinitiones descriptiuas, & accidentales.

Nec valet obijcere, quod etiã Porphy. agat cap. de specie, de indiuiduis: siquidem, id est secundario, & per accidens, sicuti secundario, & per accidens agit de specie subijcibili, quæ non est vniuersam formale: & sic agit de his, quæ sunt correlatiua vniuersi formalis, terminantq; ipsius relationem.

Et nota, quod sicut supra diximus, notionẽ ipsam vniuersalis formalis esse genus ad notiones quinq; prædicabiliũ, ita ut ipsa prædicabilia, vt quo, sint species vniuersi formalis: sic etiã hic dicimus, ipsam vniuersalitatem formaliter sumptam, subiectũ esse quinque prædicabilium: cum ipsæ naturæ, quæ vniuersales denominãtur, ad reliquas pertineant scientias: omnes enim scientiæ de vniuersalibus sũt: materialiter tamẽ sumptis, nõ formaliter: nisi fortè vniuersalitatẽ formalẽ postulent, tanquam modũ, seu conditionẽ obiecti, vt sup. docuimus sect. 2. & hæc dicta sufficiant de hac disputatione.



CAPVT

# CAPVT PRIMVM
## DE GENERE.



GIMVS iam in prçcedentibus disputationib⁹ de Ente rationis, & de vniuersalibus, tanquam de conducentibus ad notitiam Prçdicabiliũ modo oportet agere de ipsis Prçdicabilibus: & primo proponit Porphy. Genus: nec immoror in disputãdo, quarè à genere incæperit? & an ordinem aliquẽ seruauerit in tractatione ipsorum Prædicabiliũ? hæ namq; quæstiones nullius momẽti sunt, & possũt videri in alijs authoribus: quibus scribendi tempus videtur superfuisse potius, quam defecisse, & sic nil mirũ, si in his ventilandis quæstionibus, quod illis superfuit temporis consumpserint. Nos ea tantũ, quæ ad vlteriora sunt nobis necessaria, examinabimus.

In duas ergo diuidit partes caput hoc Porphy. in prima, ly, Genus in sua significata distribuit: in secũda verò, Genus Logicũ describit, illudq; cũ reliquis confert prçdicabilibus, probando allatã de Genere descriptionem esse exactam vnde quaq;.

Tex. *Videtur autem, &c.* Hic prçsupponit, hçc nomina, Genus, & Species nõ esse vniuoca: sed çquiuoca, vel ad summũ analoga: & sic prius diuidenda in eorum significata, quam diffinienda: quare tripliciter

 posse

posse genus vsurpari docet: primo p collatione plurium habentium inter se aliquam habitudinem ad vnum primum principium: secundum quam significationem, Romanorum collectio, genus dicitur: habent enim inter se habitudinem ad vnum principium, nempè, ad Romulum.

Secundo accipitur genus, pro generationis principio, à quo scilicet aliquis originẽ trahit, siuè principium illud pater sit, siuè patria: & sic exemplificat Porphy. de Oreste, qui genus dicitur habere à Tantalo: nõ quod Tantalus eius pater fuerit, (cũ vt optimè Pater Calep. noster vidit, filius Orestes fuerit Agamennonis, & Clyptennestræ, matremq; in vltionem paternæ necis occiderit, à quo Parricidio omnium Areopagitarum Iudicum sentẽtia fuit absolutus:) sed quia à Tantalo originẽ eius prosapia traxit: secũdo exemplificat de Hyllo, qui ab Hercule genus suũ habuit: quia rè vera Herculis filius extitit, & Deianiræ: sic etiã, inquit, Pindarus Thebanus est genere: Plato verò Atheniensis: ille adeò fuit insignis poeta, vt Lyricorum Princeps meruerit appellari, quem tanti fecit Alexãder, vt cũ Thebas deuastaret, Pindari domum ab omni iniuria tutam esse voluerit. Plato verò, qui antea ex Aui paterni nomine Aristocles vocabatur: sic tamẽ postea dictus ab humerorũ latitudine, adeò in omni disciplinarũ genere, & præsertim in Philosophia excelluit, vt ei defuncto, vt Deo immolabatur, hinc Diui

nus

nus nuncupatus est, habebaturq; à Philosophis, vt oraculum Dei: hic ergo Athenis natus est, ac proinde (inquit Porph.) Atheniensis esse genere: & secundum hanc significationē dixit Virgil. (Mantua me genuit) idest Mantuanus sum genere.

Ex harum ergo generis acceptionum similitudine: elicit tertiam generis Logici significationē, quā per se intēdit, dicens. Logicum genus illud esse, cui species supponūtur, vt Animal, genus dicitur, quia sub eo collocantur Homo, Canis, &c. quæ species habēt ordinē, & similitudinem inter se ratione eiusdem naturæ, quam ab ipso superiori genere participant, à quo dicitur etiā suo modo, originē ducere.

Tex. *Tripliciter igitur, &c.* Hæc est secunda huius cap. pars, in qua ex mēte antiquorum Philosophorū, describēs genus, asserit, Genus esse, quod de pluribus, & differētibus specie in eo, quod quid est, prædicatur, vt animal: per hanc diffinitionem ostendit, non solum genus distingui à reliquis quatuor prædicabilibus: nam dum dicitur, de pluribus differentibus specie: ab ipsamet specie differt, cuius tantum est prædicari de pluribus numero solum differentibus: vt Homo solum de Socrate dicitur, & de Platone, &c. qui numero differunt, non specie: at Animal de Homine, leone, equo, &c. prædicatur, qui specie differunt: & per eandem particulam, inquit, differt genus à proprio: quia proprium solū de vna specie prædicatur, & de ipsis indiuiduis, quæ sunt

sub

ſub ipſa ſpecie: vt, riſibile de ſolo homine, eiuſque ſingularibus. Genus verò de pluribus ſpeciebꝰ quando dicitur, in eo, quod quid eſt, differt Genus à Differentia, & ab Accidenti, quæ ſolum prædicatur in eo quod, quale quid eſt: nam interroganti (inquit) quale quid eſt homo? dicimus, quod eſt rationale: & quale quid eſt Coruus? dicimus, quod eſt nigrũ: rationale differentia eſt: nigrum verò accidens: ſed etiam docet, diſtingui genus ab indiuiduo per hanc diffinitionem, cum in illa dicatur, genus prædicari de pluribus: indiuiduũ autem de vno ſolo: non tamen ſpecifice differunt genus, & reliqua prædicabilia ab indiuiduo, cum nõ differant præciſe ratione differentiarum, ſpecificarũ, & eſſentialium: ſed differunt genericè: quia ly, prædicari de pluribus, ſe tenet ex parte generis: & ſic ipſo genere differunt: & hæc ſunt, quæ continentur in littera ſummatim, quæ tamen in illa ſunt ſcitu digna, eorumq; veritas, vel falſitas more ſolito diſputatione vnica examinabuntur.



DISPV-

# DISPVTATIO IV. DE GENERE.

## PRIMA SECTIO.

### *Quid intendat Porphyrius describere in assignata Generis descriptione.*

PRO tituli explicatione not. 1. nulli dubiũ esse debere, diffinitionem assignatam à Porphy. in tex. accidentariam esse, nõ essentialem, cum detur per prædicari de pluribus, ꝙ accidens est vniuersalis (vt vidimus in præceden. disput.) ꝙ ipsemet Porphy. optimè vidit, dum dicit (quod etiam describentes, assignauerunt, dicẽtes, genus esse, &c.) quarè immeritò aliqui laborant in probando friuolis rationibus cõtra ipsius met authoris manifestã mentem, eam esse diffinitionem essentialem.

Secundo not. ꝙ non quærimus in præsenti: An hæc diffinitio sit exacta, vel nè? sed tantum: quid intẽdat per illã Porphyr. diffinire? nã hoc nomen, Genus, nomen est cõnotatiuum, vt diximus, dicitque formam connotando subiectum: itaut pro formali dicat formam, nempè genereitatẽ: pro materiali verò subiectũ, nempè id, quod à tali forma denominatur genus: quæstio ergo est: an author describat formam, an verò subiectum denominatũ: an tandẽ vtrunque; nimirum ipsam genereitatem, & subiectum, quod denominatur genus: itaut ex his duobus resultet aliquod tertium cõstitutũ, quod sit diffinitũ in hac diffinitione, nẽpè, quod prædicatur de plurib⁹, &c. & quod determinabitur de diffinitione generis hic, idem erit de reliquis prædicabilibus sentiendum: immò, & de omnibus cõcretis: vt quando diffinitur album, quod sit disgregatiuum visus, quid intelligatur per ly album.

Tertio not. cũ Didaco disp. 6. q. 1. terminum cõnotatiuũ per se solam formã significare: subiectum tamen nõ significatur per talem terminum

pro-

propriè: sed cōnotatur: & sic Aristo. cap. de qual. inquit, album solam qualitatem significare: & in hoc differunt hæc duo, nempè, albū, & corpus album: non enim nugatorius loquendi modus est, corpus album: siquidem qui dicit, album, dicit tātum albedinem solum innuendo, seù connotandc corpus, at verò qui dicit corpus album, exprimit æqualiter vtrunq;: immò per prius videtur significare corpus, & in eo albedinem, tanquam in subiecto.

Illud tamen 4 not. maximè cum eodem P. Didaco, quod quando accidētia per aliquē actum exercendum, seù per ordinem ad illū diffiniuntur, illius actus exercitiū non debet accidenti, seù formæ præcisè tribui: licet ipsa forma sit ratio agendi: sed subiecto denominato, seù connotato, cū supposita sint illa, quæ agunt, patiunturq;: actiones namq;, & passiones sūt suppositorū: sit exemplum cum diffinitur album, quod sit disgregatiuū visus: ratio disgregādi visum est ipsa albedo, & hoc illi essentialiter conuenit: at actus disgregandi visum competit ipsi subiecto denominato sic ab albedine: hoc tamen non competit illi essentialiter: sed tantum accidentaliter, sicuti accidentaliter competit esse album.

His adnotatis, quæstionis huius facilem esse censeo resolutionē: nam in primis certum existimo, Porphy. noluisse, illa descriptione describere naturam, quæ denominatur genus secūdum suam realitatem, & essentiam præcisè consideratā, animal v. g. quatenus est natura quædam sensibilis, quia, vt sic nequit prædicari de pluribus: cum nō sit formaliter vniuersa: diximus enim disp. præced. naturæ cōsideratæ secundū suam essentiam præcisè, neq; esse vniuersam, neq; singularem: cū tam vniuersalitas, quam singularitas illi conueniant per accidens: singularitas, nimirū, per contractionē ad tale esse: vniuersalitas verò, per abstractionem à conditionibus indiuiduantibus, si de Metaphisica sermo sit: si verò de Logica per comparationem.

Item, neq; voluisse, ipsam

gene-

genereitatē in abstracto præcisè secundum se consideratam, sine aliquo ordine ad naturam aliquam diffiniri: nam licet (vt diximus) ipsi genereitati sic cōsideratæ propriè cōueniat esse rationē prædicandi de pluribus specie differentibus, &c. quod explicatur p prædicari, vt quo: tamen ipsū prædicari, quod est exercitiū illius actus prædicādi de pluribus specie differentibus in quid, quod explicatur p prædicari, vt quod: nam cōuenit ipsi genereitati, cum actiones nō pertineant ad formas, sed ad supposita: bene verum est, quod ipsa genereitas habet, accidentaliter tamen, & denominatiuè, prædicari de pluribus genereitatibus numero differētibus, quatenus species est vniuersi formalis, vt diximus supra, & tunc non consideratur praisè, vt forma quædam est denominans naturā: sed potius, vt quid denominatum ab alia secunda intentione speciei: & sic tūc potius dicitur prædicari, vt quod. Itē existimo, nec voluisse diffinire Porphy. coagulatum quoddam ex ipsa natura, & ex genereitate, tanquā ex pluribus entibus disparatis, quorū vnū quodq; completū in suo esse sit: quia, vt sic, est ens per accidens: ex pluribus namq; entibus in actu fit vnū ens per accidens. Ens autē per accidēs, vt est cōmunis omnium bene sentientium sententia, & præcipuè ipsiusmet Arist. 7. Met. non potest propriè, & in rigore diffiniri, aut describi, quod euidenti ratione probatur: nā essentialis diffinitio debet assignari per vnicum genus, vnicamque differentiam, quibus exactè diffiniti natura, & essentia explicetur: sed entis p accidens nequit assignari vnū proprium genus, vnaq; essentialis differentia, cum constet pluribus naturis pertinētibus ad diuersa genera: ergo neq; ens per accidens diffiniri diffinitione essentiali: sed quod pluribus cōstat naturis, & essentijs, nequit vnam propriā, veramq; passionem sibi vendicare, cū vera proprietas nō ex pluribus, sed ex vnica, & indiuisibili rei essentia habeat dimanare: ergo neq; descriptiua diffinitione queit diffiniri, cum descriptio detur per

propriam passionē diffiniti.

Quod autem coagulatum illud ex natura, & genereitate sit quodā ens per accidens, patet: quia in hoc differt ens per accidēs ab ente per se (vt docet Arist. 5. Met. tex. 13. & 14.) quia ens p se constat vnica tātum natura spectante ad vnicum tantum prædicamentum: sed ens per accidēs constat pluribus naturis pertinentibus ad diuersas cathegorias: & exemplificat Aristo. de eo ente, quod constat ex subiecto, & accidēti. Idem docet 7. Meth. tex. 43. & lib. 8. tex. 15. & 2. de anima text. 7. sed sic est, quod coagulatum supradictum ex natura, & genereitate non solum constat rebus diuersorum prædicamentorū quomodocunq; sed diuersissimorum generum, siquidē constat ex ente reali, & rationis, quibus nil potest dari cōmune vniuocum: ergo est ens per accidens; & ex cōsequēti nequit diffiniri, aut describi.

33 Restat ergo dicendum, intentū Porphyrij fuisse describere hoc cōnotatiuū, Genus, idest genereitatem, quatenus naturam aliquā denominat: sed in hoc nō parua etiā controuersia est: an scilicet diffinitū principale, & in recto sit natura: secundarium verò, & minus principale sit ipsa secūda intentio generis: an verò principaliter diffiniatur ipsa secunda intentio, minusque principaliter, & in obliquo ipsa natura? nā Iauel. in sua Logica tit. 4. cap. 2. Paul. Venet. cap. de Genere. Sot. ibidē q. vnica. Tolet. q. 1. & alij recentiores videntur asserere, definitum Porphyrianæ descriptionis esse naturā, quæ denominatur à secunda intētione generis, cum ordine tamē ad illam, à qua formaliter habet, q sit vniuersa, & quod de pluribus prędicetur: itaut ipsa natura diffiniatur in recto: secūda verò intentio in obliquo.

Alij, quos sequitur P. Dicaqus, totum oppositū sentiunt: docentq; diffinitum in dicta diffinitione esse secūdam intentionem generis in concreto: itaut præcipuum diffinitū sit genereitas: secundariū autem; & minus principale sit natura: probant isti ex 3. notab. supra posito nimirum, q nomina connotatiua significant

cant

cant tantum formam connotantem: subiectum verò non significatur propriè, sed solùmmodo innuitur, & cōnotatur: cumq; hoc nomen genus, sit connotatiuum, quando definitur debet definiri per id quod principaliter dicuntur significare nomina connotatiua, quod est ipsa forma denominans.

Pro huius autem decisione reuocanda est in memoriam distinctio illa, quam lib. 2. nostræ Paruæ Logicæ assignauimus inter terminum concretum, & connotatiuū: ibi enim diximus, omne cōnotatiuum concretum esse, non tamen è contra; nam Homo est terminus concretus, nō tamen connotatiui; cum de ratione connotatiui, quatenus condistinguitur contra absolutū est, aliquid significare per modum alteri adiacentis; vt sunt omnia accidentalia entia, vt albū, nigrum, &c. & etiam substantiæ completæ denominatæ à formis substantialibus, quæ licet qualitates accidentales non sint, tamen se habent ad modum qualitatiuæ formæ; vt substantiale, corporeum, &c. de ratione verò concreti termini tātum est, quod ab aliqua forma denominetur talis; vt à Musica, Musicus; à Logica, Logicus; cumq; homo potius significet per modum per se stantis; vt patet: fit, quod nō sit terminus connotatiuus, est tamen concretus; quia vt docet D. Tho. p. p. q. 39. omnia nomina substātiarum cōcreta sunt, vt Petrus, Homo, Animal, &c. è contra verò, corporeū, rationale, Album, &c. sunt cōnotatiua, & cōcreta: connotatiua quidē, quia significant formam per modū alteri adiacentis, & sic connotando subiectum: concreta verò, quia denominantur sic à formis ipsis; vt patet.

Item, si resoluantur termini concreti, principaliter, & primo dicūt subiecta in obliquo verò formas; vt quid est Logicum? est habens Logicam. quid est Album? Habēs albedinem, &c. Connotatiui verò termini, vt supra diximus, significāt principaliter formas, connotando tātum subiecta; vnde formæ sunt principaliter significatæ; vt rationale significat rationalitatē esse in aliquo, &c. & sic rationalitas

præcipuum significatum est.

His adnotatis, certum est, ly, Genus, esse terminum connotatiuum, & simul concretum: connotatiuũ vtiq;, quia significat genereitatẽ per modum alteri adiacentis, & sic connotando subiectũ, cui adiacet: concretũ verò, quia est vnum quid cõpositum ex genereitate denominante, & ex natura denominata: quatenus connotatiuũ nomen est, principaliter, significat genereitatem, secundariò verò, & minus principaliter connotat subiectum, siuè naturam, quæ dicitur genus: tamen, quatenus concretum est, significat principaliter ipsam naturam: in obliquo autem, & secundariò, ipsam genereitatem denominantem.

Quando aliquis ex hisce terminis ponitur à parte prædicati, stat vt plurimũ pro formali significato, & sic connotatiuè: principaliter namque significatur forma, nõ tamen sine connotatione subiecti, vt homo est albus: homo est calidus, &c. tamẽ si ponatur ex parte subiecti, tunc vidẽdum est, an predicatum necessario subiecto conueniat, idest si sit de essentia ipsius, vel propria passio: an verò accidentaliter cõpetat illi: si necessario prædicatum conueniet illi subiecto, tunc talis terminus stabit cõnotatiuè præcisè: nã principaliter dicet formã: vt in hac propositione Albũ est disgregatiuum visus: si tamen prædicatum erit illi accidentale, tunc talis terminus stabit concretè præcisè, idest principaliter significabit subiectum denominatum: vt in hac propositione: Logicus canit, vel currit, &c.

Tota ergo controuersia, & difficultas modò consistit (vt arbitror) in cognoscẽdo, quomodo stet ly, Genus, quando describitur à Porphy. concretè nè, vel connotatiuè: si concretè stabit, tunc præcipuum diffinitũ erit natura, quæ denominatur à genereitate genus: si verò connotatiuè, tunc certum erit, præcipuum diffinitum esse ipsam secundã intentionem connotantem naturam: quæ doctrina non est aspernenda: siquidem facillimam reddit omninò quæstionem hanc, quæ difficilis, obscuraq;

fcuraq; videtur fatus his, qui connotatiuum cum cócreto confundunt.

Quamobrem breuiter dicendū existimo, ly Genus, stare connotatiuè, & sic diffiniri illa diffinitione principaliter secundam intētionem denominantem naturam, nempè, genereitatem; ipsam verò naturam diffiniri secundariò, & minus principaliter. Totū hoc dictū pendet ex eo, quod est, genus stare connotatiuè, & non concretè præcisè, quod si ita erit, facilè inde intelligetur, diffiniri principaliter secundā intētionē connotantē, iuxta superiorē doctrinam.

Diximus supra, quod tunc terminus aliquis stat cōnotatiuè in aliqua ꝓpositione ex parte subiecti, quando prædicatū, vel est de essentia ipsius, vel propria passio, itaut necessario, non accidentaliter illi conueniat: sed in hac propositione, Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, &c. loco prædicati stat totum illud, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, &c. & aliàs necessario conuenit generi: ergo genus stat cōnotatiuè: prima p. m. patet: secunda verò pars probatur: nempè, quod prædicari de pluribus, &c. necessario conueniat generi: quia ex supiori disput. satis liquet, prædicari de plurib⁹ esse propriam passionem vniuersi formalis: ergo prædicari de pluribus sic, vel sic: nempè differentibus numero, vel specie, &c. propria passio erit talis vniuersi formalis, nempè speciei, vel generis, &c. & Cōfirmatur, quia illud dicitur alicui proprium, quod alteri nō cōpetit: sed prædicari de pluribus differentibus specie in quid, nō competit alteri à genere, vt patet: & Porphy. apertè docet in tex. & Arist. etiam 1. Topic. cap. 4. ergo est propria passio generis: & ex consequēti, Genus, stat cōnotatiuè: vnde manifestè sequitur, præcipuū diffinitū esse secundam intentionem connotantem tamen subiectum.

Hoc potest etiā facilè suaderi: quia illud est diffinitū in aliqua diffinitione, cu⁹ natura p illā diffinitionē explicatur, siue p essentialē differentiā, siue per propriā passionē: sed

sed in diffinitione Porphyriana non explicatur aliquo modo natura subiecti denominati: sed tantum secundæ intentionis denominatis: ergo non erit subiectum diffinitũ illius: sed secunda intẽtio: mi. prob. quia subiecto cuicumq; accidit prædicari de pluribus differentibus specie: non autem accidit ipsi secundæ intentioni, cum necessario illi id conueniat ex eo, quod species est vniuersi formalis: ergo diffinitum erit secunda intentio.

Et confirmatur, nam quando dicimus, Animal prædicari de pluribus specie differentibus, &c. vel id habet animal secundũ se: vel quatenus præcisè substat secundæ intentioni generis; non secundum se: cum, vt sic, tãtũ respiciat suã prædicata supiora: ergo quatenus substat genereitati: ergo ratione genereitatis id habet: ergo genereitati id præcipuè, & formaliter cõuenit: nã id, propter quod aliquid est tale, dicitur esse magis tale: sicut cum dicimus, album esse disgregatiuum visus: vel hoc habet subiectũ, quod denominatur ab albedine albũ, secundum se: & hoc nõn, vt patet, cum id accidentaliter omninò alicui subiecto conueniat: vel habet ratione albedinis: si ratione albedinis: ergo albedini potius principaliter, & formaliter competit, disgregare visum, cũ id possit subiecto tribuere.

Addo, quia si diffiniretur natura, vel esset aliqua natura particularis, vt Animal, color, &c. vel aliqua natura cõmunis omnibus alijs: non primũ, quia diffinitio debet conuerti cum diffinito: sed non valet, prædicatur de pluribus specie differentibus? ergo est animal: sicuti non valet: est animal: ergo est homo, vt patet: nec secundũ, quia si diffinitũ esset aliqua natura communis omnibus particularibus, daretur aliquod vniuocum formaliter, & essentialiter substantiæ, & accidenti: quia daretur aliqua natura, quæ essentialiter, & vniuocè prædicaretur de substãtia, & accidẽti, vt patet, quod nemo cõcedere audebit: ergo nullo modo dicendum est, diffiniri naturam.

Sed obijcies: illud est diffinitum

situm in aliqua diffinitione, cui cōpetit diffinitio: sed hæc diffinitio assignata à Porphy. scilicet, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, &c. non conuenit secundæ intentioni: sed naturæ: nam hæ propositiones sunt veræ: homo est animal: æquus est animal, &c. hæ autem falsæ: homo est genereitas, siuè genus: æquus est genereitas, siuè genus: ergo diffinitum illius diffinitionis est natura: non autē secunda intentio.

Respondeo, ommissis non nullis alijs solutionibus, conc. ma. distin. mi. prædicari de pluribus specie differentibus non conuenit secundæ intentioni generis formaliter, & vt quo, neg. non conuenit, vt q, & quantū ad exercitiū actus, conc. diximus.n. supra not. 4. quod quando concreta, siuè connotatiua accidentiū diffiniuntur per aliquem actum exercēdum: tale exercitium nō competit formæ denominanti præcisè: licet sit ipsa forma ratio præcipua agēdi: sed subiecto denominato, cum actiones sint suppositorū: & sic, licet secundę intētioni generis non conueniat prædicari de pluribus specie differentibus, vt quod, cum nequeat ipsa exercere actū prædicandi: est tamen ratio, quare natura de pluribus prædicatur: & sic sicuti naturæ accidentaliter competit esse genus: ità accidentaliter competit illi de pluribus prædicari, cum tamē sit propria passio ipsius genereitatis.

## SECTIO SECVNDA.

*Quodnam sit Genus diffinitionis assignatæ à Porphirio?*

PRO tituli intelligentia not. quod (vt in nostra Parua Logica diximus) quælibet diffinitio, siuè essentialis sit, siuè descriptiua, & genere, & differentia constare debet, vel ex aliquo, quod stet pro genere, partemq; diffiniti materialem explicet, & ex aliquo, quod stet loco differentiæ, & partem dicat formalē rei diffinitæ: cum genus

suma

sumatur à materia: differētia verò à forma: non quod tantum ea, quæ sunt composita ex materia, & forma habeant genus, & differentiā: cùm certum sit, Angelos omninò immateriales esse, & tamé compositi sunt ex genere, & differentia: item etiam in accidentibus abstractis, materia non est, & ex genere, & differētia dicuntur cōponi: dicitur ergo genus sumi à materia: differentia verò à forma, idest ab eo, quod se habet, vt materia: & ab eo, quod se habet, vt forma: nam sicuti in composito Physico duo reperiūtur: nempè materia, & forma: vbi materia dicit imperfectionem, cū dicat potentiam, & se habeat, vt quid perfectibile, & determinabile ad tale, vel tale esse: forma verò dicit perfectioné, cum dicat actū, & se habeat, vt quid perficiens, actuans, & determinans ipsam materiam ad tale, vel tale esse: ità in cōposito Metaphisico duo etiā reperiuntur; genus nempè, & differentia: vt in Homine, & reperitur ratio generica animalis, & ratio specifica, & formalis ipsiusmet hominis, in quantum homo est, quæ est rationalitas: Genus se habet ad modum materiæ: quia se habet, vt quid perfectibile, & contrahibile per differentias specificas ad tale, vel tale esse specificum: vt Animal v.g. nō est secūdum se sub aliqua determinata specie: sed determinatur à rationalitate, vel irrationalitate ad esse hominis, vel Bruti: & ideo differentia, quæ dicit actum, se habet ad modum formæ perficiētis, & contrahentis ipsam rationem genericā ad aliquod esse specificum: sic ergo intelligendū est illud axioma; nimirū, genus sumi ab eo, quod habet rationem materiæ, potentiæ, & perfectibilis: differentiam verò ab eo, quod habet rationē actus, formæ, & perficientis: & ea, quæ genere, & differētia constant dicuntur composita Metaphisica. Cumq; genus quatenus diffinitur in diffinitione à Porphy. assignata, sit quodam compositum Metaphisicum ex genere, & differentia; sicuti quicquid diffinibile est: ideo ad explicandum eius naturā traditur semper diffinitio per genus, &

& differentiā, vel per aliquid, quod stet loco generis, & per aliquid, quod stet loco differentiæ: de differētiā præcipuè essentiali generis erit infra sermo: modo tātum est quæstio, quid nā collocetur pro genere in diffinitione allata à Porphy. nempè, quod prædicatur de plurib⁹, &c. & nd, quod determinabitur in præsēti de genere huius diffinitionis, sit etiam determinatum de reliquis diffinitionibus cæterorū prædicabilium; siquidē cum sint omnia quinq; specie differentia, debent in eodem genere conuenire: vt homo, leo, canis, &c: differunt specie tamen in eorum diffinitionibus idem prorsus genus collocatur, quod est animal.

In qua rē; prima sententia esse potest. Tol. cap. de genere q. 3. qui in hoc sequitur Auicen. cap. 6. suæ Logicæ. estq; etiam aliorum recentiorum; asserentium, genus huius diffinitionis esse, prædicabile latè sumptum, quatenus etiam includit prędicationem de vno solo, quæ est propria indiuiduorum: suadentq; hac ratione: omnia illa, quæ differunt à diffinito ratione alicuius differentiæ in eius diffinitione positæ, debēt conuenire in eodē genere cum ipso diffinito: sed Porph. excludit indiuiduum a ratione generis per illā particulā, prædicari de pluribus; quæ habet locum vnius differentiæ, cum faciat diffinitum ab aliquo differre: ergo indiuiduum debet contineri sub eodem genere, sub quo cōtinetur ipsum genus: hoc non videtur posse esse aliud, quā prædicabile latè sumptum, cum indiuiduum etiam suo modo prædicetur: ergo prædicabile erit genus in illa diffinitione. ma. patet: quia ideo in diffinitione hominis ponitur ly, rationale, vt excludantur bruta, quæ irrationalia sunt: tamen continentur sub eodem genere animalis, sub quo homo continetur: prima mi. patet in tex. reassumptum verò probatur ex eodē tex. vbi author videtur diuidere ly, prædicabile, tanquā genus in prędicabile de pluribus, & de vno solo, tanquam in suas species: asserit enim, eorum, quæ prædicantur: alia quidē de vno dicuntur solo, sicut

individua: alia verò de pluribus, quemadmodum genera, species, &c. ergo mens ipsius Porphy. est ponere pro genere in prædicta diffinitione, ly prædicabile, quatenus sub se comprehendit etiam individua.

Sed hæc sententia non placet; quia genus debet prædicari in quid de eo, cuius est genus: sed prædicabile prædicatur in quale de omni eo, quod prædicatur: ergo nequit esse genus: ma. cum consequentia patet: mi. prob. quia omne accidens, siuè proprium sit, siuè commune prædicatur in quale de subiecto; vt patet per authorem: sed prædicabile est propria passio illius, quod prædicatur: diximus .n. hoc, quod est, esse prædicabile de vno, vel de pluribus dimanare ab hoc, quod est, esse in vno, vel in pluribus, tanquã à propria essentia: ergo prædicabile prędicatur in quale, & ex consequenti nequit esse genus.

Addo; falsam omninò esse propositionẽ illam, supra quã supra citati authores fundant eorum sententiam, nimirum: ea, quæ differunt à diffinito ratione alicuius differentiæ in eius diffinitione positę, debẽt conuenire in eodem genere cum ipso diffinito: nam patet euidenter bene posse, id quod est diuersi generis ab aliquo, per genus simul, & differentiam differre ab illo, quatenus genus etiam includit rationem quandam differentialẽ: vnde lapis differt ab homine, non solum per rationalitatem: sed per ipsum genus, nempè animal: ergo non omne, quod differt ab aliquo per differentiam, quæ ponitur in eius diffinitione, debet collocari sub eodem genere, sub quo continetur illud diffinitum.

Præterea falsum etiam est; Porphyrium posuisse, ly prædicari de pluribus, loco differentiæ: ita ut per ly prædicari de pluribus, tanquã per differentiã excludatur indiuiduum à ratione generis, cum euidenter contrarium colligatur ex ipso textu: vbi author sic habet, loquens de his quinque prædicabilibus: (Ab ijs igitur, quæ de vno solo prædicãtur differunt genera eo, quod; hæc de pluribus prædicãtur) ex quib⁹ colligere possumus

hanc

hanc efficacem rationē contra superiorem sententiā. Ea, quæ differunt per aliquā differentiam, & conueniunt in vno genere, dicuntur solum specie differre (vt patet:) sed indiuiduum ex Porph. differt genere à quinq; prædicabilibus: ergo nequit sub eodem genere collocari cum illis, & ex consequēti, non differt ab illis per ly prædicari de pluribus, tanquam per differentiā.

Et ex his patet Responsio ad rationē, in corroborationē dictæ sententiæ adductā: dicimus enim, quod si illa maior sic intelligatur, omnia illa, q differunt à diffinito ratione alicuius differētiæ in eius diffinitione positæ (præcisè) conueniunt in eodem genere cū ipso diffinito: erit vera: tamē absolutè, est neganda, iuxta paulo supra dicta: præterquā mi, etiā prima falsa est (vt diximus, & infra clarius) nō enim differt indiuiduum à genere per ly, prædicari de pluribus, tanquam per aliquā differentiam: sed tanquam per genus, nam loco generis (vt dicamus) stat illa particula, cum genus etiam includat rationē quandam differētialē, vt vidimus: quando autem dicitur, quod Porphy. videtur in tex. diuidere ly prædicabile, tanquam quoddam genus, in prædicabile de pluribus, & de vno solo: Resp. verū esse, diuidere prædicabile in ea, quæ prædicantur de vno, vt sunt indiuidua, & in ea, quæ prædicantur de pluribus, vt sunt quinq; vniuersalia: cæterum illa diuisio non est generis in species: sed potius Analogi in analogata: cum per prius, & proprius, ly prædicabile, dicatur de prædicabili de multis, quā de vno; cum de ratione prædicabilis, vt sic, sit de alio dici, & enunciari. Vide Alber. tract. 3. cap. 4. & Tolet. q. 1. de indiuiduo hic, vbi docet prædicationem eiusdem de seipso esse veram, sed impropriam: indiuidualis autem prædicatio nō est prædicatio de alio, sed de seipso: & sic nō est adeò propria hæc prædicatio, sicut prædicatio vniuersi: vnde sequitur, prædicabile se habere, vt quid analogum, respectu vniuersi formalis, & indiuidui.

Alij volunt, vniuersum formale stare pro genere, in dicta diffi-

diffinitione; cum vniuersum formale sit immediatū genus ad omnia quinq; prædicabilia, vt dixi. Alij docēt esse naturam realē, quæ est subiectū denominationū huiusmodi, secundarumq; intentionum. Alij tandem fatentur loco generis stare totum illud, quod prædicatur de pluribus, quæ videtur esse diffinitio ipsius vniuersi formalis.

Cæterū pro huius quæstionis decisione, not. primo, ꝗ aliquando in diffinitione alicuius rei, licet assumere loco generis, ipsiusmet immediati generis definitionē: vt si diffiniretur homo, viuēs sensibile rationale: ly viuens sensibile, quod est diffinitio Animalis, quod est immediatum genus ad Hominem, stat loco ipsius Animalis; cum diffinitio, & diffinitū idem omnino sint.

Secundo not. est, ꝗ diuersimode diffiniuntur accidēs concretum, & abstractū: nam licet vtrunq; debeat diffiniri per subiectū, ad quod dicunt ordinem, siuè in actu, siuè in potentia: tamen accidēs concretum solet diffiniri per subiectum, tanquam per genus, & in recto: vt simus est nasus curuus: abstractū verò solet diffiniri per idem subiectum, tanquam per differentiam, & in obliquo, ita ut in diffinitione ipsius nō ponatur subiectū in recto, sicuti in diffinitione concreti, sed in obliquo: vt simitas est curuitas nasi.

His adnotatis: dico breuiter primo; diffinitionis prædictæ genus nequit esse vniuersum formale: ita ut faciat illa diffinitio hunc sensum: Genus est vniuersum, quod prædicatur de pluribus, &c. hoc dictum patet: quia idem bis repetere pur in eadē diffinitione, quod est maximum vitium: patet, quia idem est dicere, prædicatur de pluribus, ac dicere, est vniuersum: cum prædicari de pluribus (vt diximus) sit propria passio vniuersi, & ꝑpria passio cōuertitur, cū eo cuius est propria passio: & sic idem esset, ac dicere; genus est vniuersum; quod est absurdum: ergo, &c.

Dico secundo loco generis in dicta diffinitione ponitur totū illud, nempè, quod prædicatur de pluribus, quia est diffinitio, licet descriptiua

vniuersi formalis: patet hoc dictum ex not. supra posito: nam idem est diffinitũ, & diffinitio: ergo bona diffinitio est illa, in qua loco generis proximi põnitur diffinitio ipsius: sed ly, quod prædicatur de pluribus, est diffinitio vniuersi formalis, quod est proprium genus omniũ quinque prædicabilium: ergo ly, quod prædicatur de pluribus, stat loco generis: & Confirmatur, quia illud est genus in aliqua diffinitione, in quo conuenit diffinitum cũ reliquis speciebus, à quib⁹ differt specie, ratione propriæ differentiæ specificæ, essentialiter distinctæ à differentijs specificis reliquarum specierum: sed in hoc, q; est prædicari de pluribus conuenit genus cum specie, differentia, proprio, & accidenti, à quibus specificè differt, ratione propriæ differentiæ specificæ, distinctæ à differẽtijs ipsorum, vt probat ipsemet Porphy. in tex. vbi docet, quod p ly differentibus specie, differt genus à specie, & à proprio: à specie quidem: quia hæc de pluribus numero solum differẽtibus prædicatur: à proprio autem, quia hoc de vna sola specie, deque eius indiuiduis pdicatur: per ly verò, in eo, q quid est, dicit; differre genus à differentia, & ab accidenti: quæ prædicãtur in quale quid, vt nos etiam in expositione textus, diximus ex mẽte Authoris: ergo ly, quod prædicatur de pluribus, stat loco generis.

Dico tertio, relatiuũ, quod, positũ in diffinitione generis, referri optimè ad subiectum denominatum formaliter vniuersum: quod est natura in communi: itaut illa diffinitio faciat hunc sensum, genus est natura, quæ pdicatur de pluribus differẽtibus specie, &c. hæc conclusio ex eo pbatur: quia quando diffinitur accidens in cõcreto, solet loco generis poni subiectũ in recto: cum omne accidens diffiniatur per ordinem ad subiectũ: quarè cum in abstracto diffinitur, ponitur subiectum in obliquo, loco differentiæ, vt diximus supra: sed subiectum secundæ intentionis est, natura, vt sic, & in communi: ergo per illud relatiuum (quod) significatur natura.

Neq;

Neq; valet, quod natura, vt sic, & in communi nequit esse vniuoca ad omnes naturas, cū substantiæ, & accidenti nequeat assignari aliquid cōmune vniuocū: nam nos non loquimur de natura, vt sic, & absolutè, idest de natura secundum suum esse reale, & essentiæ: quia certum est, substantiæ, & accidenti non posse dari aliquid essentialiter, & realiter commune vniuocum: sed loquimur de natura cum ordine ad secundā intentionem denominantem præcisè: qua ratione equè cōuenit omnibus naturis, siuè accidentales sint, siuè substantiales: siquidē nō attenditur, secundum hanc cōsiderationem, ad esse substantiale, siuè accidentale: sed tantū ad esse subiecti denominati, vel denominabilis à secūda aliqua intentione.

## SECTIO TERTIA.

*Vtrum benè descripserit Porphyrius Genus? & quanam sit exacta huius prædicabilis Diffinitio?*

Titulus quæstionis clarus est, duoq; petit: primum, vt examinemus diffinitionem allatam à Porphyrio: secundum, vt assignemus verā generis diffinitionem: vbi determinabimus etiam, quid sentiendū de diffinitionibus reliquorum prædicabilium.

Quantum ad primū: miror satis Doctores, qui hāc disputantes quæstionē, nō aliquid videantur Porphyrio detrahere, propriæ potius derogāt authoritati: nituntur etenim, idq; contra proprium velle, affecta sequi, nec de ipsiusmet authoris textus rigore curare videtur: namq; si (vt expediret) Porphyrij ponderarent verba, non adeo communia, friuolaque adducerent argumenta, quæ facris soluuntur linfis (vt aiunt) contra ipsam diffinitionē: cum ex ipso text insolubiles (vt arbitror) rationes, quæ diffinitionem illam destruunt omnino, valeāt deduci: quibus; & ipse motus

Assero,

Assero, Diffinitionem generis à Porphyrio allatam, nempè, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, in eo, quod quid, eiusq; textualem explicationē, nullo pacto esse amplectendam.

Hoc autem, non ex eo deduco, quod illa Diffinitio videtur cōuenire Enti, cum, & ens prædicetur de pluribus differētibus specie, &c. vt discurrenti patet; nam huic obiectioni facilè occurritur dicendo, Enti non posse illam diffinitionē appropriari, cum sub illa particula (quod) cōprehendatur natura apta suscipere denominationē vniuersalis: qualis est natura cōpleta, finita, cum reliquis conditionibus, quas nos disp. præced. in initio annumerauim⁹: ens autē non est natura completa, finita, &c. sed abstrahit ab ente completo, & incompleto, finito, & infinito.

Neq; id probo ex eo, quod datur aliquod Genus, quod de pluribus differentibus genere prædicatur, vt est substātia, quæ prædicatur de corruptibili, & incorruptibili, quæ genere differunt (vt docet Arist. 10. Metaph. tex. 26.) nā statim quis respōdebit; aliud esse differre genere Logico; aliud verò genere Phisico: illa dicuntur differre genere Phisico, quæ differunt materia: vnde corpora cælestia, & sublunaria dicuntur differre genere Phisico: illa dicuntur differre genere Logico, quæ collocantur in diuersis prædicamentis: substātia ergo prædicatur de corruptibili, & incorruptibili, de corporeo, & incorporeo, quæ si genere differunt: non tamen genere Logico: sed ad plurimum genere Phisico: quæ autē solo genere Phisico differunt, bene collocantur sub eodem genere Logico.

Neq; ex eo, quod substantiæ incompletæ quiditatiuè prædicātur de pluribus differētibus specie: vt Anima, quæ dicitur de Anima rationali, sensitiua, & vegetatiua, quæ differunt specie: & tamē Anima non est genus: quia licet hoc argumentum habeat aliquam difficultatē, cum videatur cōuincere, etiam Animā, quę ens incompletū est, posse genus denominari, siquidem

cum

cum prædicetur de pluribus, necessario rationem vniuersi formalis induere debet: quod si induit, vel illa secunda intentio vniuersalis, à qua denominatur, est eiusdē rationis cum aliqua ex quinque speciebus ipsius vniuersi, vel diuersæ: si eiusdem rationis, maximè cū secunda intētione generis, cū habeat prædicari de pluribus specie differentibus quidditatiuè: si diuersæ: ergo distinctā speciem constituet à reliquis. Licet, inquam, videatur habere difficultatē hoc argumentum, tamen facilè occurritur dicendo, Animam excludi à ratione vniuersi formalis strictè sumpti, de quo loquimur per illam particulam, quod, quæ tantum dicit naturā illā, quæ apta est denominari vniuersa formaliter, cuius aptitudinis requisitas conditiones proposuimus in princ. disp. præced. Anima autē deficit in multis, non solum, quia est natura incompleta, quā ratione nō ponitur in rectā lineā prædicamentali, nisi reductiuè: sed etiam, quia censeo, animā dici analogicè de rationali, sensitiua, & vegetatiua: cum principalius, & perfectius cōmunicetur primæ, quàm reliquis: immò reliquæ continentur in prima, tanquam in nobiliori, vt in libris de Anima (dante Deo) dicam: potest tamen Anima dici vniuersa largo modo, quo pacto ens, diffinitio, trāscendētia omnia dicuntur vniuersa.

Neq; ex eo probanda est mea sententia: quia differētia prædicatur in quid ex Arist. 4. Top. cap 4. ergo male Porphy. excludit à ratione generis, differentiam: ex eo, quod Genus prædicatur in quid: differētiā verò in quale: nam huic potest primo Responderi, ibi Aristotelē sumere differētiam pro diffinitione: siquidem, sicut per diffinitionem vnum differt ab alio: ita per differentiam, quæ est diffinitionis forma: vnde cum dicit, differentiam in quid prædicari, vult, ita dici diffinitionē de diffinito: sumitur itaque ibi pars pro toto. Vel secūdo potest præ dictæ obiecti oni satisfieri, dicendo, quod prædicari in quid cōtingit dupliciter: vno modo secundū rem tantum: & sic, quicquid quidditatiuè

tiue de aliquo prædicatur po test dici, quod prædicetur, vt est differentia: alio modo, secundum rem, & modū simul: vt est id, quod prædicatur essentialiter, & per modum per se stantis: quo modo prædicatur genus, & non differentia, cū differentia prædicetur per modum alteri adiacentis, & sic inquit Porphy. prædicari in quale quid.

Quod si aliquis contra hoc obijciet: hoc, quod est prædicari per modum alteri adiacentis, ideò differentiæ conuenit, quia est quædā forma, & quælibet forma, vel alteri adiacet verè, & propriè, vt est forma accidentalis: vel se habet ad similitudinem formæ accidentalis, & sic per modū alteri adiacentis: sed etiam genus, immò, & species se habent respectu inferiorum, vt formæ quædam subſtātiales: nam ideò hæ propositiones, homo est animal: Franciscus est homo, sunt propositiones formales: quia ly Homo, & ly Animal, se habent, vt formæ respectu subiectorum prædictarum propositionum: ergo etiā genera, & species dicentur prædicari in quale quid: quia non videtur esse maior ratio de differentia, ac de genere, & specie.

Respondetur, ideò prædicari per modū alteri adiacentis conuenire differētiæ: quia est quædā forma: verum est: cæterum nō omnis forma est adiacens: sēu per modum ad iacētis, sed solum illa, quæ est vera forma, siue accidentalis, siue substantialis: de ratione autem verę formæ nō solum est, alteri adiacere: sed illud actuare, determinare, perficere, siue intrinsicè, siue extrinsecè, illiq; aliquod esse dare. Illa ergo forma, quæ has conditiones habebit dicetur, ex equi propriè formæ veræ munus: ita se habent omnes formæ substantiales, & accidentales respectu eorum, quorū sunt formæ: vt rationalitas determinat Animal ad esse hominis, actuat potentialitatem ipsius, & ex cōsequēti actuando perficit, cum det illi perfectius esse. Genera autē, & species non sunt propriè formæ, sed largo quodam vocabulo: eo modo, quo etiam materia ab Arist. 4. Met. nuncupa-

tur forma, dum docet Dialecticam, & Metaphisicã circa eandem formam versari: non quod habeant idem subiectũ formale, cum hoc falsum sit, sed quia versatur circa idem obiectum materiale, vt alibi diximus: quare cũ de forma est sermo, distinguẽda est propositio: nam vel loquitur de forma contrahente, quæ est vera forma: vel de forma contrahibili, quæ lago vocabulo dicitur forma: forma contrahens est, per quam cõtrahitur genus ad esse speciei, vt rationale: forma contrahibilis est, quæ contrahitur per formam contrahẽtem ad esse tale, vel tale, vt Animal, quod à rationalitate cõtrahitur ad esse hominis. Genera ergo, & species non sunt formæ, nihilominus tamen se habent per modum formarum, cũ sint in inferioribus, tanquam in fundamentis proprijs: hoc autem esse in inferioribus, nullo modo se habet per modum adiacentiæ: siquidẽ adiacere, Logicè sumptum, est alteri adiungi, & coniungi, tanquã subiecto sustentanti (in rigore loquendo,) & sic adiacere, propriè, accidenti cõpetit: formæ verò substantiali, per quandam assimilationem: nam sicut accidens, v.g. albedo adiungitur corpori: ità forma substantialis, & essentialis, v.g. rationalitas, adiungitur Animali: quarè non dicitur forma substãtialis adiacere, sed habere se per modum alteri adiacentis. Genus autem, cum cõtrahitur per rationalitatẽ ad esse hominis, neq; propriè, neque per similitudinem potest dici adiacere: non propriè, cũ non sit in inferioribus, tanquã in subiectis inhæsionis, sed tanquam in fundamentis: neque per similitudinem, cum non dicatur Animal adiungi speciei hominis, cũ potius è contra sit: omnes, namq;, species accidunt generi, & sic adiunguntur illi per differẽtias essentiales contrahentes ipsum genus, ex quib⁹ sequitur; nullo modo Genus posse prædicari in quale quid, sicut differentia.

Neq; valet contra hoc adducere authoritatem Aristotelis cap. de substãtia post medium: vbi docet apertè secundas substantias, quo nomine

genera,

genera, & species nuncupat, significare quale quid: ergo non solum differētia, sed etiā genus, & species prædicantur in quale quid. Nam ad hoc facilè Respondetur; aliud esse significare quale quid apud Aristotelem, aliud apud Porphyrium, prædicari in quale quid: nam Arist. sumit, quale quid, quatenus distinguitur ab, hoc aliquid: asserit enim, substantiā primam, vt indiuiduū, significare hoc aliquid: substantiā verò secundā, quale quid. significare hoc aliquid est significare naturā aliquā substātialem, determinatam, subsistentē, vt quodlibet indiuiduū (excepto vago, de quo suo loco) significat: quale quid autem significat huius oppositum: nempè naturā aliquā substantialem nō contractam ad tale esse indiuiduale, vt sūt genera, & species. At verò prædicari in quale quid apud Porphyrium, est prędicari de inferioribus admodū qualitatis, siuè formæ accidentalis, & sic per modum alteri adiacentis: vt est differētia essentialis, quæ, quia significat naturam, seu formam nō per se stātem, sed alteri cōiunctam, siuè adiunctam, vt melius dicam, nō videtur habere perfectū modum substātialem, & quia est de essentia, & quidditate speciei, conformatur cū esse substantiali: & sic dicitur prædicari in quale quid: Genera autem, & species se habent potius admodum per se stantis, cum ly Homo, ly Animal, vt alibi diximus, termini sint absoluti, nō connotatiui; quare nequeunt in quale quid prædicari, licet significent quale quid.

Sed si aliquis petat: Cur ergo Arist. supradicto loco docuit, genera, & species videri quidē, propter appellationis figuram, hoc aliquid significare; non tamen verum esse, sed magis quale aliquid? Respondeo, voluisse Aristotelem, genera, & species: aliquando ex communi modo loquēdi videri significare hoc aliquid, idest naturam determinatam subsistentē: quia per ea loquimur aliquādo de suppositis, dicendo, Homo scribit, Animal loquitur: in quibus propositionibus ly Homo nō stat pro specie naturæ humanæ,

sed pro quodã indiuiduo ipsius speciei: & ly animal non stat genericè, sed personaliter pro aliquo indiuiduo determinato: & sic in hisce, & similibus loquẽdi modis, genera, & species videtur significare hoc aliquid: cæterum id tantum est ex vsitato loquendi modo, cum rè vera significet quale quid.

Neq; valet obijcere, quod sensibile est differentia, & tamen prædicatur in quid, secundum cõmunem omnium sententiã, de rationali, & irrationali: nam Respondeo, verũ esse, quod nõ solum differentia, sed propriũ etiam, & accidens, si comparentur ad eorũ inferiora, vt sensibile ad rationale, & irrationale: gressibile, quod est animãtium propriũ, ad risibile, rugibile, & latrabile: & tandem color, ad albedinem, nigredinem, &c. prædicantur in quid: tamen tunc, neq; sensibile differentia est, neq; gressibile propriũ, neq; color quintum prædicabile, sed omnia induunt rationem generis: tunc tamen sensibile tertij prædicabilis rationẽ habebit, quãdo respiciet speciẽ, quam constituit: & tunc risibile, & color erunt quartum, & quintum vniuersale, quando respicient subiecta, quorum sunt accidentia, siuè propria, siuè communia.

His autem, & alijs friuolis oppugnationibus ommissis, quæ nequeunt Porphyrianã destruere diffinitionẽ: vrgentioribus est nobis oppugnandum rationibus: quarũ prima sit. Docet ipse author, quod per illam particulã (differentibus specie) differt genus nõ solũ à speciebus, quæ de pluribus numero, differentibus prædicantur: sed etiam à proprio, quod de vna sola specie prædicatur: Contra hoc argumentor argumento cõmuni, quod fit ab omnibus, & præcipuè à Tol. q. 4. de Genere. Multa sunt propria, quæ de pluribus speciebus prædicantur, vt mobile, æquale, simile, &c. quæ de pluribus corporibus, specie differentibus prædicantur: ergo non differt in hoc à genere, quod de vna sola specie proprium prædicetur, immò cap. 10. de communitatibus asserit ipse, taliter propriũ vnius esse speciei, vt impos-

impossibile, sit dari aliquod proprium, quod pluribus speciebus conueniat.

Huic argumento Resp. 1. P. Tole. admittendo, aliquod proprium de pluribus speciebus prædicari: asserit tamen, id non haberi pro proprio: nam Porphy. (inquit) hoc intendit, quod prædicatio, quæ necessario, & semper constituit Genus, sit de pluribus speciebus prædicari: at prædicatio necessaria proprij, est de vna specie: reliquum est per accidens, & secundario: quia illa species, de qua prædicabatur erat subalterna.

Sed hoc effugium non est docto viro dignum, cum sibi ipsi videatur contradicere: nã cõcedit dari proprium, quod de pluribus speciebus prædicatur, quod est expresè contra Porphyrium supra citato loco, præsertim de communitatibus: vbi impossibile iudicat, dari huiusmodi propriũ: ac parum post cũ dicit, illud proprium nõ haberi pro proprio, contrarius est sibi ipsi: si enim verè proprium esse admittit, qua ergo ratione non habet illud pro proprio? vel enim omnes cõditiones veri proprij habet, nempè, quod conueniat omni, soli, & semper: vel non omnes habet: si habet, ergo nequit non esse verum proprium: si verò non habet: ergo nequit proprium esse.

Quod autem docet Tole. Porphyrium intendere, prædicationem, quæ necessario, & semper constituit Genus, esse prędicari de pluribus speciebus: & prædicationẽ, quæ necessario constituit propriũ esse, prædicari de vna sola specie: quodque illa species sit subalterna, id esse per accidens, hoc falsum esse omninò arbitror, & expresè contra ipsius authoris mẽtem, quod sic probo: ratio vniuersi formalis nõ desumitur per ordinem ad æquale, sed per ordinẽ ad plura inferiora, in quibus reperitur, & de quibus suo modo prædicatur: ergo prædicatio, quæ ꝓprio quarto prædicabili est propria, nõ est prædicatio de illa sola specie præcisè, cuius est propriũ, cum conuertantur ad inuicẽ, & nõ reperiatur inter ea duo ratio superioris, & inferioris,

quæ requiritur ad constituendum vniuersum formale: sed est prędicatio de inferioribus illius speciei, cuius est proprium: sed Porphy. assignat proprio tantum prædicationem de indiuiduis præcisè, tanquam de inferioribus, vt patet in tex. vbi ait, proprium de vna sola specie prædicari, & de indiuiduis, quæ sub ipsa specie sunt: & non dicit de inferioribus ipsius speciei, quæcunque illa sint: sed expresse de indiuiduis: ergo manifeste patet, Porphy. nullo modo tribuisse proprio alicui prædicationem de pluribus speciebus, quod clarius patet ex cap. 8. de cōmunitatibus, vbi assignans discrimen inter differentiam, & proprium, dicit: differentiā sæpè prædicari de pluribus speciebus: propriū verò solū de vna specie: ergo numquam de pluribus: tandem, quod hoc fuerit ipsius Porphy. intētum, exactissimè colligitur ex eo, quod (vt supra dixi) impossibile omnino iudicauit, posse propriū dari aliquod pluribus speciebus cōmune: ergo inuanum laborat Pater Toletus.

Quarè secundò, & melius idem Tolet. Resp. verum esse, dari propria Generica: & sic proprium differre à genere, & à specie, ex eo, quod prædicatur in quale, & nō in q d: qua solutione videtur ipse Tol. apertè fateri, Porphyriū fuisse diminutū; censet enim, non bene assignasse differentiam inter Genus, & propriū: quod præsenti prima ratione nos contendimus.

Sitq; secunda ratio contra eandem diffinitionem: asserit insuper Porph. genus differre à specie per hoc, quod genus prædicatur de pluribus speciebus: species verò tantū de pluribus numero differentibus: hæc ratio non sufficit ad constituēdum diuersum prædicabile: ergo, &c. antecedēs ꝓbatur, quia si sufficeret, etiā differentia intermedia, quæ prædicatur de pluribus speciebus, esset diuersum prædicabile à differentia infima, quæ de pluribus numero differentibus dicitur: hoc non concedunt Doctores: ergo prædicari de pluribus numero, vel specie differentibus nō est sufficiens ratio ad con-

stituenda duo diuersa prædicabilia.

Quare, hac ratione conuicti Doctores omnes fatetur aperte, Genus non distingui à specie præcipuè per hoc, quod illud de pluribus speciebus, hæc de pluribus numero differentibus prædicetur: sed ex eo, quod genus partem dicat tantum materialem essentiæ: species verò totã dicat eius, de quo prædicatur essentiã.

Hac doctrina cõmuni præsupposita, argumẽtor: vel hoc quod est, dicere partem essentiæ, vel totam essentiã, necessario conuenit generi, vel speciei, itaut nõ aliter differrent, & constituerent diuersa prædicabilia, nisi alterum partẽ diceret essentiæ: alterũ verò totam, vel nõ necessario conuenit: hoc secundum dici nõ potest, siquidẽ solũ hæc duo prædicabilis per hoc principaliter differunt, constituunturq; in esse primi, & secundi prædicabilins: itaut nisi genus diceret partẽ essentiæ: species verò totam essentam, genus, & species vnum tãtum essent prædicabile, non duo: ergo necessario cõuenit. mi. prob. nam prædicari de differentibus specie, vel numero, non sufficit ad constituenda duo prædicabilia: si enim sufficeret, constitueret etiã duo prædicabilia Differẽtiæ (vt diximus) immo duo alia prædicabilia Proprij, nam datur proprium genericũ, quod de pluribus speciebus prædicatur, (vt probauimus) & proprium specificum, quod de pluribus tantum indiuiduis: & tandem duo alia etiam prædicabilia Accidẽtis: datur namq; accidens, quod de plurib⁹ specie differentibus aptum est prædicari, vt album, nigrum; dicimus enim, homo est albus, cygnus est albus: coruus est niger: etyops est niger, &c. quæ specie differunt: & datur accidens aptum tantum de pluribus indiuiduis dici, vt ridere, loqui, &c. quæ de indiuiduis tãtummodo speciei hominis dicuntur: sed prædicari de differentibus specie, & numero non sufficiunt constituere diuersa prędicabilia Differẽtię, Proprij, & Accidẽtis: ergo neque sufficiunt constituere genus, & speciẽ in esse generis, & speciei: & ex consequenti

sequitur, rationem constitutiuam horum prædicabilium esse, dicere partem, vel totam essentiam.

Tunc sic: id quod facit necessario ad constituendum aliquid in tali esse, distincto ab alijs, itaut sine eo non differat ab illis, sit necessario exprimendum in eius diffinitione; & si non exprimatur diminuta erit talis diffinitio: sed hoc, quod est, dicere partem essentiæ, taliter conuenit generi, vt constituat ipsum in esse primi prædicabilis, faciatque illud differre à specie, & aliter non differret ab illa (vt probaui) ergo necessario est hoc exprimẽdum in diffinitione generis: sed non exprimitur à Porphyrio: ergo eius diffinitio est diminuta.

Neq; valet, quod talis diffinitio non est essentialis, sed descriptiua: Nam etiã diffinitio descriptiua debet assignari per aliquid, quod habeat locum generis, in quo cũ reliquis speciebus cõueniat diffinitũ, & per aliquid, quod stet loco differẽtiæ, siuè illud propria passio sit ipsius, siuè aliquid aliud, quod pro passione propria habeatur, itaut nõ conueniat alteri, & dimanet ab eius essentia, vt patet in descriptione hominis per risibilitatẽ, quæ propria passio eius est ab illius dimanãs essentia, per quam, sicuti per eandem essentiã, differt à reliquis animatibus: sed prædicari de pluribus speciebus, vel indiuiduis, nequeunt sic conuenire generi, vel speciei: cum etiam (vt vidimus) conueniant reliquis prædicabilib⁹: ergo, &c.

Neq; iterum valet respondere, reliquis prædicabilibus conuenire prædicari de pluribus speciebus, vel indiuiduis in quale: generi verò, & speciei in quid: Nam si prædicari in quale de pluribus speciebus, & de pluribus indiuiduis nõ sunt proprietates diuersæ in reliquis prædicabilibus: ergo neq; erunt proprietates diuersæ, prædicari de plurib⁹ speciebus, & de pluribus indiuiduis in, quid, in genere, & in specie: quia sicut se habet prædicari in, quid, respetu prædicationis de plurib⁹ speciebus, & de pluribus indiuiduis: ita se habet prædicari in, quale, respetu earundem prædi-

prædicationum, vt patet.

Quare sit tertia ratio contra eandem diffinitionẽ. Assignans Porphy. differentiam inter genus, & accidens, inquit, differre ex eo, quod genus prædicatur in quid: accidens verò in quale quid: nam interroganti, quale quid est coruus? dicimus, quod nigrũ. Cõtra sic: prædicari in quale quid, est prædicari in quale essẽtiale: ideò enim dicimus, differẽtiã prædicari in quale quid: quia prædicatur quidditatiuè, tamen ad modum qualitatis: sed accidens est omninò extrinsecũ subiecto, de quo prędicatur, vt certum est, ergo falsum est prædicari in quale quid.

Huic argumento, Resp. P. Tolet. quòd quando inquit Porphy. quale q d est coruus? illud, quid, non petit naturã, sed idẽ est, ac si dicatur, quale ens est coruus?

Hæc explicatio nõ est reijcienda, siquidem si sic illud quale quid intellexisset Porphyrius, vtique careret vitio, quoad illam particulam eius diffinitio: Cæterum probo, id nullo pacto colligi posse ex ipso textu: & suppono, quod quando dicimus, differentiã in quale quid prædicari, volumus illam prędicari ad modũ formæ accidẽtalis, & per modum alteri adiacẽtis, & sic in quale: & q a est de intrinseca ratione speciei, ideò in quid: itaq;, differentiã prædicari in quale quid, idem est, ac illam prædicari essentialiter, sed nõ per modũ per se stãtis, verum per modũ alteri adiacentis.

Tunc sic: hæc sunt verba Porphyrij in tex. (A differentia, & ab ijs, quæ communiter sunt accide tia differt genus, quia, & si de pluribus, & differentibus specie prædicantur differentia, & accidentia: non tamen in eo, quod quid est: sed in eo, ꝙ quale quid est.) ex quibus verbis colligo, eandem prędicationem in quale quid tribuere Porphyriũ differentiæ, & accidenti: sed differentiam prædicari in quale quid, est essentialiter, tamen per modum alteri adiacentis enunciari de aliquo: ergo male exprimit author, prædicatione accidentis, quæ est omnino extrinseca rei, per prædicari in quale quid, eisdemq;

verbis, quibus prædicationē explicat differētiæ: fateor vtique hanc rationē non esse ita efficacem, sicut præcedentes. Alias possem etiam oppugnationes adducere: hæ tamen sufficiant.

Quarè ad secundum, quod querimus in titulo accedētes, breuiter dico posse essentialiter sic genus diffiniri vnum in pluribus, tanquam pars materialis illorū: in qua diffinitione, loco generis stat ipsa diffinitio vniuersi formalis, quæ est, vnum in multis; verū est, quod exactior est illa diffinitio, in qua propriū genus absolutè ponitur, quando commodè fieri potest: cumque ly vniuersum non possit cōmodè adaptari hisce diffinitionibus absq; cōmissione alicuius vitij: si enim dicimus, genus est vniuersum ad plura, tanquam pars materialis ipsorū: licet bona sit etiam diffinitio, tamen posset aliquis dicere: q̄ qui dicit vniuersum, dicit plura, & sic bis ponitur ly plura, vt autem euitemus omnē cauillatione, ponimus ly vnū in multis loco proprij generis, per ly, tanquā pars materialis ipsorū, differt essentialiter genus à reliquis prædicabilibus: à specie quidem, quia hæc totam dicit suorum inferiorum essentiā, idest tam partem materialē, quam formalem: à differentia verò, quia hæc licet dicat etiam partem essentiæ subiecti, de quo prædicatur: non tamen dicit partem materialem, sed formalem, quia est forma essentialis, dans esse cmopofito Metaphisico, & contrahens rationem genericā, & materialem ad tale esse specificum, & formale: à proprio tandem, & accidēti: quia hæc sunt extra essentiam eorum, de quibus prædicantur.

Hinc omniū possumus prædicabilium essentiales diffinitiones assignare, dicentes, speciem esse vnum in multis, tanquam totam ipsorū essentiā. Differētiam, vnum in multis, tanquā partem formalē essentiæ ipsorum. Proprium verò vnū in multis subiectis extra essentiam dependēter tamen ab ipsa. Accidēs tandem esse vnum in multis subiectis omnino independenter ab ipsorum essentia: vnde patet pro-

priū ab accidenti differre per hoc, quod proprium dicitur dependere ab essentia ipsorū in quibus est: accidens verò nequaquam.

Possumus etiam sic illa describere. Genus, est quod prædicatur de multis in quid incōpletè. Species est id, quod prædicatur de multis in quid completè. Differentia est id, quod prædicatur de multis incompletè in quale quid. Proprium est, quod prædicatur de multis extra essentiā, conuertibile tamen cum illis: tandem Accidens illud est, quod prædicatur de multis in quale inconuertibiliter cū illis, in quibus patet quomodo adinuicem differāt: suntq; procul dubio descriptiuę diffinitiones, quia dantur per ly prędicari sic, vel sic: quod, vt diximus est propria passio ipsorū.

Dices, cur non exprimuntur inferiora, de quibus prędicātur pręsertim genus, & species? nempè species, & indiuidua, sicut posuit Porph.? Respondeo, quod licet species inquātum species, sint immediata subiecta, de quibus genus prædicatur, & indiuidua, inquātum indiuidua [illegible] mediata inferiora speciei: tamen cū genus, & species non differant, seù (vt proprius loquar) non sint diuersa prædicabilia penes hoc, vt supra latè vidimus: sicut differētia intermedia, non est diuersum prædicabile à differentia infima, & idem dico de proprio, & accidenti: & nihilominus differentia intermedia prædicatur de pluribus speciebus: infima verò de pluribus indiuiduis: ideò non fuit necessè exprimere in eorū diffinitionibus ipsa inferiora, cum sine expressione ipsorū iam dictę diffinitiones sint exactissimę.

Ex his sequitur contra aliquos Iuniores, & pręsertim contra Louanienses, quòd quando genus pręd icatur de indiuiduis, est verū genus primū pręd icabile, vt Franciscus est animal, Petrus est animal, &c. patet hoc dictū, & primo nulli dubium est, quod quando genus prædicatur de indiuiduis diuersarum specierū, vt de Francisco, & cane, &c. est verum genus: quia Frāciscus, & canis differunt specie: ea, namq; specię differunt, quæ

tur forma, dum docet Dialecticam, & Metaphisicã circa eandem formam versari: non quod habeant idem subiectũ formale, cum hoc falsum sit, sed quia versãtur circa idem obiectum materiale, vt alibi diximus: quare cũ de forma est sermo, distinguẽda est propositio: nam vel loquitur de forma contrahente, quæ est vera forma: vel de forma contrahibili, quæ lago vocabulo dicitur forma: forma contrahens est, per quam cõtrahitur genus ad esse speciei, vt rationale: forma contrahibilis est, quæ contrahitur per formam contrahẽtem ad esse tale, vel tale, vt Animal, quod à rationalitate cõtrahitur ad esse hominis. Genera ergo, & species non sunt formæ, nihilominus tamen se habent per modum formarum, cũ sint in inferioribus, tanquam in fundamentis proprijs: hoc autem esse in inferioribus, nullo modo se habet per modum adiacentiæ: siquidẽ adiacere, Logicè sumptum, est alteri adiungi, & coniungi, tanquã subiecto sustentanti (in rigore loquendo,) & sic adiacere, propriè, accidenti cõpetit: formæ verò substantiali, per quandam assimilationem: nam sicut accidens, v. g. albedo adiungitur corporeitã forma substantialis, & essentialis, v. g. rationalitas, adiungitur Animali: quare non dicitur forma substãtialis adiacere, sed habere se per modum alteri adiacentis. Genus autem, cum cõtrahitur per rationalitatẽ ad esse hominis, neq; propriè, neque per similitudinem potest dici adiacere: non propriè, cũ non sit in inferioribus, tanquã in subiectis inhæsionis, sed tanquam in fundamentis: neque per similitudinem, cum non dicatur Animal adiungi speciei hominis, cũ potius è contra sit: omnes, namq;, species accidunt generi, & sic adiunguntur illi per differẽtias essentiales contrahentes ipsum genus: ex quib⁹ sequitur, nullo modo Genus posse prædicari in quale quid, sicut differentia.

Neq; valet contra hoc adducere authoritatem Aristotelis cap. de substãtia post medium: vbi docet apertè secundas substantias, quo nomine genera,

genera, & species nuncupat, significare quale quid: ergo non solum differẽtia, sed etiã genus, & species prædicantur in quale quid. Nam ad hoc facilè Respondetur; aliud esse significare quale quid apud Aristotelem, aliud apud Porphyrium, prædicari in quale quid: nam Arist. sumit, quale quid, quatenus distinguitur ab, hoc aliquid: asserit enim, substantiã primam, vt indiuiduũ, significare hoc aliquid: substantiã verò secundã, quasi quid: significare hoc aliqd est significare naturã aliquã substãtialem, determinatam, subsistentẽ, vt quodlibet indiuiduũ (excepto vago, de quo suo loco) significat: quale qd autem significat huius oppositum: nempè naturã aliquã substantialem nõ contractam ad tale esse indiuiduale, vt sũt genera, & species. At verò prædicari in quale quid apud Porphyrium, est prędicari de inferioribus admodũ qualitatis, siuè formæ accidentalis, & sic per modum alteri adiacentis: vt est differẽtia essentialis, quæ, quia significat naturam, seù formam nõ per se stãtem, sed alteri cõiunctam, siuè adiunctam, vt melius dicam, nõ videtur habere perfectũ modum substãtialem, & quia est de essentia, & quidditate speciei, conformatur cũ esse substantiali: & sic dicitur prædicari in quale quid: Genera autem, & species se habent potius admodum per se stantis, cum ly Homo, ly Animal, vt alibi diximus, termini sint absoluti, nõ connotatiui, quare nequeunt in quale quid prædicari, licet significent quale quid.

Sed si aliquis petat: Cur ergo Arist. supradicto loco docuit, genera, & species videri quidẽ, propter appellationis figuram, hoc aliquid significare: non tamen verum esse, sed magis quale aliquid? Respondeo, voluisse Aristotelem, genera, & species aliquando ex communi modo loquẽdi videri significare hoc aliquid, idest naturam determinatam subsistentẽ: quia per ea loquimur aliquãdo de suppositis, dicendo, Homo scribit, Animal loquitur: in quibus propositionibus ly Homo nõ stat pro specie naturæ humanæ,

sed pro quodã indiuiduo ipsius speciei: & ly animal non stat genericè, sed personaliter pro aliquo indiuiduo determinato: & sic in hisce, & similibus loquẽdi modis, genera, & species videtur significare hoc aliquid: cæterum id tantum est ex vsitato loquendi modo, cum rè vera significẽt quale quid.

Neq; valet obijcere, quod sensibile est differentia, & tamen prædicatur in quid, secundum cõmunem omnium sententiã, de rationali, & irrationali: nam Respondeo, verũ esse, quod nõ solum differentia, sed propriũ etiam, & accidens, si comparentur ad eorũ inferiora, vt sensibile ad rationale, & irrationale: gressibile, quod est animãtium propriũ, ad risibile, rugibile, & latrabile: & tandem color, ad albedinem, nigredinem, &c. prædicantur in quid: tamen tunc, neq; sensibile differentia est, neq; gressibile propriũ, neq; color quintum prædicabile, sed omnia induunt rationem generis: tunc tamen sensibile tertij prædicabilis rationẽ habebit, quãdo respiciet speciẽ, quam constituit: & tunc risibile, & color erunt quartum, & quintum vniuersale, quando respicient subiecta, quorum sunt accidentia, siuè propria, siuè communia.

His autem, & alijs friuolis oppugnationibus ommissis, quæ nequeunt Porphyrianã destruere diffinitionẽ: vrgentioribus est nobis oppugnandum rationibus: quarũ prima sit. Docet ipse author, quod per illam particulã (differentibus specie) differt genus nõ solũ à speciebus, quæ de pluribus numero differentibus prædicantur: sed etiam à proprio, quod de vna sola specie prædicatur: Contra hoc argumentor argumento cõmuni, quod fit ab omnibus, & præcipuè à Tol. q. 4. de Genere. Multa sunt propria, quæ de pluribus speciebus prædicantur, vt mobile, æquale, simile, &c. quæ de pluribus corporibus, specie differentibus prædicantur: ergo non differt in hoc à genere, quod de vna sola specie proprium prædicetur, immò cap. 10. de communitatibus asserit ipse, taliter propriũ vnius esse speciei, vt

impos-

impossibile, sit dari aliquod proprium, quod pluribus speciebus conueniat.

Huic argumento Resp. 1. P. Tole. admittendo, aliquod proprium de pluribus speciebus prædicari: asserit tamen, id non haberi pro proprio: nam Porphy. (inquit) hoc intendit, quod prædicatio, quæ necessario, & semper constituit Genus, sit de pluribus speciebus prædicari: at prædicatio necessaria proprij, est de vna specie: reliquum est per accidens, & secundario: quia illa species, de qua prædicabatur erat subalterna.

Sed hoc effugium non est docto viro dignum, cum sibi ipsi videatur contradicere: nã cõcedit dari proprium, quod de pluribus speciebus prædicatur, quod est expresse contra Porphyrium supra citato loco, præsertim de communitatibus: vbi impossibile iudicat, dari huiusmodi propriũ: ac parum post cũ dicit, illud proprium nõ haberi pro proprio, contrarius est sibi ipsi: si enim verè proprium esse admittit, qua ergo ratione non habet illud pro proprio? vel enim omnes cõditiones veri proprij habet, nempè, quod conueniat omni, soli, & semper: vel non omnes habet: si habet, ergo nequit non esse verum proprium: si verò non habet: ergo nequit proprium esse.

Quod autem docet Tole. Porphyrium intendere, prædicationem, quæ necessario, & semper constituit Genus, esse prędicari de pluribus speciebus: & prædicationẽ, quæ necessario constituit propriũ esse, prædicari de vna sola specie: quodque illa species sit subalterna, id esse per accidens, hoc falsum esse omninò arbitror, & expresse contra ipsius authoris mẽtem, quod sic probo: ratio vniuersi formalis nõ desumitur per ordinem ad æquale, sed per ordinẽ ad plura inferiora, in quibus reperitur, & de quibus suo modo prædicatur: ergo prædicatio, quæ ꝓprio quarto prædicabili est propria, nõ est prædicatio de illa sola specie præcisè, cuius est propriũ, cum conuertantur ad inuicẽ, & nõ reperiatur inter ea duo ratio superioris, & inferioris,

quæ

quæ requiritur ad constituendum vniuersum formale: sed est prędicatio de inferioribus illius speciei, cuius est proprium: sed Porphy. assignat proprio tantum prædicationem de indiuiduis præcisè, tanquam de inferioribus, vt patet in tex. vbi ait, proprium de vna sola specie prædicari, & de indiuiduis, quæ sub ipsa specie sunt: & non dicit de inferioribus ipsius speciei, quæcunque illa sint: sed expresse de indiuiduis: ergo manifeste patet, Porphy. nullo modo tribuisse proprio alicui prædicationem de pluribus speciebus, quod clarius patet ex cap. 8. de cōmunitatibus, vbi assignans discrimen inter differentiam, & proprium, dicit: differentiā sæpè prædicari de pluribus speciebus: propriū verò solū de vna specie: ergo numquam de pluribus: tandem, quod hoc fuerit ipsius Porphy. intētum, exactissimè colligitur ex eo, quod (vt supra dixi) impossibile omninò iudicauit, posse propriū dari aliquod pluribus speciebus cōmune: ergo inuanum laborat Pater Toletus.

Quarè secundo, & melius idem Tolet. Resp. verum esse, dari propria Generica: & sic proprium differre à genere, & à specie, ex eo, quod prædicatur in quale, & nō in quid: qua solutione videtur ipse Tol. apertè fateri, Porphyriū fuisse diminutū; censet enim, non bene assignasse differentiam inter Genus, & propriū: quod præsenti prima ratione nos contendimus.

Sitq; secunda ratio contra eandem diffinitionem: asserit insuper Porph. genus differre à specie per hoc, quod genus prædicatur de pluribus speciebus: species verò tantū de pluribus numero differentibus: hæc ratio non sufficit ad constituēdum diuersum prædicabile: ergo, &c. antecedēs ꝓbatur, quia si sufficeret, etiā differentia intermedia, quæ prædicatur de pluribus speciebus, esset diuersum prædicabile à differentia infima, quæ de pluribus numero differentibus dicitur: hoc non concedunt Doctores: ergo prædicari de pluribus numero, vel specie differentibus nō est sufficiens ratio ad constituen-

stituendā duo diuersa prædicabilia.

Quare, hac ratione conuicti Doctores omnes fatetur aperte, Genus non distingui à specie præcipuè per hoc, quod illud de pluribus speciebus, hæc de pluribus numero differentibus prædicetur: sed ex eo, quod genus partem dicat tantum materialem essentiæ: species verò totā dicat eius, de quo prædicatur essentiā.

Hac doctrina cõmuni præsupposita, argumētor: vel hoc quod est, dicere partem essentiæ, vel totam essentiā, necessario conuenit generi, vel speciei, itaut nō aliter differrent, & constituerent diuersa prædicabilia, nisi alterum partē diceret essentiæ: alterū verò totam, vel nō necessario conuenit: hoc secundum dici nō potest, siquidē solū hæc duo prædicabilis per hoc principaliter differunt, constituunturq; in esse primi, & secundi prædicabilius: itaut nisi genus diceret partē essentiæ: species verò totam essentam, genus, & species vnum tātum essent prædicabile, non duo: ergo necessario cõuenit. mi. prob. nam prædicari de differentibus specie, vel numero, non sufficit ad constituenda duo prædicabilia: si enim sufficeret, constitueret etiā duo prædicabilia Differētiæ (vt diximus) immo duo alia prædicabilia Proprij, nam datur proprium genericū, quod de pluribus speciebus prædicatur, (vt probauimus) & proprium specificum, quod de pluribus tantum indiuiduis: & tandem duo alia etiam prædicabilia Accidētis: datur namq; accidens, quod de plurib⁹ specie differentibus aptum est prædicari, vt albūm, nigrum: dicimus enim, homo est albus, cygnus est albus: coruus est niger: etyops est niger, &c. quæ specie differunt: & datur accidens aptum tantum de pluribus indiuiduis dici, vt ridere, loqui, &c. quæ de indiuiduis tātummodo speciei hominis dicuntur: sed prædicari de differentibus specie, & numero non sufficiunt constituere diuersa prędicabilia Differētię, Proprij, & Accidētis: ergo neque sufficiunt constituere genus, & speciē in esse generis, & speciei: & ex consequenti

sequi

sequitur, rationem constitutiuam horum prædicabilium esse, dicere partem, vel totam essentiam.

Tunc sic: id quod facit necessario ad constituendum aliquid in tali esse, distincto ab alijs, itaut sine eo non differat ab illis, est necessario exprimendum in eius diffinitione; & si non exprimatur diminuta erit talis diffinitio: sed hoc, quod est, dicere partem essentiæ, taliter conuenit generi, vt constituat ipsum in esse primi prædicabilis, faciatque illud differre à specie, & aliter non differret ab illa (vt probaui) ergo necessario est hoc exprimẽdum in diffinitione generis: sed non exprimitur à Porphyrio: ergo eius diffinitio est diminuta.

Neq; valet, quod talis diffinitio non est essentialis, sed descriptiua: Nam etiã diffinitio descriptiua debet assignari per aliquid, quod habeat locum generis, in quo cũ reliquis speciebus cõueniat diffinitũ, & per aliquid, quod stet loco differẽtiæ, siuè illud propria passio sit ipsius, siuè aliquid aliud, quod pro passione propria habeatur, itaut nõ conueniat alteri, & dimanet ab eius essentia, vt patet in descriptione hominis per risibilitatẽ, quæ propria passio eius est ab illius dimanãs essentia, per quam, sicuti per eandem essentiã, differt à reliquis animalibus: sed prædicari de pluribus speciebus, vel indiuiduis, nequeunt sic conuenire generi, vel speciei: cum etiam (vt vidimus) conueniant reliquis prædicabilib⁹: ergo, &c.

Neq; iterum valet respondere, reliquis prædicabilibus conuenire prædicari de pluribus speciebus, vel indiuiduis in quale: generi verò, & speciei in quid: Nam si prædicari in quale de pluribus speciebus, & de pluribus indiuiduis nõ sunt proprietates diuersæ in reliquis prædicabilibus: ergo neq; erunt proprietates diuersæ, prædicari de plurib⁹ speciebus, & de pluribus indiuiduis in, quid, in genere, & in specie: quia sicut se habet prædicari in, quid, respetu prædicationis de plurib⁹ speciebus, & de pluribus indiuiduis: ita se habet prædicari in, quale, respetu earundem

prædi-

prædicationum, vt patet.

Quarè sit tertia ratio contra eandem diffinitionē. Assignans Porphy. differentiam inter genus, & accidens, inquit, differre ex eo, quod genus prædicatur in quid: accidens verò in quale quid: nam interroganti, quale quid est coruus? dicimus, quod nigrū. Cōtra sic: prædicari in quale quid, est prædicari in quale essētiale: ideò enim dicimus, differētiā prædicari in quale quid: quia prædicatur quidditatiuè, tamen ad modum qualitatis: sed accidens est omninò extrinsecū subiecto, de quo prędicatur, vt certum est, ergo falsum est prædicari in quale quid.

Huic argumento, Resp. P. Tolet. quod quando inquit Porphy. quale q d est coruus? illud, quid, non petit naturā, sed idē est, ac si dicatur, quale ens est coruus?

Hæc explicatio nō est reijcienda; siquidem si sic illud quale quid intellexisset Porphyrius, vtique careret vitio, quoad illam particulam eius diffinitio. Cæterum probo, id nullo pacto colligi posse ex ipso textu: & suppono, quod quando dicimus, differentiā in quale quid prædicari, volumus illam prędicari ad modū formæ accidētalis, & per modum alteri adiacētis, & sic in quale: & q a est de intrinseca ratione speciei, ideò in quid: itaq;, differentiā prædicari in quale quid, idem est, ac illam prædicari essentialiter, sed nō per modū per se stātis, verum per modū alteri adiacentis.

Tunc sic: hæc sunt verba Porphyrij in tex. (A differentia, & ab ijs, quæ communiter sunt accidētia differt genus, quia, & si de pluribus, & differentibus specie prædicantur differentia, & accidentia: non tamen in eo, quod quid est: sed in eo, quale quid est.) ex quibus verbis colligo, eandem prędicationem in quale quid tribuere Porphyriū differentiæ, & accidenti: sed differentiam prædicari in quale quid, est essentialiter, tamen per modum alteri adiacentis enunciari de aliquo: ergo male exprimit author, prædicatione accidentis, quæ est omninò extrinseca rei, per prædicari in quale quid, eisdemq;

priū ab accidenti differre per hoc, quod proprium dicitur dependere ab essentia ipsorū in quibus est: accidens verò nequaquam.

Possumus etiam sic illa describere. Genus, est quod prædicatur de multis in quid incōpletè. Species est id, quod prædicatur de multis in quid completè. Differentia est id, quod prædicatur de multis incompletè in quale quid. Proprium est, quod prædicatur de multis extra essentiā, conuertibile tamen cum illis: tandem Accidens illud est, quod prædicatur de multis in quale inconuertibiliter cū illis, in quibus patet quomodo adinuicem differāt: suntq; procul dubio descriptiuę diffinitiones, quia dantur per ly prędicari sic, vel sic: quod, vt diximus est propria passio ipsorū.

Dices, cur non exprimuntur inferiora, de quibus prędicātur pręsertim genus, & species? nempè species, & indiuidua, sicut posuit Porph.? Respondeo, quod licet species inquātum species, sint immediata subiecta, de quibus genus prædicatur, & indiuidua, inquātum indiuidua immediata inferiora speciei: tamen cū genus, & species non differant, seu (vt proprius loquer) non sint diuersa prædicabilia penes hoc, vt supra latè vidimus: sicut differētia intermedia, non est diuersum prædicabile à differentia infima, & idem dico de proprio, & accidenti: & nihilominus differentia intermedia prædicatur de pluribus speciebus: infima verò de pluribus indiuiduis: ideò non fuit necesse exprimere in eorū diffinitionibus ipsa inferiora, cum sine expressione ipsorū iam dictę diffinitiones sint exactissimę.

Ex his sequitur contra aliquos Iuniores, & pręsertim contra Louanienses, quando genus prędicatur de indiuiduis, est verū genus primū prędicabile, vt Franciscus est animal, Petrus est animal, &c. patet hoc dictū, & primo nulli dubium est, quod quando genus prædicatur de indiuiduis diuersarum specierū, vt de Francisco, & cane, &c. est verum genus: quia Frāciscus, & canis differunt specie: ea, namq; specię differunt, quæ

vt diuersæ species sunt, vel sub diuersis speciebus continentur: Franciscus autem, & canis sub diuersis speciebus animalis collocantur: & sic animal, quod in quid prædicatur de Francisco, & cane, propriũ genus est: quod autẽ sit etiam verè genus collatũ ad indiuidua eiusdẽ speciei, probo euidẽter: quia illa prædicatio est prædicatio superioris de inferioribus, & sic prædicatio vniuersi formalis: ergo, vel generis, vel speciei, vel differẽtiæ: cum non possit esse proprij, vel accidentis, quæ in quale prædicatur: sed non est prædicatio speciei, cũ species dicat totam essentiam eius de quo prædicatur; non differentiæ, cũ hæc dicat tantum partem formalẽ essentiæ: ergo generis, cum sit prædicari de pluribus secundũ partẽ materialẽ essentiæ ipsorũ.

Ex quo collige aliam rationem contra diffinitionẽ allatam à Porphy. non solum de genere, sed etiã de specie: diffinit speciem sic, quod prædicatur de pluribus differentib. numero in quid: tunc argumentor, quãdo diffinitio optima est, cuicunq; talis diffinitio competit, debet, & diffiniti ratio conuenire: cuicunque enim conuenit diffinitio hominis, siuè essentialis, siue descriptiua, homo est: sed prædicari de pluribus numero differentibus competit etiã generi: ergo, vel genus, quando sic prædicatur habet rationẽ speciei, quod probauimus, falsum esse, vel aliquid deest illi diffinitioni, per quod differat species à genere; quando genus sic prædicatur; idque non sufficit, quod subintelligatur, sed necesse est, quod exprimatur.

## SECTIO QVARTA.

*Vtrum Natura, quæ denominatur Genus prædicetur de sibi inferioribus, quatenus pars ipsorum est, vel quatenus est quodam totum?*

PRO tituli intelligentia, not. 1. quod nõ ãter dix; vtrum natura, quæ denominatur genus: quia nõ erit nobis

bis sermo de ipsa secunda intentione, quæ est ratio prædicandi (vt supra docui) sed de ipsa natura, quæ prædicatur de animali, v.g. quod de homine, leone, &c. dicitur: Hæc autẽ natura generica potest cõcipi dupliciter, vno modo quatenus pars est diffinitionis, & speciei: diffinitionis quidem, vt cum dicimus, Homo est animal rationale: speciei verò, cum hęc ex genere, & differentia cõponatur: alio modo potest considerari, vt est quodã totum: & vt sic etiã dupliciter cõcipi valet, vel vt est quodã totum actuale, vel vt totum est potẽtiale: natura ergo generica si cõsideretur, vt totum quodã actuale est, tãtum dicit sua prædicata superiora, & essentialia: vt animal, quatenus totum actuale est solum dicit hoc, quod est esse substantiam, animatam, sensitiuam: quatenus verò est totum potentiale, tantum respicit inferiora, quæ dicuntur contineri in illo inconfuso, & in potentia, tanquã partes subiectiuæ, siuę potẽtiales in suo toto potestatiuo, & vniuersali, & sic omnes species animalis cõtinentur in ipso Animali: & omnia indiuidua naturæ humanæ continentur in ipsa natura: quæritur ergo in titulo, cũ iam ipsa natura habeat hanc duplicem rationem respectu specierũ, & partis componentis, & totius contiñẽtis ipsas, secũdum quam harum prædicetur de ipsis, quatenus pars est ipsarum: an verò quatenus totum est?

Secundo not. est, certum esse, naturam genericam non pręd icari de speciebus, quatenus est quodã totum actualitantũ, respiciẽs sua prædicata superiora: quia sub hac cõsideratione dicitur potius vniuersa Metaphisicè, quam Logicè (vt sæpè diximus) cũ de ratione vniuersi formalis, seu Logici sit respicere inferiora. Item arbitror etiam tãquam certissimũ, neq; prædicari de inferiorib⁹, quatenus est pars actualis ipsorũ præcisè; quod sic probo euidenter: natura generica, quatenus pars est actualis actualiter cõponens speciem nõ est vniuersa: ergo vt sic nequit de pluribus prædicari. probo antecedẽs: tunc dicitur natura generica esse

pars

pars actualiter speciẽ aliquã componens, quando iam est contracta per differentiã con stitutiuã talis speciei ad tale esse: sed vt sic nõ est vniuersa: nam quatenus est ad tale esse specificum contracta, nequit alteri speciei esse communis, cum repugnet actu posse aliquam naturã superiorẽ contrahi per plures differentias specificè diuersas ad plura esse specie distincta simul, & semel: ergo natura quatenus pars actualis est nequit esse vniuersa. probo maiorẽ: omnis pars duplicẽ habet respectum, & ad cõpositum, & ad compartẽ, idest ad aliam partem, cumqua tale compositũ componit: ergo pars actualis dicit respectũ ad totũ actuale, & ad compartẽ actualem: ergo natura generica quatenus pars actualis speciei est debet actu respicere ipsam speciẽ, quæ est compositum, & differentiam, quæ in tali compositione simul cum illa cõcurrit; sed nequit intelligi quomodo actu natura generica componat speciẽ simul cum differẽtia, nisi quatenus actu est ad tale esse specificũ per talem differentiã contracta: ergo tũc dicitur esse pars actualis speciei quãdo est per differentiam contracta: prob. mi. quando actu natura generica componit simul cum differentia speciem nequit intelligi, quod illam aliter compo nant actu, quàm per ipsarum partium proprium cõponendi modum: sed genus nullo alio modo se habet in cõpositione speciei, quã modo contrahibili: essentialiter namq; petit contrahi à differẽtia ad tale esse, cum in illa contractione eius perfectio sita sit: & differẽtia alias nullo alio modo se habet, quam modo contrahente, eius etenim essentiale munus est ipsum genus cõtrahere, perficere, & actuare: ergo nequit intelligi, quo modo actu natura generica speciem cõponat simul cum differẽtia, nisi quatenus actu est ad tale esse specificum per talem differentiã contracta.

Sed quidam Doctor nomine Canterus hic dub. 3 relatus à iunioribus, fatetur, verũ esse genus non prædicari de speciebus, quatenus est pars actualis ipsarũ: sed quatenus

est

est pars potentialis, seù habitualis. Proqua sua opinione non omninò improbabili notat, compositionẽ speciei ex genere, & differentia posse sumi duplici modo, in fieri scilicet, & in facto esse: tunc consideratur in fieri, quando ipsi generi non dum est adiuncta differẽtia, & sic non dum concipitur, genus ipsum ad aliquod peculiare esse specificũ cõtractum: tunc verò dicitur compositio speciei in facto esse, quando iam intelligitur genus cõtractum, & determinatum per differẽtiã ad illud esse: hoc modo dicitur genus pars actualis, & vt sic nequit de suis inferioribus prędicari, propter superius allatam efficacissimam rationem: at verò priori modo dicitur pars potentialis, siuè habitualis, vel tandem potestatiua, & secundum talem cõsiderationem, inquit, genus prædicatur de suis inferioribus.

Potestq; hæc sentẽtia sic primo suaderi: genus, vt genus, est pars diffinitionis, & speciei: sed genus, vt genus est, prædicatur de suis inferiori b⁹: ergo genus quatenus pars est, prædicatur. & cõfirmatur ex Arist. 1. post. cap. 4. vbi docet, quod tam diffinitio, quã diffinitionis partes prædicantur de diffinito: ergo genus quatenus pars est diffinitionis prædicatur.

Confirmatur secundo genus, vt est commune pluribus inferioribus, prædicatur de illis: sed ea ratione qua pars est diffinitionis est cõmune pluribus speciebus: ergo quatenus pars diffinitionis est, prædicatur de pluribus. ma. est certa: minor probatur ex eo, quod dictum est sæpè, diffinitionem ex duplici parte constare, ex genere nimirum, & differentia: differentia facit differre diffinitum à reliquis speciebus: tamen species omnes in ipso genere cõueniũt: ergo genus quatenus pars diffinitionis est, dicitur esse pluribus commune.

Secundo probatur eodem modo, quo in cõposito Phisico se habet materia respectu formæ: ità in composito Metaphisico se habet genus respectu differentiæ: supra enim diximus ideò dici genus sumi à materia: differentia verò à forma:

forma: quia genus assimilatur materiæ, & differẽtia formæ: sed materia quãdo habet aliquam formã materialem, & Physicã adhuc est in potentia ad omnes alias, vt dicitur 1. Phis. ergo similiter genus nõ obstãte, quod illi addatur aliqua differentia, & contrahatur ad esse specificum: habet nihilominus potentiã ad hoc vt contrahatur, per alias differentias ad constitutionẽ aliarum specierum: ergo non determinatur taliter ad vnum esse, quin etiam reliquas contineat species: ergo sic prædicatur de illis: patet hęc vltima consequentia: quia superius prædicatur de omni cõtento sub ipso: hoc argumentũ particulariter, videtur probare de parte actuali.

Diuus autem Thom. in 1. distin. 15. & opusc. de ente, & essentia cap. 3 Boet. lib. de diuisionibus ferè in principio, Caiet. dicto cap. de ente, & essentia, Scot. quæst. vnica huius cap. Suar. tom. 1. suæ Metaph. dispu. 15 sect. 11. nu. 16. & cõmuniter recẽtiores, præsertim ex Complutensi schola docent, genus de suis inferioribus prædicari non quatenus pars est, sed quatenus est totũ potentiale continens sub se omnes species: potestq; etiam hæc sententia probari: quicquid de altero, tanquam superius de suo inferiori prædicatur, debet illud cõtinere, & non contineri ab illo: sed genus, quatenus pars est compositi Metaphisici, potius cõtinetur ab illo, quã illud contineat: ergo nequit, quatenus pars est, prædicari: & cum in ratione totius cõtineat sub se omnes species, & etiam indiuidua, & vt sic non contineatur ab illis: ergo quatenus totum quodam est prædicatur: maior prob. quia id quod de altero prædicatur, tanquam superius de inferiori, debet esse cõmunius illo: sed quod continetur ab alio minus commune illo est, cum sit pars ipsius, & omnis pars minor sit suo toto, & alias cõtinens semper communius est contẽto: ergo quicquid prædicatur de altero, debet illud continere. mi. prima patet, cum omnis pars contineatur à suo toto: ergo genus, quatenus pars est compositi Metaphisici, non continet

net illud: ergo nequit, vt sic, de illo prædicari.

Confirmatur, quia si genus, quatenus pars compositi Metaphisici, posset de ipso toto prædicari, sequeretur, quod partes etiam compositi Phisici de ipso dici possent, & sic esset verum dicere, Homo est suum corpus; Petrus est sua anima, &c. q̃a nequit assignari aliqua disparitatis ratio inter huiuscemodi partes, hoc est absurdũ fateri: ergo illud ex quo sequitur.

Nequè valet dicere, quod hæc argumenta conuincere videntur de parte actuali, nõ autẽ de parte potentiali: quia contra hoc est, quod genus etiã quatenus pars est potentialis eodẽ modo, necesse est, contineat differẽtias, quo materia, quæ est pars compositi Phisici continet formas naturales: quia omnis pars inquantum pars dicit ordinẽ ad compartem, ergo talis pars talem ordinem: ergo genus, quod in compositione Metaphisica se habet ad modum materiæ, eundem ordinẽ dicit ad differentias, quẽ ipsa materia dicit ad formas, sed materia etiam si omnes formas respiciat, cõtineatq; in potentia, non ex hoc potest de ipso composito prædicari: ergo etiam si genus, quatenus pars potẽtialis compositi Metaphisici, sit in potentia ad omnes differentias, itaut possit ab omnibus contrahi, non ex eo sequitur, posse, vt sic, de ipso Metaphisico composito prædicari.

Pater Didacus à Iesu hic disp. 6. q. 5. tria dicit, primum est, quod ad hoc, vt animal prædicetur de homine, per accidens est, quod sit totum, vel sit pars: per se verò est, q̃ significet totam hominis entitatem, saltem sub conceptu communioni: secundum est, esse partẽ, vel esse totũ, sicut nec per se requirũtur ad prædicationem, sic nec illam impediunt, potestq; optimè genus prædicari, vt pars, & vt totum: tertium est, compositionem Metaphisicã solum sumi secundum conceptus expressos, ac proindè, hanc compositionẽ solum reperiri in definitione, non in specie, si propriè loquendum est.

Pro his autem dictis notat. naturã genericã, v.g. animal

etiam, vt ponitur in diffinitione, necessario debere sumi à tota entitate rei, non à materia tantum: Angeli.n (inquit) definitioně habent, & genus, non tamen materiā: & in definitione hominis loco huius particulæ, animal, potest poni, viuens sensibile; verèque homo est viuens sensibile rationale: esse autem viuens sensibile non sumitur in homine à materia solum, sed præcipuè à forma, quæ dat composito viuere, & sentire: explicatur ergo (subdit) necessario tota entitas rei in altera parte diffinitionis, etiam vt in diffinitione est.

Itē notat, per accidens esse ad veram prædicationē rationis abstractæ respectu inferioris, quod abstrahatur à pluribus, aut ad illa comparetur: sufficit enim, rationem illam, sinè singularitate considera tam, verè reperiri in inferiori, siuè reperiatur in alijs, siuè non: constat enim, hominem esse animal: etiam si non esset possibilis Equus, aut alia species animalis, & de facto id reperitur in natura Angelica, v.g. Michaelis, quæ prædicatur de illo, & tamen non est cōmunicabilis alteri Angelo.

His notatis, probat primū dictum, nempè, quod vt animal prædicetur de homine, per accidens est, quod sit totum, vel quod sit pars: hæc prædicatio, homo est animal, etiā si ratio animalis non posset esse in alijs, esset vera prædicatio: & tamen tunc nō haberet rationem totius potentialis, aut vniuersalis, vt patet, quādo natura Michaelis prædicatur de ipso Michaele: ergo ratio totius non est per se ratio prædicandi: & ex consequenti, neq; esse partem, cum potius ratio partis obstet, quā conducat ad prædicationem de toto.

Probat secundum dictum, nempè, esse partem non impedire prædicationem, cum genus optimè possit etiā vt pars prædicari: quia genus etiam vt pars continet totam entitatem rei, cum etiam vt pas sumatur tam à materia, quam à forma.

Tertium tandem probat: quia secundum conceptum cōfusum, quælibet pars includit totam entitatem: ergo to-

tam

tam vnitatem: ergo excludit distinctionem: idem enim secundũ se totum, sibi toti comparatum, nõ potest distingui, distinctione saltẽ rationis ratiocinatæ: solum ergo stare potest distinctio in conceptib⁹ expressis, quatenus animal dicit totam entitatẽ hominis sub cõceptu expresso animalis tãtum: rationale verò eandem totam entitatẽ sub conceptu expresso rationalitatis: sed hæc expressio conceptuũ distinctorum nõ est in homine, vt sic: sed solum in definitione, in qua exprimitur animal rationale solum: ergo in definitione est compositio, & genus non rectè dicitur pars respectu speciei: sed respectu definitionis. Quod etiam alio medio probat: quia ratio partis postulat necessario cõpartem: sed ratio compartis Metaphisicæ solum est in definitione, in qua est expressio vtriusq; partis: in specie enim non est illa distinctio, nisi tantum fundamentaliter, & virtute: ergo non rectè dicitur genus pars respectu speciei, sed respectu definitionis, respectu cuius verũ est, nõ posse prædicari partem: quia conceptus expressus animalis tãtum non est cõceptus expressus animalis, & rationalis simul. Hæc sunt, quæ communiter circunferuntur in scholis, licet hæc vltima sententia Patris Didaci sit particularis.

Vt autẽ, quid proprio morte sensiam, adaperiã breuiter. Not. in primis, quod quando dicimus, diffinitionem, & speciẽ constare ex genere, & differentia, non est sermo de genere, & differentia, quatenus sunt quædã prædicabilia Logica; neq; de specie, quatenus secũdum prædicabile est: sed loquimur de specie Metaphisica, idest de ipsa natura cum ordine ad sua prędicata essentialia, ex quibus coalescit: & ex ipso genere, ipsaque differentia, quatenus naturæ quædam partiales sunt, cõponentes Metaphisicẽ ipsum totum Metaphisicum.

Secundo not. quod triplex cõpositio reperiri potest pro nunc: Phisica, de qua nil tradam, erit enim de illa in lib. Phis. sermo. alia Metaphisica, scilicet ex actu, & potẽtia, ex genere, & differẽtia: tertia est

Logica, quæ constat ex partibus non manentibus formaliter in ipso toto, sed tãtum virtualiter, quod vocant in potentia: hæc autem fit ex ipsis inferioribus, quæ dicũtur partes subiectiuæ superioris. Hinc totum resultans ex partibus Metaphisicis vocant totum actuale, cum fiat ex partibus actualiter manẽtibus in ipso, essentialiterq; ipsum componẽtibus: at verò totum, quod resultat ex partibus Logicis, dicitur totum vniuersale, siuè virtuale, aut potentiale: quia resultat ex inferioribus, quæ non dicuntur formaliter in ipso superiori contineri. Itaquè cũ de genere est sermo, statim distinguendum est, de genere Metaphisico, & Logico: si de genere Metaphisico loquatur, hoc nullo modo prædicatur de aliquo: sed potius est pars eius, de quo genus Logicũ prædicatur: est enim pars speciei, de qua dicitur primũ prædicabile: & alibi diximus, tantum vniuersale Logicum illud esse, quod inferiora respicit, tanquã eius partes subiectiuas: bene verũ est, quod id, quod dicitur genus Metaphisicum in ordine, ad totum potest per intellectũ fieri genus Logicum, si abstrahatur, ab ipso toto, & postea pluribꝰ inferioribus cõparetur, quod diximus, esse de ratione vniuersi formalis.

His adnotatis, facilè erit satisfacere quæsito: patet enim, genus nõ posse, quatenus pars est præcisè, prædicari: quia vt sic Metaphisicè cõsideratur, non Logicè, quod autẽ Canterus ait, de parte potentiali, nescio quo alio modo possit intelligi pars illa potentialis compositi Metaphisici, quã sequẽti, videlicet: itaut vocet partem potentialẽ, ipsam naturam denudatam à conditionibus indiuiduãtibus per abstractionem intellectus possibilis, quę dicitur vniuersa Metaphisicè, & totũ actuale Metaphisicum: cæterum si comparetur in ordine ad illud indiuiduũ, seu ad illam speciẽ, à qua fuit abstracta, & cui potest etiam vniri per eundem intellectũ concipientẽ ipsam possibilem cõtrahi à differentia specifica illa, à qua actu extat denudata, & sic denuo cum ea differẽtia, idem compositum

positum cōponere, sic posse partem potētialē nuncupari: aliter concipere nequeo mentem dicti Doctoris.

Qui tamen, si sic intelligat partem potentialē, errat profectò: siquidem diximus disp. de vniuersali, illam naturam nullo modo posse de aliquo inferiori prædicari: cum tantum respiciat sua prædicata superiora: indirectè autem, & remotissimè illud, vel illa inferiora, à quibus fuit abstracta, qui remotissimus ordo nō est sufficiens ad hoc, vt de illis, vt sic prædicetur, cū ad hoc requiratur, esse vnum in multis multiplicatum: natura autem eo modo, & cū tali respectu concepta etiam ad multa, potius dicitur vna à multis, vel ab vno, à quibus, vel à quo abstracta est: quarè in nostra sentētia, Canteri opinio non est admittenda.

Ad eius autem argumenta Respo. & primò ad primum, distin. ma. genus, vt genus Metaphisicum, est pars diffinitionis, & speciei, non autem, vt genus Logicum: ad mi. dico eodē modo, genus, vt genus Logicū est, prædicari de multis, non autē, vt Metaphisicū: quarè negatur consequentia.

Ad primā confir. Resp. verū esse, partes diffinitionis prędicari, nō tamen pręcisè, quatenus partes sunt: quia, vt sic, partes Metaphisicæ, sunt; vt diximus: bene verum est, ꝙ Logicè sumptę, & formaliter, seù, secundo intentionaliter, prædicantur.

Ad secundā confir. neg. mi. ad cuius prob. Resp. sic esse intelligendam illam propositionem, nimirum, quod diffinitum conuenit cum reliquis speciebus in altera parte diffinitionis, nēpè in genere: fundamētaliter, & conueniētia Metaphisica, non autem formaliter, & cōuenientia Logica: cæterū si illa pars, quæ dicitur genus abstrahatur à diffinito, & compararetur postea alijs specieb⁹, tunc erit genus Logicum, & sic nō iam pars, sed totum Logicum.

Ad secundum argumētum Resp. transeat ma. dist. mi. materia quando habet aliquam formam adhuc est in potētia remota ad omnes alias; conc. in potētia proxima; neg. tunc enim tantū dicitur esse in potentia

tentia proxima, quando est dispoſita ad recipiendã hanc formam, & non illam, vt dicã 1. Phiſ. & ſic pariter diſt. conſequẽs: ergo genus, etiã quando cõtrahitur ad tale eſſe ſpecificum, habet potentiam ad hoc, vt contrahatur per alias differentias, &c. habet potentiam proximã, neg. potẽtiam remotã conc. iuxta ſæpius repetita in diſp. de vniuerſalib. vnde negatur, quod quaten' pars eſt, prædicetur, &c.

Quid autem ſenſiendũ de P. Didaci ſententia? Dico, falſum eſſe primũ dictũ, nempè, per accidẽs eſſe, quod vt animal prædicetur de homine, ſit totum, vel pars: ratio eſt: quia ratio generis Logici, eſt ratio vniuerſi formalis: ſed ratio vniuerſi formalis eſt ratio totius: ergo ratio generis Logici eſt ratio totius. ma. cum conſequentia patet. mi. prob. de ratione vniuerſi formalis eſt, eſſe vnum in multis: ſed in hoc conſiſtit ratio totius Logici, ſiuè potentialis, vt aiunt, & nos ſupra diximus: ergo ratio vniuerſi formalis eſt ratio totius. prob. mi. quia illa vnitas reſultat ex vniformitate plurium illorum inferiorũ, in quibus natura reperitur: ſed totũ Logicũ diximus reſultare ex pluribus inferioribus, tanquã ex partibus: ergo, &c.

Vnde ſequitur, hunc Doctorem ex falſo fundamẽto procedere ad probationẽ ſui primi dicti, dum notat, per accidens eſſe ad verã prædicationem rationis abſtractæ reſpectu inferioris, quod abſtrahatur a pluribus, aut ad illa comparetur, ſufficere, namq; docet, rationem illam ſine ſingularitate cõſideratam, verè reperiri in inferiori: ſiuè reperiatur in alijs, ſiuè non: nam licet verum ſit, per accidens eſſe, q̃ illa ratio abſtrahatur à pluribus, vel ab vno: nihilominus tamen eſt de intrinſeca ratione ipſius, ad hoc, vt ejus prędicatio ſit prædicatio vniuerſi Logici, quale eſſe diximus genus, quod comparetur pluribus: eſt enim vniuerſum eſſentialiter vnum in multis.

Neq; valet, quod hæc prædicatio, homo eſt animal: etiã ſi ratio animalis non poſſet eſſe in alijs, eſſet vera prædicatio, vt patet de natura Michaelis, &c. nam aliquid eſſe

poſſi-

possibile, stat dupliciter, vel secundum rem, vel per intellectum: vnde licet ratio animalis non posset esse in alijs secundum rem: posset tamen intellectus concipere illam rationem in pluribus per ipsummet possibilibus: sicuti patet de Fenice, sole, &c. aliter nullo modo esset prædicatio generis de specie: quia si vna species totam generis potentialitaté restringeret, euacuaretque, & genus illud nil aliud præter illam specié adhuc per intellectũ dicere posset, arbitror, tunc potius illam prædicationē fore identicã: idem enim esset dicere, homo est animal, ac animal est homo, & hic est homo, & tandé animal est animal: vt discurrenti facile patebit, quod nó est concedendum, siquidem tanta vis est potentiæ intellectiuæ, vt valeat, etiam vt possibile, id, quod impossibile secundum se est, concipere.

Secundum etiam dictũ falsum esse patet ex dictis, neqꝫ enim genus, vt pars, prædicari, cum quatenus genus Logicum est, intrinsicè habeat rationem totius: fundamentum autem adductũ in confirmationem huius dicti, facile ruit; licet enim verum sit, partem Metaphisicã, quæ dicitur genus, sumi à tota entitate Phisica, nempè à materia simul, & à forma, quod videtur ipse intendere, & probare: non tamen probat, sumi à tota entitate Metaphisica, cum non sumatur à differentia: quarè nequit per alteram solummodo partem explicari tota subiecti, siuè diffiniti alicuius natura; & entitas Metaphisica, de qua, cũ aliquid diffinitur diffinitione essentiali Metaphisica, quæ constat ex genere, & differentia, est sermo.

Tertium dictum etiam falsum est, nempè compositionē Metaphisicã solum reperiri in definitione, non auté in specie: siquidé verè in homine reperitur ratio animalitatis, & ratio rationalitátis, alias falsò diffiniretur per animal rationale, sed ratio animalitatis diuersam habet rationem formalem à ratione rationalitatis, cum optimè possit ab intellectu præscindi ab illa, & alias vtraque ratio vnitur in ipso homine, itaut altera ha-

beat rationem contrahibilis, altera contrahentis: ergo homo quid compositum est ex illa duplici ratione: quæ compositio, cum non sit Phisica, neq; Logica, Metaphisica est: bene verum est, quod expressius manifestatur compositio hæc in diffinitione, vbi ambo cõceptus exprimuntur seorsim sumpti, quam in specie, in qua sub vnica ratione hominis comprehenduntur: vnde dicere possumus, compositionem hanc Metaphisicã, in specie reperiri implicitè: in diffinitione verò explicitè.

Restat ergo dicendum genus prædicari de suis inferioribus, quatenus præcisè totũ Logicum est, vt probant argumenta adducta pro sententia D. Tho. licet vt sic dicat tantum partem essentiæ diffiniti, siuè eius, de quo prædicatur: quarè non dicitur totum respectu eius, de quo prædicatur præcisè, itaut dicat totam entitatẽ ipsius: sed dicitur totum respectu omniũ inferiorum, de quibus prædicari potest. Vnde etiam sequitur alia ratio contra Patrem Didacũ: si enim genus sumeretur à tota entitate subiecti, de quo dicitur, totam entitatem ipsius diceret in prædicatione: quia prædicatũ tãtum dicit, quantum in se continet: ergo si totam contineret subiecti entitatem Metaphisicam, totam illã diceret in prædicatione, & sic falsum esset, dicere solũ partem materialem essentiæ.

## SECTIO QVINTA.

*Vtrum Genus prædicetur per se de Differentijs?*

PRO tituli intelligẽtia supponendum est, tanquam certum, naturã, quæ denominatur à secunda intentione generis, genus: (de hac enim etiam in præsenti sectione sermo est) nõ continere differentias in actu, sed solum in potentia: animal .n. non continet actu rationale, & irrationale: alias duo opposita, & incompossibilia actu contineret.

Præterquã, quod sic se habet

bet genus in ordine ad differentias, sicut materia in ordine ad formas: sed materia nequit in actu plures formas incompossibiles habere: ergo, neq; genus plures differētias. Quod autem illas contineat in potentia patet: quia differentiæ educuntur de potentialitatibus generis: sicuti formæ omnes naturales (excepta anima rationali, quæ de foris venit, vt 2. Phis. dicā) educuntur de potentia materiæ, siuè subiecti: ergo eo modo quo subiectum, siuè materia dicitur continere formas naturales in potentia, ita genus cōtinet formas Metaphisicas, nempè, differentias, in potentia. Et nota, quod loquimur nos de genere, quatenus totū est potentiale inconfuso continens sua inferiora: quia si sermo est de ipso genere, quatenus species subalterna est, & de differentia, quæ illud constituit: v.g. de sensibili respectu animalis, certum est, actu esse hanc differētiam in genere sic cōsiderato, sicut quælibet differentia cōstitutiua speciei, actu in specie constituta reperitur. Item si sermo sit de ipso genere, quatenus à parte rei est in aliquo indiuiduo alicuius speciei contractū, tunc potest dici, quod aliquo modo cōtineat differentiā illam, per quam contractum est, saltem per modū cōiunctionis, & vnionis, nimirum, quia est vnitum cum illa à parte rei.

Sed petes, qua potētia contineat genus differētias? Resp. potētia Metaphisica: sic enim est intelligendus Porph. cap. de differentia, vbi ait: potestate differētias, quæ eis subiectæ sunt, genera cōplectuntur: rè ipsa verò (idest actu) nullo modo. Et potest sic etiā confirmari à simili, quia ideò materia prima dicitur in potētia Phisica cōtinere formas: quia est ad omnes illas indifferēs, & ab omnibus illis determinabilis Phisicè per agens naturale: sed similiter genus indifferens est ad differētias, & ab illis per agens intellectuale determinabile Metaphisicè: ergo continet illas in potētia Metaphisica: & hoc modo intelligendus est Porphy. (vt optimè P. Didacus disp. 8. quæst. 4.) quando asserit, genus principium esse specierū:

quia sicut materia dici potest principium cõpositi Phisici, ita genus Metaphisici.

Ex quo sequitur genus cõtinere differentias in genere causæ matelialis, & in potentia quasi passiua: in quo genere nõ est inconueniens, quod idem incompossibilia contineat, vt patet in ipsa materia prima respectu incompossibilium formarum, & in aliquo subiecto respectu incompossibilium accidẽtium, v.g. albedinis, & nigredinis: caloris, & frigoris, &c. His ergo suppositis breuiter, quæstio nostra est vtrum genus essentialiter, & per se de differentijs prædicetur: itaut hæc prædicatio, rationale est animal, sit prædicatio essentialis, & per se?

In qua rè est sententia Janduni 3. Met. quæst. 12. & aliorum, asserẽtium, genus per se, & essentialiter prædicari de differentijs: potestq; hæc opinio sic primo suaderi: si genus per se, & essentialiter nõ prædicaretur de differentijs, sequeretur, illud per accidens de differentijs prædicari: non enim datur medium inter ꝑ se, & per accidens: hoc est absurdum: nam sequeretur ex rationali, & animali fieri vnũ per accidẽs: quod falsum est: cum ex illis constituatur species, quæ est vnũ per se: ergo, &c. probatur hęc secunda sequela, quia prædicatio per accidens fit, quãdo accidens prædicatur de substantia, aut è conuerso: aut etiam accidens de accidenti: sed in his omnibus fit vnum per accidens: ergo, &c.

Secũdo probatur: si animal prædicatur per accidens de rationali, sequitur, quod per accidẽs prædicatur de homine: sed hoc est falsum: ergo, &c. prob. sequela, quia quicquid prædicatur per accidẽs de aliquo, prædicatur etiã ꝑ accidens de omni eo, de quo illud subiectum prædicatur per se, & essentialiter: sed ly, rationale, essentialiter prædicatur de homine: ergo animal, quod per accidens prædicatur de rationali, prædicabitur etiam per accidens de ipso homine.

Confirmatur: rationale per se est homo: homo per se est animal: ergo rationale per se est animal: cõsequentia opti-

ma est cũ minori, quã nil certius. ma. verò patet: nã bene valet, homo per se est rationalis: ergo rationale per se est homo. q a, vt ait Arist. 1. post. cap. 4. omnis propositio per se conuertitur in propositionem per se.

Tertio probatur: rationale per se est ens: quia ens prædicatur de omnibus rebus: ergo vel substãtia, vel accidens: nõ accidens, vt patet: ergo substantia: ergo vel est corporea, vel incorporea: non incorporea: ergo corporea: ergo vel animata, vel inanimata: si animata, tunc vel sensibilis, vel insensibilis: quod si per se sensibilis: ergo per se animal.

His tamen nõ obstantibus. Dico, genus nõ prædicari per se, & essentialiter de differentia. Et nota, quod non loquimur de differentia secundum conceptum confusum, quatenus implicitè, & inconfuso continet speciem: sed de differentia secundum conceptum præcisum, quatenus scilicet dicit præcisum gradum differentialem: hanc sententiam tenent Aristo. 4. Topic. cap. 3. 2. Meth. tex. 2. & 3. Meth. tex. 10. & etiã 1. Meth. cap. 1. versus finem, vbi colligit, ens nõ esse genus, quia est intra essentiam suarum differentiarum. Item D. Tho. 1. con. gen. cap. 17. ibid. Ferr. & de ente, & essentia cap. 3. ibidemq; Caiet. Scot. 1. post. quæst. 23. Sonc. 4. Met. quæst. 2. Iauel. 3. Met. quæst. 2. Alber. Mag. 6. Top. tract. 2. cap. 6. Fons. lib. 2. Met. cap. 2. q. 1. sect. 4. & est communis hodie in scholis.

Probatur primo: genus nõ prędicatur de differẽtia, neq; in primo, neq; in secũdo modo perseitatis: ergo non prædicatur per se, & essentialiter: probatur antecedens: non in primo modo: quia genus nõ ponitur in diffinitione differentiæ: tùm quia, differentia non est diffinibilis: tùm etiam quia vt ait Aristo. 4. Top. genus debet esse extra rationẽ differentiarum: alias si genus esset de intrinseca ratione differentiarum, quælibet differentia constaret ex genere, & differẽtia, & sic esset species: quod autem neq; in secundo modo perseitatis prædicetur, patet, quia genus non est propria passio differentiarũ: ergo

non prædicatur essentialiter, & per se de illis.

Secúdo probatur: differentiæ sunt primo diuersæ: ergo genus non includitur in conceptu essentiali illarum: antecedens est Aristo. 1. Meth. vbi ait, differẽtias differre se ipsis, & non per aliquid aliud, immò omnia alia per ipsas posse differre, & cõuenire: quo modo etiam dicuntur diffinitiones differre se ipsis, & sic primo diuersæ: probatur modo cõsequentia: nam si genus includeretur in conceptu essentiali differentiarum, omnes differẽtiæ vnius generis conuenirent in vno cõceptu vniuocè, scilicet in conceptu generis, q. est vniuocus: hoc est falsum: ergo, &c. sequela probatur, quia ideò homo, & equus cõueniunt vniuocè in ratione animalis: quia animal est de ratione vtriusq;: ergo si etiam animal est de ratione intrinseca differentiarũ, nempè, rationalis, & irrationalis: rationale, & irrationale conueniunt vniuocè in ratione animalis: quod est absurdum: siquidem ea, quæ sunt primo diuersa in nulla ratione vniuoca possunt conuenire, aliàs nõ essent primo diuersa: quia primo diuersa differunt se totis: licet in vna ratione analoga non repugnet, posse conuenire primo diuersa, & sic differentiæ conueniunt in ratione entis.

Tertio probatur. Differentia simpliciter est principium distinguendi speciem, quam constituit, ab illis, quæ sub eodem genere continentur: ergo non potest essentialiter includere genus: prob. consequentia: quia si includeret, sicut est principium differendi, esset principiũ conueniendi cum illis ipsis, à quibus speciem distinguit: quia includit essentialiter illud, in quo conueniunt.

Quarto, quia si differentiæ secundum gradum præcisum essentialiter cõueniunt in genere: ergo debent differre p alias differentias: & illæ cum rursus cõueniãt, rursus differrẽt per alias, & sic in infinitũ.

Quinto, quia hæc diffinitio esset vitiosa, homo est animal rationale: quia bis repeteretur genus: semel quidem per se, iterum autem vt inclusum

in

in rationali: alias si hoc liceret, liceret etiam hominē diffinire, animal sensibile rationale, quæ tamen diffinitio nugatoria iudicatur ab omnibus, eo quod, sensibile iam sit inclusum in animali, quā rationem tetigit Philosop. 6. Top. cap. 3. vt optimè adnotauit P. Didac. disp. 8. q. 4. qui etiā huic sententiæ fauet.

Quarè ad argumenta pro contraria sententia adducta respondendū restat: & ad primum Resp. not. quod prædicari per accidens stat dupliciter: vel per accidens prædicabile, quod etiam substantijs cōpetere potest (vt supra vidimus) vt existere, qui est modus substantialis cōpetit creaturis accidētaliter: hoc est, nō intrat illarum essentiam: quia soli Deo essentialiter cōpetit: vel tanquā accidens prædicamentale, quod scilicet collocatur in aliquo prædicamēto accidētium: quādo ergo dicitur in argumēto, genus prędicatur de differētia accidētaliter, dico, nō vt accidēs prædicamētale, sed vt accidēs prædicabile: quia scilicet genus, & differētia sunt eiusdē prædicamenti substantiæ: tamen quia genus (vt vidimus) est extra essentiam differentiarū, se habet, vt accidens prædicabile respectu illarum: ex quo non sequitur, nō resultare ex ipsis vnum per se, sed vnū per accidens, cum ens accidētale resultet ex accidenti prædicamentali, non prædicabili.

Ad secundū Resp. neg. seq. ad cuius prob. dico distinguēdo etiam illam maiorē: quicquid prædicatur per accidēs de aliquo subiecto: prædicatur etiam per accidēs de omni eo, de quo illud subiectum prædicatur per se, & essentialiter: (intellige:) si illud prædicatū prædicatur de hoc, mediante tali subiecto: verū est, secus verò, si illud subiectum non est ratio prædicandi, vt etiam glosauimus eandē propositionē disp. pręced. de prędicatione vniuersi de genere primo prædicabili; cum q; rationale nō sit ratio, quarè animal prædicetur de homine: quia, adhuc circunscripta omni differentia à specie, genus optimè prędicaretur, & essentialiter de ipsa specie: sit quod stet optimè, genus prædicari

per

per accidens de differētia: de ſpecie verò per ſe, & explicatur hoc exēplo: rationale prædicatur per accidens de animali: & tamen non ſequitur: ergo per accidēs prædicatur de homine: quia licet animal includatur in homine eſſentialiter, non tamen eſt ratio quarè rationale cōueniat ipſi homini.

Ad conſ. Reſp. diſt. ma. rationale per ſe eſt homo; entitatiuè, cōcedo: formaliter, nego: quia licet per ſuā entitatē rationale per ſe ſit homo, cū eadem entitas ſit cū entitate hominis, & ſic idēticè illa propoſitio ſit vera: quia tamen ſub entitate latent diuerſæ rationes formales, ſecundum quas vnū nequit dici de altero ſic: ideò non eſt vera formaliter illa propoſitio; quarè negatur cōſequētia: ſiquidē, ly per ſe, diuerſimodè vſurpatur, ī præmiſſis, & in cōcluſione, in maiori, namq; vſurpatur entitatiuè, in minori verò, & concluſione, ſtat formaliter: quarè vitiū eſt in forma ſillogiſmi: quādo verò probans maiorē ait: homo per ſe eſt rationalis: ergo rationale per ſe eſt homo: variatur etiā ſuppoſitio termini, per ſe; nam in antecedenti ſtat formaliter, in conſequentia, entitatiuè: licet vtraque ſit propoſitio per ſe: altera tamen formalis: altera verò identica.

Ad vltimū Reſp. cum Patre Didaco loc. cit. conc. antecedens, diſt. conſ. ergo ſubſtātiæ ſi de ſubſtantia ente cōpleto, & per ſe ſtante ſumatur: qua ratione dicitur ſubſtātia prædicamentalis, ſeù in rectâ linea: neg. nam licet in rè ſubſtātia cōpleta ſit: quia tamen formaliter, & præciſè concipitur per modum formæ, prædicaturq; per modū alteri adiacētis, ideò excluditur à ratione cōpletæ, ſeù prædicamentalis ſubſtātiæ: ſi autē ſumatur pro eo, quod nō eſt accidens, qua ratione ſubſtātia trāſcendentalis dici ſolet, hoc modo cōcedo, rationale ſubſtantiā eſſe: quia tamen ſubſtātia prædicamētalis nō eſt, neq; in recta linea ponitur, nō includit reliqua prædicata, vt viuens, corpus, &c. in quibus includitur ſubſtātia prædicamētalis: & hæc dicta ſufficiant de Genere primo prædicabili.

CA-

# CAPVT SECVNDVM DE SPECIE.



APVT hoc in quatuor diuidi potest, facilitatis gratia, partes: in quarũ prima adducũtur ab authore duæ significationes speciei: in secunda duæ diffinitiones: in tertia docet, cui nam speciei conueniat quælibet ex illis diffinitionibus: in quarta tandem breuiter de indiuiduis verba facit, quia correlatiua sunt speciei.

In prima parte inquit, quod hic terminus, species, primo significat, pulchritudinem: secũdo, id, quod subditur generi: neq; alias, breuitatis causa, speciei significationes adducit, cum ambæ hæ species nescio quid habeant inter se similitudinis: sicut enim pulchritudo qualitas quædam est ex debita membrorum, seù partium cõpositione resultans: sic species Logica ex debita generis, & differentiæ compositione, resultat: & sicut pulchritudo speciosum, pulchrumq; reddit subiectũ, in quo est; sic species Logica, indiuidua, in quibus eius essẽtia recipitur, pulchra quodammodo reddit, cum det illis essentiamq; quæ optime rei pulchritudo dici potest: reddit etiam pulchrum genus, saltem per differentiam: est enim differentia, quasi perficiens: genus autem,

perfe-

Logica, quæ constat ex partibus non manentibus formaliter in ipso toto, sed tātum virtualiter, quod vocant in potentia: hæc autem fit ex ipsis inferioribus, quæ dicūtur partes subiectiuæ superioris. Hinc totum resultans ex partibus Metaphisicis vocant totum actuale, cum fiat ex partibus actualiter manētibus in ipso, essentialiterq; ipsum componētibus: at verò totum, quod resultat ex partibus Logicis, dicitur totum vniuersale, siuè virtuale, aut potentiale: quia resultat ex inferioribus, quæ non dicuntur formaliter in ipso superiori contineri. Itaquè cū de genere est sermo, statim distinguendum est, de genere Metaphisico, & Logico: si de genere Metaphisico loquatur, hoc nullo modo prædicatur de aliquo: sed potius est pars eius, de quo genus Logicū prædicatur: est enim pars speciei, de qua dicitur primū prædicabile: & alibi diximus, tantum vniuersale Logicum illud esse, quod inferiora respicit, tanquā eius partes subiectiuas: bene verū est, quod id, quod dicitur genus Metaphisicum in ordine, ad totum potest per intellectū fieri genus Logicum, si abstrahatur, ab ipso toto, & postea pluribꝰ inferioribus cōparetur, quod diximus, esse de ratione vniuersi formalis.

His adnotatis, facilè erit satisfacere quæsito: patet enim, genus nō posse, quatenus pars est præcisè, prædicari: quia vt sic Metaphisicè cōsideratur, non Logicè, quod autē Canterus ait, de parte potentiali, nescio quo alio modo possit intelligi pars illa potentialis compositi Metaphisici, quā sequēti, videlicet: itaut vocet partem potentialē, ipsam naturam denudatam à conditionibus indiuiduātibus per abstractionem intellectus possibilis, quę dicitur vniuersa Metaphisicè, & totū actuale Metaphisicum: cæterum si comparetur in ordine ad illud indiuiduū, sęù ad illam specie, à qua fuit abstracta, & cui potest etiam vniri per eundem intellectū concipientē ipsam possibilem cōtrahi à differentia specifica illa, à qua actu extat denudata, & sic denuo cum ea differētia, idem compositum

positum

positum cõponere, sic posse partem potẽtialẽ nuncupari: aliter concipere nequeo mentem dicti Doctoris.

Qui tamen, si sic intelligat partem potentialẽ, errat profectò: siquidem diximus disp. de vniuersali, illam naturam nullo modo posse de aliquo inferiori prædicari: cum tantum respiciat sua prædicata superiora: indirectè autem, & remotissimè illud, vel illa inferiora, à quibus fuit abstracta, qui remotissimus ordo nõ est sufficiens ad hoc, vt de illis, vt sic prædicetur, cũ ad hoc requiratur, esse vnum in multis multiplicatum: natura autem eo modo, & cũ tali respectu concepta etiam ad multa, potius dicitur vna à multis, vel ab vno, à quibus, vel à quo abstracta est: quarè in nostra sentẽtia, Canteri opinio non est admittenda.

Ad eius autem argumenta Respo. & primo ad primum, distin. ma. genus, vt genus Metaphisicum, est pars diffinitionis, & speciei, non autem, vt genus Logicum: ad mi. dico eodẽ modo, genus, vt genus Logicũ est, prædicari de multis, non autẽ, vt Metaphisicũ: quarè negatur consequentia.

Ad primã confir. Resp. verũ esse, partes diffinitionis prędicari: nõ tamen pręcisè, quatenus partes sunt: quia, vt sic, partes Metaphisicæ, sunt, vt diximus: bene verum est, ꝙ Logicè sumptę, & formaliter, seù, secundo intentionaliter, prædicantur.

Ad secundã confir. neg. mi. ad cuius prob: Resp. sic esse intelligendam illam propositionem, nimirum, quod diffinitum conuenit cum reliquis speciebus in altera parte diffinitionis, nẽpè in genere: fundamẽtaliter, & conuenientia Metaphisica, non autem formaliter, & cõuenientia Logica: cæterũ si illa pars, quæ dicitur genus abstrahatur à diffinito, & compararetur postea alijs specieb⁹, tunc erit genus Logicum, & sic nõ iam pars, sed totum Logicum.

Ad secundum argumẽtum Resp. transeat mã. dist. mi. materia quando habet aliquam formam adhuc est in potẽtia remota ad omnes alias; conc. in potẽtia proxima; neg. tunc enim tantũ dicitur esse in potentia

tentia proxima, quando est dispofita ad recipiendã hanc formam, & non illam, vt dicã 1. Phiſ. & ſic pariter diſt. conſequẽs: ergo genus, etiã quando cõtrahitur ad tale eſſe ſpecificum, habet potentiam ad hoc, vt contrahatur per alias differentias, &c. habet potentiam proximã, neg. potẽtiam remotã conc. iuxta ſæpius repetita in diſp. de vniuerſalib. vnde negatur, quod quaten⁹ pars eſt, prædicetur, &c.

Quid autem ſenſiendũ de P. Didaci ſententia? Dico, falſum eſſe primũ dictũ, nempè, per accidẽs eſſe, quod vt animal prædicetur de homine, ſit totum, vel pars: ratio eſt: quia ratio generis Logici, eſt ratio vniuerſi formalis: ſed ratio vniuerſi formalis eſt ratio totius: ergo ratio generis Logici eſt ratio totius. ma. cum conſequentia patet. mi. prob. de ratione vniuerſi formalis eſt, eſſe vnum in multis: ſed in hoc conſiſtit ratio totius Logici, ſiuè potentialis, vt aiunt, & nos ſupra diximus: ergo ratio vniuerſi formalis eſt ratio totius. prob. mi. quia illa vnitas reſultat ex vniformitate plurium illorum inferiorũ, in quibus natura reperitur: ſed totũ Logicũ diximus reſultare ex pluribus inferioribus, tanquã ex partibus: ergo, &c.

Vnde ſequitur, hunc Doctorem ex falſo fundamẽto procedere ad probationẽ ſui primi dicti, dum notat, per accidens eſſe ad verã prædicationem rationis abſtractæ reſpectu inferioris, quod abſtrahatur a pluribus, aut ad illa comparetur, ſufficere, namq; docet, rationem illam ſine ſingularitate cõſideratam, verè reperiri in inferiori: ſiuè reperiatur in alijs, ſiuè non: nam licet verum ſit, per accidens eſſe, quod illa ratio abſtrahatur à pluribus, vel ab vno: nihilominus tamen eſt de intrinſeca ratione ipſius, ad hoc, vt eius prędicatio ſit prædicatio vniuerſi Logici, quale eſſe diximus genus, quod comparetur pluribus: eſt enim vniuerſum eſſentialiter vnum in multis.

Neq; valet, quod hæc prædicatio, homo eſt animal: etiã ſi ratio animalis non poſſet eſſe in alijs, eſſet vera prædicatio, vt patet de natura Michaelis, &c. nam aliquid eſſe poſſi-

possibile, fiat dupliciter, vel secundum rem, vel per intellectum: vnde licet ratio animalis non posset esse in alijs secundum rem: posset tamen intellectus concipere illam rationem in pluribus per ipsummet possibilibus: sicuti patet de Fenice, sole, &c. aliter nullo modo esset prædicatio generis de specie: quia si vna species totam generis potentialitatẽ restringeret, euacuaretque, & genus illud nil aliud præter illam speciẽ adhuc per intellectũ dicere posset, arbitror, tunc potius illam prædicationẽ fore identicã: idem enim esset dicere, homo est animal, ac animal est homo, & hic est homo, & tandẽ animal est animal; vt discurrenti facile patebit, quod nõ est concedendum, siquidem tanta vis est potentiæ intellectiuæ, vt valeat, etiam vt possibile, id, quod impossibile secundum se est, concipere.

Secundum etiam dictũ falsum esse patet ex dictis, neqꝫ enim genus, vt pars, prædicari, cum quatenus genus Logicum est, intrinsicè habeat rationem totius: fundamentum autem adductũ in confirmationem huius dicti, facile ruit; licet enim verum sit, partem Metaphisicã, quæ dicitur genus, sumi à tota entitate Phisica, nempè à materia simul, & à forma, quod videtur ipse intendere, & probare: non tamen probat, sumi à tota entitate Metaphisica, cum non sumatur à differentia: quarè nequit per alteram solummodo partem explicari tota subiecti, siuè diffiniti alicuius natura; & entitas Metaphisica, de qua, cũ aliquid diffinitur diffinitione essentiali Metaphisica, quæ constat ex genere, & differentia, est sermo.

Tertium dictum etiam falsum est, nempè compositionẽ Metaphisicã solum reperiri in definitione, non autẽ in specie: siquidẽ verè in homine reperitur ratio animalitatis, & ratio rationalitatis, alias falsò diffiniretur per animal rationale, sed ratio animalitatis diuersam habet rationem formalem à ratione rationalitatis, cum optimè possit ab intellectu præscindi ab illa, & alias vtraque ratio vnitur in ipso homine, itaut altera ha-

beat rationem contrahibilis, altera contrahentis: ergo homo quid compositum est ex illa duplici ratione: quæ compositio, cum non sit Phisica, neq; Logica, Metaphisica est: bene verum est, quod expressius manifestatur compositio hæc in diffinitione, vbi ambo cõceptus exprimuntur seorsim sumpti, quam in specie, in qua sub vnica ratione hominis comprehenduntur: vnde dicere possumus, compositionem hanc Metaphisicã, in specie reperiri implicitè: in diffinitione verò explicitè.

Restat ergo dicendum genus prædicari de suis inferioribus, quatenus præcisè totũ Logicum est, vt probant argumenta adducta pro sententia D. Tho. licet vt sic dicat tantum partem essentiæ diffiniti, siuè eius, de quo prædicatur: quarè non dicitur totum respectu eius, de quo prædicatur præcisè, itaut dicat totam entitatẽ ipsius: sed dicitur totum respectu omniũ inferiorum, de quibus prædicari potest. Vnde etiam sequitur alia ratio contra Patrem Didacũ: si enim genus sumeretur à tota entitate subiecti, de quo dicitur, totam entitatem ipsius diceret in prædicatione: quia prædicatũ tãtum dicit, quantum in se continet: ergo si totam contineret subiecti entitatem Metaphisicam, totam illã diceret in prædicatione, & sic falsum esset, dicere solũ partem materialem essentiæ.

## SECTIO QVINTA.

*Vtrum Genus prædicetur per se de Differentijs?*

PRO tituli intelligẽtia supponendum est, tanquam certum, naturã, quæ denominatur à secunda intentione generis, genus: (de hac enim etiam in præsenti sectione sermo est) nõ continere differentias in actu, sed solum in potentia: animal .n. non continet actu rationale, & irrationale: alias duo opposita, & incompossibilia actu contineret.

Præterquã, quod sic se habet

bet genus in ordine ad differentias, sicut materia in ordine ad formas: sed materia nequit in actu plures formas incompossibiles habere: ergo, neq; genus plures differẽtias. Quod autem illas contineat in potentia patet: quia differentiæ educuntur de potentialitatibus generis: sicuti formæ omnes naturales (excepta anima rationali, quæ de foris venit, vt 2. Phis. dicã) educuntur de potentia materiæ, siuè subiecti: ergo eo modo quo subiectum, siuè materia dicitur continere formas naturales in potentia, ita genus cõtinet formas Metaphisicas, nempè, differentias, in potentia. Et nota, quòd loquimur nos de genere, quatenus totũ est potentiale inconfuso continens sua inferiora: quia si sermo est de ipso genere, quatenus species subalterna est, & de differentia, quæ illud constituit: v.g. de sensibili respectu animalis, certum est, actu esse hanc differẽtiam in genere sic cõsiderato, sicut quælibet differentia cõstitutiua speciei, actu in specie constituta reperitur. Item si sermo sit de ipso genere, quatenus à parte rei est in aliquo indiuiduo alicuius speciei contractũ, tunc potest dici, quod aliquo modo cõtineat differentiã illam, per quam contractum est, saltem per modũ cõiunctionis, & vnionis, nimirum, quia est vnitum cum illa à parte rei.

Sed petes, qua potẽtia contineat genus differẽtias? Resp. potẽtia Metaphisica: sic enim est intelligendus Porph. cap. de differentia, vbi ait: potestate differẽtias, quæ eis subiectæ sunt, genera cõplectuntur: rè ipsa verò (idest actu) nullo modo. Et potest sic etiã confirmari à simili, quia ideò materia prima dicitur in potẽtia Phisica cõtinere formas: quia est ad omnes illas indifferẽs, & ab omnibus illis determinabilis Phisicè per agens naturale: sed similiter genus indifferens est ad differẽtias, & ab illis per agens intellectuale determinabile Metaphisicè: ergo continet illas in potẽtia Metaphisica: & hoc modo intelligendus est Porphy. (vt optimè P. Didacus disp. 8. quæst. 4.) quando asserit, genus principium esse specierũ:

quia sicut materia dici potest principium cōpositi Phisici, ita genus Metaphisici.

Ex quo sequitur genus cōtinere differentias in genere causæ matelialis, & in potentia quasi passiua: in quo genere nō est inconueniens, quod idem incompossibilia contineat, vt patet in ipsa materia prima respectu incompossibilium formarum, & in aliquo subiecto respectu incompossibilium accidétium, v.g. albedinis, & nigredinis: caloris, & frigoris, &c. His ergo suppositis breuiter, quæstio nostra est vtrum genus essentialiter, & per se de differentijs prædicetur: itaut hæc prædicatio, rationale est animal, sit prædicatio essentialis, & per se?

In qua rè est sententia Ianduni 3. Met. quæst. 12. & aliorum, asserétium, genus per se, & essentialiter prædicari de differentijs: potestq; hæc opinio sic primo suaderi: si genus per se, & essentialiter nō prædicaretur de differentijs, sequeretur, illud per accidens de differentijs prædicari: non enim datur medium inter p se, & per accidens: hoc est absurdum: nam sequeretur ex rationali, & animali fieri vnū per accidés: quod falsum est: cum ex illis constituatur species, quæ est vnū per se: ergo, &c. probatur hęc secunda sequela, quia prædicatio per accidens fit, quādo accidens prædicatur de substantia, aut è conuerso: aut etiam accidens de accidenti: sed in his omnibus fit vnum per accidens: ergo, &c.

Secūdo probatur: si animal prædicatur per accidens de rationali, sequitur, quod per accidés prædicatur de homine: sed hoc est falsum: ergo, &c. prob. sequela, quia quicquid prædicatur per accidés de aliquo, prædicatur etiā p accidens de omni eo, de quo illud subiectum prædicatur per se, & essentialiter: sed ly, rationale, essentialiter prædicatur de homine: ergo animal, quod per accidens prędicatur de rationali, prædicabitur etiam per accidens de ipso homine.

Confirmatur: rationale per se est homo: homo per se est animal: ergo rationale per se est animal: cōsequentia optima

ma est cũ minori, quã nil certius. ma. verò patet: nã bene valet, homo per se est rationalis: ergo rationale per se est homo. q i, vt ait Arist. 1. post. cap. 4. omnis propositio per se conuertitur in propositionem per se.

Tertio probatur: rationale per se est ens: quia ens prædicatur de omnibus rebus: ergo vel substãtia, vel accidens: nõ accidens, vt patet: ergo substantia: ergo vel est corporea, vel incorporea: non incorporea: ergo corporea: ergo vel animata, vel inanimata: si animata, tunc vel sensibilis, vel insensibilis: quod si per se sensibilis: ergo per se animal.

His tamen nõ obstantibus. Dico, genus nõ prædicari per se, & essentialiter de differentia. Et nota, quod non loquimur de differentia secundum conceptum confusum, quatenus implicitè, & inconfusò continet speciem: sed de differentia secundum conceptum præcisum, quatenus scilicet dicit præcisum gradum differentialem: hanc sententiam tenent Aristo. 4. Topic. cap. 3. 2. Meth. tex. 2. & 3. Meth. tex. 10. & etiã 1. Meth. cap. 1. versus finem, vbi colligit, ens nõ esse genus, quia est intra essentiam suarum differentiarum. Item D. Tho. 1. con. gen. cap. 17. ibid. Ferr. & de ente, & essentia cap. 3. ibidemq; Caiet. Scot. 1. post. quæst. 23. Sonc. 4. Met. quæst. 2. lauel. 3. Met. quæst. 2. Alber. Mag. 6. Top. tract. 2. cap. 6. Fonf. lib. 2. Met. cap. 2. q. 1. sect. 4. & est communis hodie in scholis.

Probatur primo: genus nõ prędicatur de differẽtia, neq; in primo, neq; in secũdo modo perseitatis: ergo non prædicatur per se, & essentialiter: probatur antecedens: non in primo modo: quia genus nõ ponitur in diffinitione differentiæ: tùm quia, differentia non est diffinibilis: tùm etiam quia vt ait Aristo. 4. Top. genus debet esse extra rationẽ differentiarum: alias si genus esset de intrinseca ratione differentiarum, quælibet differentia constaret ex genere, & differẽtia, & sic esset species: quod autem neq; in secundo modo perseitatis prædicetur, patet, quia genus non est propria passio differentiarũ: ergo

non prædicatur essentialiter, & per se de illis.

Secūdo probatur: differentiæ sunt primo diuersa: ergo genus non includitur in conceptu essentiali illarum: antecedens est Aristo. 1. Meth. vbi ait, differētias differre se ipsis, & non per aliquid aliud, immò omnia alia per ipsas posse differre, & cōuenire: quo modo etiam dicuntur diffinitiones differre se ipsis, & sic primo diuersæ: probatur modo cōsequentia: nam si genus includeretur in conceptu essentiali differentiarum, omnes differētiæ vnius generis conuenirent in vno cōceptu vniuocè, scilicet in conceptu generis, q est vniuocus: hoc est falsum: ergo, &c. sequela probatur, quia ideò homo, & equus cōueniunt vniuocè in ratione animalis: quia animal est de ratione vtriusq;: ergo si etiam animal est de ratione intrinseca differentiarū, nempè, rationalis, & irrationalis: rationale, & irrationale conueniunt vniuocè in ratione animalis: quod est absurdum: siquidem ea, quæ sunt primo diuersa in nulla ratione vniuoca possunt conuenire, aliàs nō essent primo diuersa: quia primo diuersa differunt se totis: licet in vna ratione analoga non repugnet, posse conuenire primo diuersa, & sic differentiæ conueniunt in ratione entis.

Tertio probatur. Differentia simpliciter est principium distinguendi speciem, quam constituit, ab illis, quæ sub eodem genere continentur: ergo non potest essentialiter includere genus: prob. consequentia: quia si includeret, sicut est principium differendi, esset principiū conueniendi cum illis ipsis, à quibus speciem distinguit: quia includit essentialiter illud, in quo conueniunt.

Quarto, quia si differentiæ secundum gradum præcisum essentialiter cōueniunt in genere: ergo debent differre p alias differentias: & illæ cum rursus cōueniāt, rursus differrēt per alias, & sic in infinitū.

Quinto, quia hæc diffinitio esset vitiosa, homo est animal rationale: quia bis repeteretur genus: semel quidem per se, iterum autem vt inclusum

in

in rationali: alias si hoc liceret, liceret etiam hominē diffinire, animal sensibile rationale, quæ tamen diffinitio nugatoria iudicatur ab omnibus, eo quod, sensibile iam sit inclusum in animali, quā rationem tetigit Philosop. 6. Top. cap. 3. vt optimè adnotauit P. Didac. disp. 8. q. 4. qui etiā huic sententiæ fauet.

Quarè ad argumenta pro contraria sententia adducta respondendū restat: & ad primum Resp. not. quod prædicari per accidens stat dupliciter: vel per accidens prædicabile, quod etiam substantijs cōpetere potest (vt supra vidimus) vt existere, qui est modus substantialis cōpetit creaturis accidētaliter: hoc est, nō intrat illarum essentiam: quia soli Deo essentialiter cōpetit: vel tanquā accidens prædicamentale, quod scilicet collocatur in aliquo prædicamēto accidētium: quādo ergo dicitur in argumēto, genus prędicatur de differētia accidētaliter, dico, nō vt accidēs prædicamētale, sed vt accidēs prædicabile: quia scilicet genus, & differētia sunt eiusdē prædicamenti substantiæ: tamen quia genus (vt vidimus) est extra essentiam differentiarū, se habet, vt accidens prædicabile respectu illarum: ex quo non sequitur, nō resultare ex ipsis vnum per se, sed vnū per accidens, cum ens accidētale resultet ex accidenti prædicamentali, non prædicabili.

Ad secundū Resp. neg. seq. ad cuius prob. dico distinguēdo etiam illam maiorē: quicquid prædicatur per accidēs de aliquo subiecto: prædicatur etiam per accidēs de omni eo, de quo illud subiectum prædicatur per se, & essentialiter: (intellige:) si illud prædicatū prædicatur de hoc, mediante tali subiecto: verū est, secus verò, si illud subiectum non est ratio prædicandi, vt etiam glosauimus eandē propositionē disp. pręced. de prędicatione vniuersi de genere primo prædicabili; cumq; rationale nō sit ratio, quarè animal prædicetur de homine: quia, adhuc circunscripta omni differentia à specie, genus optimè prędicaretur, & essentialiter de ipsa specie: fit quod stet optimè, genus prædicari

per

# CAPVT SECVNDVM DE SPECIE.



APVT hoc in quatuor diuidi potest, facilitatis gratia, partes: in quarũ prima adducũtur ab authore duæ significationes speciei: in secunda duæ diffinitiones: in tertia docet, cui nam speciei conueniat quælibet ex illis diffinitionibus: in quarta tandem breuiter de indiuiduis verba facit, quia correlatiua sunt speciei.

In prima parte inquit, quod hic terminus, species, primo significat, pulchritudinem: secũdo, id, quod subditur generi: neq; alias, breuitatis causa, speciei significationes adducit, cum ambæ hæ species nescio quid habeant inter se similitudinis: sicut enim pulchritudo qualitas quædam est ex debita membrorum, seu partium cõpositione resultans: sic species Logica ex debita generis, & differentiæ compositione, resultat: & sicut pulchritudo speciosum, pulchrumq; reddit subiectũ, in quo est; sic species Logica, indiuidua, in quibus eius essẽtia recipitur, pulchra quodammodo reddit, cum det illis essentiam, quæ optime rei pulchritudo dici potest: reddit etiam pulchrum genus, saltem per differentiam: est enim differentia, quasi perficiens: genus autem, perfe-

perfectibile: vt bene docet Pater Didacus hic.

Aduertit etiam author, quod non est tribuendus vitio circulus, qui committitur in diffinitione generis, & speciei; dùm genus per speciem, & speciem per genus diffinit: nam (inquit) circulus non est vitium in relatis: tamen hoc positũ est in magna controuersia, à nobis Deo dante examinanda cap. de relatis.

In secunda parte, sic primo diffinit speciem. Species est, quæ subijcitur generi, & de qua genus prædicatur in quid: quam diffinitionem, docet, conuenire speciei, quatenus subijcibilis est: secunda diffinitio: species est, quæ prædicatur de multis numerò differentibus in quid: & hanc, ait, cõuenire speciei, quatenus prædicabilis est.

In tertia parte capitis docet, posteriorem diffinitionem tantum conuenire speciei infimæ: nam sola hæc potest dici prædicabilis: priorem verò, tam speciei infimæ, quam interiectæ: nam sicut species infima, vt homo subijcitur generi, nempè, animal, & de homine animal prædicatur in quid: ità similiter species intermedia, vt Animal, subijcitur corpori, vel viuenti; & de Animali corpus prædicatur in quid. Pro quo admonet, quatuor reperiri in prædicamentis, scilicet, genus generalissimũ, genus intermediũ, speciem specialissimam, & indiuidua. Genus generalissimum diffinitur, quod supra se nõ habet aliud genus. Genus intermedium, quod ità est genus, vt etiam

etiā posſit eſſe ſpecies, quia ſupra ſe habet aliud genus,& infra ſe ſpecies. Species ſpecialiſsima, quę ſub ſe non habet alias ſpecies. Indiuidua, quæ in alia inferiora diuidi non poſſunt. Adducit exemplum in prædicamento Subſtantiæ. Genus generaliſsimum, inquit, eſt Subſtantia. Intermedia genera ſunt, Corpus, Viuens, Animal,&c. Species infimæ verò Homo, Leo, Canis, &c. Indiuidua tandem, vt Sortes, Plato, hic Leo, ille Canis,&c.

Comparat poſtea hæc quatuor inter ſe, dicens, quod genera ſuprema tantū ſunt decem; genera intermedia plura; ſpecies infimæ plurimæ: indiuidua autem penè infinita; non quod actu infinita ſint: ſed quia certo numero claudi nequeunt, & ſic dicūtur infinita, quia innumerabilia. Hic Porphy. turpiter errauit, aſsignans inter animal,& hominē, aliud genus, nimirum, animal rationale, quod, ſecundum ipſum, prædicatur de Dijs,& hominibus, iuxta Stoicorum errorem, atq; ità, nō rationale, ſed mortale, docuit eſſe hominis differentiā: immortale verò, Deorum, ſiuè Angelorum, vt aliqui ex ipſius expoſitoribus exponunt, quod non ſolū optimæ Philoſophiæ aduerſatur: ſed etiam fidei orthodoxæ.

Tandem in vltima parte capitis adducit duplicē diffinitionem de indiuiduo, quarum prima eſt: indiuiduum illud eſt, quod de vno ſolo prædicatur, vt hoc album: altera eſt: indiuiduū eſt id, cuius proprietatū collectio nequit in quouis alio reperiri: omnia

namq; accidẽtia, quæ in vno indiuiduo sunt, impossibile est, quod simul sumpta, reperiantur in alio.

Quatruplex potest esse indiuiduorũ genus: nam aliud dicitur indiuiduũ certum, siue nominatum, quod, scilicet, ꝓprio nomine nominatur, vt Petrus, secundum dicitur demonstratiuum, siuè signatum, & illud est, quod significatur his ꝓnominibus, hic, iste, ille: tertium dicitur indiuiduum circumlocutum, quod solet reduci ad certum, sęù nominatum, vt hic veniēs Sophronisci filius: si solus sit ei Socrates filius: quartum tandem dicitur indiuiduum vagum, & illud est, quod significatur signis indetermi natis, & vagis, vt quidam, & aliquis. Comparat demum genera, species, & indiuidua inter se, dicens; indiuidua partes esse specierum: species verò generum: & ità species in generibus contineri: indiuidua autem in speciebus: vbi certum est, Porphyrium nõ loqui de toto actuali, sęù integro, & de partibus actualibus, sęù integrantibus: sed de toto potentiali, & de partibus potentialibus. Hæc præcipuè habet author in textu: sed vt ea, quæ de ordine generum, & specierum in tertia parte dixerit innotescant ponitur sequens

Figura.

ORDO

# ORDO PRAEDICABILIVM, ET SVBIICIBILIVM.

| | |
|---|---|
| Substantia, genus generalissimum, diuiditur in | Corporeum, & incorporeum. |
| Substantia corporea constituit | Corpus. |
| Substantia Incorporea constituit | Substantiam spiritualem. |
| Substantia spiritualis diuiditur in | Tot Angelorum species. |
| Corpus diuiditur in | Obnoxiũ corrupt. & liber. à corrupt. |
| Prius constituit | Corpus corruptibile. |
| Posterius constituit | Corpus incorruptibile. |
| Corpus Incorruptibile, vt | Coelum. |
| Corruptibile diuiditur in | Compositum, & simplex. |
| Simplex, vt | Elementum. |
| Compositum verò diuiditur in | Viuens, & non viuens. |

| | |
|---|---|
| Corpus Viuens conſtituit | Viuum. |
| Corpus non viuens conſtituit | Non viuum. |
| Corpus non viuum, vt | Lapides, & mineralia. |
| Corpus viuum diuiditur in | Senſibile, & in inſenſibile. |
| Senſibile conſtituit | Animal. |
| Corpus viuens inſenſibile conſtituit | Plantam. |
| Senſibile diuiditur in | Rationale, & irrationale. |
| Irrationale diuiditur in | Tot Brutorum ſpecies. |
| Rationale conſtituit | Hominem. |

Homo dicitur ſpecies ſpecialiſsima, ſicut etiam ſpecies Leonis, Canis, &c. ſub quibus non dantur aliæ inferiores ſpecies: ſed tantum indiuidua, vt hic Leo, hic Canis; Franciſcus, Leonardus, Auguſtinus, Ieſus, Maria, &c. quorum nõ habetur ſcientia: ſic etiam ſupra Subſtantiã non datur aliud ſuperius genus: vnde Subſtantia eſt Genus generaliſsimum: reliqua verò conſtituta per differentias, à Subſtantia, genere generaliſsimo, vſq; ad ſpecies ſpecialiſſimas, dicuntur genera intermedia, ſiuè ſubalterna,

ſeù

seù species intermediæ, & subalternæ: quia, si comparentur in ordine ad superiora, dicuntur species: si verò comparentur in ordine ad inferiora, dicuntur genera: & nota, quod genera intermedia, quando dicuntur species, sunt tantum species subijcibiles, quatenus solum subijciuntur superiori generi: non autem prædicabiles: nam quando prædioantur de inferioribus postea, non prædicantur, quatenus species sunt, sed quatenus genera.

Item aduertite, quod licet alij, ad plus, quatuor enumerent constituta à substantia ad speciem specialissimam: nimirum: Corpus, Viuens, Sensibile, & Rationale. Cæterũ, nescio qua ratione ommittunt reliqua genera: siquidem quando diuiditur genus, debet diuidi per suas immediatas differentias, & sic illa differentia debet immediatè constituere suam speciem: quare quando Doctores diuidunt corpus in viuens, & non viuens: arbitror, non diuidi tunc corpus per suas immediatas differẽtias: nam ly simplex, & compositum, differentiæ sunt immediatiores: vt patet in arbore, &c. & ly corruptibile, & incorruptibile adhuc immediatiores, &c.

Non nulla alia scitu dignissima circa arborem, hanc forsitan dicam (Deo dante) in prædicamentis, quæ non sufficienter à Magistris, ac Lectoribus; immò nec à scriptoribus tyrunculis aperiuntur: & licet ex se sint clara, ac certa, non minus quam facilia: tamen nimia hæc certitudo in causa est, quod, & à scrip-

à scriptoribus, atque lectoribus subticeantur, & ex consequenti, à discipulis ignorentur.

Circa hoc caput, obserua, rectè processisse authorem, agendo secundo loco de specie, licet in prohœmio huius tractatus, enumerans ea, de quibus erat acturus, prius enumerauerit differentiā, quam speciem: & cap. vltimo de cōmunitatibus prius tractet de differentia, quā de specie; quia in dictis locis obseruauit ordinem naturæ, secundū quem, pars prior est toto: cumq; differentia pars sit speciei, siquidem ex ipsa, tanquam ex parte formali, & ex genere, tanquam ex parte materiali, species cōponitur: in tractatione autē obseruat ordinē doctrinæ: genus namque, & species sunt relata, cumq; cognitio vnius relatiui ex sui correlati cognitione pendeat: nā sicuti res se habet ad esse, ità ad cognosci, & totum esse vnius relatiui est esse ad alterū correlatū: vnde nequit vnum, non cognito altero, cognosci: hinc fit, quod, vt tradat perfectam generis notitiam, de ipsa specie, ad quam, tanquam ad eius correlatum refertur, statim sermonem instituit.

Neq; valet contra obijcere, quod tātum species subijcibilis correlatiua est generis: hic autem agit author de specie prædicabili, quæ nullo modo, vt sic ad genus refertur: sed ad indiuidua: nam licet id verum sit, quod tantum species, inquantum subijcibilis, correlatiua sit generis: nihilominus tamen noluit Porph. in plura secare capita tractatum de spe-

cie:

cie:sed simul,& semel,ne ipsius imperfecta maneret cognitio, esserq; aliunde petenda, in præsenti capite de vtraque differit specie, & etiam de indiuiduis, quæ speciei prædicabilis terminant adæquatè relationem: quod autē primo agat de specie, quatenus correlatiua generis est, patet: nam postquā primam acceptionem speciei pro pulchritudine assignasset: statim subdit. (Dicitur autem species, & ea quæ est sub assignato genere, &c.) in qua acceptione species tantum genus ipsum, tanquā sibi superius respicit: immò adducens duplicem de specie diffinitionem, diffinit primo subijcibilem, dicens; species est, quæ ponitur sub genere, & de qua genus in eo, quod quid est prædicatur: deinde prædicabilem, subdens: Amplius autem sic quoq;, species est, quæ de pluribus, & differentibus numero in eo, quod quid est prædicatur, &c.

Circa quas diffinitiones obserua, posteriorē eisdem censuris censurandam esse, quibus in disp. præced. iudicauimus censurandam; tùm etiam alijs, ex eisdē fundamentis, & doctrina deducendis: vbi non est nobis immorādum, an sit essentialis, & rectè tradita, sicut cæteri Doctores disputant: assignauimus enim nos dicto loco, tùm essentialem, tùm etiā accidentalem omnium prædicabiliū diffinitionē: priorem tamen, quæ est de specie subijcibili, neq; admittendam esse fateor, cū vitijs, & ipsa non careat: nam certū est, quod si genus prædicatur in eo, quod quid

de

de specie, non potest species supra ipsum genus poni, sed sub ipso: vnde superfluè ponitur ly, quæ collocatur sub genere: vbi subdit, de qua genus in eo, quod quid est prædicatur: tùm etiam, quia, & de indiuiduo genus in eo, quod quid prædicatur: ergo non solum illa diffinitio speciei subijcibili competit: quare aliter diffinienda est sic. Species subijcibilis est, quæ immediatè sub genere cõtinetur: in qua, per ly, immediatè, excluditur à ratione speciei subijcibilis indiuiduum, quod immediatè cõtinetur sub specie: hæc circa litteram dicta sufficiant.

# DISPVTATIO V. DE SPECIE.

## SECTIO PRIMA.

*An species subijcibilis, inquantum subijcibilis, sit formaliter vniuersa?*

PRO tituli explicatione breuiter nota: quod eadem omninò natura secundum diuersos respectus dicitur prædicabilis, & subijcibilis: prædicabilis, quatenus respicit sua inferiora: vt homo in ordine ad indiuidua de quibus prædicatur: subijcibilis verò respectu superiorum, vt idem homo in ordine ad animal, viuẽs, &c. Certũ est apud omnes, quod nos in superioribus sæpè diximus, quod natura quãdo respicit inferiora dicitur vniuersa formaliter: tantũ ergo quęstio est de natura cum ordine ad sua superiora, respectu quorũ dicitur subijcibilis: an etiam cũ hoc ordine habeat rationem vniuersi formalis?

Hoc adnotato; quicquid Toletus dicat hic quæstione vnica circa primũ argumentum, & alij cum eo: Dico primo

mo species subijcibilis, inquã tum subijcibilis, nõ est formaliter vniuersa; probatur efficaciter: quia hi duo respectus sunt omninò oppositi, & incompossibiles, nempè, ad superiora, & ad inferiora: ergo nequeunt simul, & semel in eadẽ natura specifica reperiri: sed species subijcibilis, inquantum subijcibilis essentialiter respecit genus superius: ergo, vt sic, nequit simul respicere inferiora, & ex cõsequẽti nequit esse vniuersa formaliter, inquantum subijcibilis: hæc vltima consequentia est manifesta; siquidem de intrinseca ratione vniuersi formalis est, inferiora respicere: ergo si species subijcibilis, inquantum subijcibilis, non respicit inferiora, neq; queit habere rationẽ vniuersi formalis: primum antecedẽs etiam patet: nam respectus ad inferiora est proprius prædicati; respectus verò ad superiora proprius est subiecti: sed aliquid simul, & semel respectu eiusdẽ nequit esse subiectũ, & prædicatum: ergo illi duo respectus sunt omninò, simul, & semel, incõpossibiles: & ex cõsequẽti, nequeunt reperiri in eadem natura specifica.

Cõfirmatur primo: species subijcibilis, inquantum subijcibilis, non est species prædicabilis: ergo non est vniuersa formaliter: patet consequentia: quia vbi nõ reperitur propria passio, neq; essentia queit reperiri: sed prædicabilitas est propria passio vniuersi formalis, vt diximus, & alias non reperitur in specie subijcibili: ergo neq; ratio essentialis vniuersi formalis reperitur in specie subijcibili, inquantum subijcibilis est: primum antecedens probatur: quia subijcibilitas est relatio inferioris ad superius; prędicabilitas verò est relatio superioris ad inferiora: sed species subijcibilis, inquãtum subijcibilis, tantum respicit superiora: ergo non est prædicabilis.

Cõfirmatur secundo: diuersa diffinitio diuersam indicat diffiniti formalitatẽ: sed Porphy. diuersis diffinitionibus diffinit vtramq; speciẽ: ergo signum est, quod inquantum subijcibilis, non est prædicabilis, & ex consequenti, neq; vniuersa formaliter.

Cōfirmatur tertio: de ratione vniuersi formalis est, esse vnum in multis: sed species subjcibilis, inquantum subijcibilis, non respicit multa, in quibus est, sed potius vnū genus, sub quo est: ergo quatenus subjcibilis non est formaliter vniuersa.

Dico secundo: species subijcibilis, inquātum subjcibilis, non est singularis, & indiuidua: patet hoc: quia est natura communis abstracta à conditionibus indiuiduantibus: hæc enim est, quæ immediatè subditur generi.

Dico tertio: sequitur ergo, quod species subijcibilis, in quantū subijcibilis, sit vniuersa Methaphisicè, siuè negatiuè: hoc dictum nō indiget peculiari pbatione: ex se enim satis manifestum est: diximus namq; disp. de vniuer. vniuersum Methaph. esse naturā abstractam à cōditionibus indiuiduātibus, respicientē tātum sua prædicata superiora: sed sic se habet species subijcibilis, inquantū subijcibilis: ergo est vniuersa Methaphisicè. Hæc sententia est communiter hodie in scholis recepta, quoad omnes tres has conclusiones.

Sed contra dicta sunt aliquot obiectiones: prima genus immediatè refertur ad speciem subijcibilē: sed termi nus relationis generis immediatus nō est quid singulare: ergo vniuersale: patet hoc: nā genus refertur ad secundum prędicabile, quod vniuersum est: ergo species subijcibilis, inquātum subijcibilis est, formaliter vniuersa. Respondeo tamen, not. quod, vt diximus, vna, eademq; natura dic tur subjcibilis, & prædicabilis: verū hæc duplex denominatio nō prouenit ab vna, eademq; secunda intētione: siquidem relatio rationis, per quam natura dicitur subijcibilis, est distincta à relatione rationis, per quam dicitur natura prædicabilis: nam illa est relatio naturæ comparatæ ad sua superiora: hæc verò est relatio naturæ comparatæ ad inferiora: exemplum sit; Franciscus, qui habeat patrem, & filios; idemmet Franciscus, & pater dicitur, & filius: non tamen vnica relatione, sed duplici: nam quatenus concipitur cū ordine

ordine ad patrem suum, præcisè, nõ dicitur pater tunc, sed filius: sicuti quando præcisè comparatur proprijs filijs nõ dicitur filius, sed pater; simul, & semel vnico actu nequit sub vtraq; relatione concipi: & sicuti non esset verum dicere, patrem Francisci referri ad ipsum Franciscum, quatenus pater est filiorũ suorum, cum potius referatur ad ipsũ, quatenus filius eius est: ita neque esset verum dicere, Franciscũ referri ad filios suos, quatenus, & ipse præcisè filius est patris sui: nam etiam si patrem non haberet, adhuc relatione paternitatis referretur ad filios.

Argumento igitur proposito Respon. conc. ma. & mi. & neg. cõsequentiã, si de vniuersali formali sermo fit: ad cuius probat. dico, genus referri non ad secundũ prædicabile, sed ad illam naturam, quæ secũdum prædicabile denominatur: non tamen sub relatione prædicabilis: sed sub relatione subijcibilis: quia supponamus esse omninò impossibilia, etiã de potentia Dei absoluta, plura indiuidua vnius speciei, vt de Angelis sentit D. Thomas: tunc illa species vtiq; non esset prædicabilis, vt etiam nonnulli sentiunt de natura Angelica Michaelis v.g. cum nõ posset prædicari de multis, seù concipi in multis: & tamen adhuc esset subijcibilis, vt de facto natura Michaelis est secũdum omnium Doctorum sententiam: vnde patet, speciem non referri ad genus suum in ratione prædicabilis: sed tantum in ratione subijcibilis, & secundum hãc rationẽ præcisè, non esse vniuersam formaliter: sed tãtum Methaphisicè.

Secundo obijcies: species subijcibilis immediatè continetur sub vniuerso: sed quicquid immediatè continetur sub vniuerso est vniuersum: ergo species subijcibilis, vt sic est formaliter vniuersa: prob. ma. quia relata debent collocari sub eodẽ genere: sed species, inquãtum subijcibilis, est correlatiua generis: ergo sub eodẽ genere, sub quo ipsum genus collocatur, debet, & ipsa species subijcibilis collocari: sed genus continetur immediatè sub vniuerso for-

mali: ergo, & species subijcibilis.

Respon. neg. ma. ad cuius prob. dico, relata debere collocari sub eodẽ prædicamento, verum est: non autem est necesse, quod collocẽtur sub eodem genere ꝓximo: & sic genus, & species subijcibilis collocãtur sub eodem prædicamento relationis rationis: non autem sub eodẽ vniuerso formali.

Tertio obijcies: species prædicabilis dicitur formaliter vniuersa, quatenus subijcitur generi suo, scilicet vniuerso formali: sed quatenus subijcitur, est subijcibilis: ergo quatenus subijcibilis, est vniuersa formaliter: prob. ma. nã sicut ideò homo dicitur animal, quia subijcitur animali, tanquam generi suo: ità similiter species prædicabilis, ideò dicitur vniuersa formaliter: quia subijcitur vniuerso formali, tanquam generi suo.

Respon. neg. ma. ad cuius prob. neg. antecedẽs: nam homo non dicitur animal, sub hac ratione præcisè, quia subijcitur animali, tanquam generi suo: sed quia participat rationem ipsius: nam relatio hæc subijcibilitatis accidit ꝑ intellectũ homini, sicuti cuilibet alteri speciei (vt diximus disput. de vniuersalibus) non autem accidit illi, participare naturã animalis; ità similiter species prædicabilis dicitur vniuersa formaliter: nõ tamẽ sub hac ratione præcisè, quia subijcitur vniuerso formali, tanquã proprio generi; cum hæc subijcibilitas accidat illi: sed quia essentialiter participat rationem ipsius vniuersi formalis, quæ est, esse vnũ in multis, quæ participatio com petit illi essentialiter: hæc autem participatio nõ est ratione subijcibilitatis, sed ratione naturæ: ideſt ideò species prędicabilis vniuersalis est formaliter: quia secũdum suam naturam intẽtionalem habet esse vnã in multis: vnde sicut vniuerso formali accidit, ꝙ sit genus, ità prædicabilibus accidit, quod subijciãtur ipsi: non enim, ideò prædicabilia sunt vniuersalia: quia vniuersale prædicatur de ipsis, ipsaque illi subijciuntur in prædicatione: sed potius, ideò vniuersale prædicatur de his

quinq;

quinque prædicabilius: quia hæc, vniuersalia sunt, vt optimè P. Didacus à Iesu disp. 7. q. 2. ad primum Toleti.

Quarto obijcies species subijcibilis prædicatur de hac, & illa specie subijcibili: sed quicquid de pluribus prædicatur vniuersum est: ergo species etiam inquantum subijcibilis est vniuersa formaliter.

Respon. quod species subijcibilis potest dupliciter concipi, vt quo, & vt quod: id est, quatenus formaliter subijcibilis est, & sic pro ratione formali, quare aliqua natura alteri subijciatur, qua ratione præcise nequit prædicari, cum potius sit ratio subijciendi: vel quatenus consideratur, vt quod, id est, ad modum naturæ denominatę ab alia secunda intentione prædicabilis; & sic bene potest, denominatiuè tamen, & accidentaliter, prædicari de hac, & illa specie subijcibili tunc tamen non dicitur subijcibilis formaliter, sed potius prædicabilis secūdū rem, & solo nomine subijcibilis.

Sed petes: relationes generis in ordine ad species: & speciei in ordine ad indiuidua, sunt nè secundū esse: an verò secundum dici? Respondeo, esse verè relationes secundū esse; patet breuiter: quia relata secundū esse illa sunt, quorū tota vis, & essentia posita est in habitudine vnius ad alterum, sed sic se habet ex vna parte, genus, & species subijcibilis: & ex altera, species prædicabilis, & indiuidua: ergo, &c. prob. mi. relationes generis, & speciei subijcibilis: & speciei prædicabilis, & indiuiduorum sunt relationes subiecti, & prædicati: sed tota vis, & essentia subiecti posita est in habitudine ad prædicatum: & tota vis, & essentia prædicati, inquantum prædicatum est, posita est in habitudine ad subiectum: ergo, &c.

Sed obijcies primo: verum relatū nnō prędicatur in recto de altero: non enim dicimus Pater est filius, vel filius est pater: sed pater est filij pater, & filius patris filius: sed genus prædicatur in recto de specie subijcibili; & prædicabilis species de indiuiduis: dicim⁹ enim, homo est animal: Franciscus est homo: non autem, homo alicuius animalis

homo: & Franciscus alicuius hominis Franciscus: ergo nō sunt verè relata. Cōfirmatur vnum relatum non est prius altero, cum relata sint simul natura: sed gen⁹ est prius specie, & species prior indiuiduis: non enim valet, est animal? ergo homo: est homo? ergo Franciscus: ergo nō sunt verè relata.

Respondetur ad argumentum simul, & ad Conf. quod genus, species, & indiuidua possunt dupliciter vsurpari: materialiter, idest, pro naturis denominatis, & formaliter, i. pro secundis intentionibus denominātibus: si primo modo sumantur non sunt relata; nam sic prædicatur natura, quæ denominatur genus in recto de ea, quæ denominatur species, & sic species de indiuiduis, vt homo est animal: Petrus est homo: tùm etiā hac ratione genus prius specie est, & species indiuiduis, vt probat argumentum: verum si sumantur secundo modo, tunc sunt relata, secundum quam acceptionē, nec genus prędicatur in recto de specie; nec species de indiuiduis, sed in obliquo: nō enim dicimus, species est genus; indiuiduum est species: sed species alicuius generis species est; & genus alicuius speciei: item indiuiduū alicuius speciei indiuiduū est, & species alicuius indiuidui, &c. Tum etiam hac ratione, nec genus prius specie est; nec species prior indiuiduis: sed simul natura, & cognitione; nā statim atq; speciem subijcibilē assignamus, assignare etiam eius genus debemus, & è contra.

Obijcies secūdo: vnum relatum nō est pars alterius: sed species subijcibilis est pars generis, & indiuiduum pars speciei (vt habet Porph. in capi) ergo non sunt relata. Respon. concedēdo maiorem de parte cōponēte actualiter: negatur tamē de parte subiectiua, dé qua Porph. loquitur.

Obijcies tertio: relatio vera debet versari tantum inter duos terminos, & extrema: relatio generis ad species, & speciei ad indiuidua non est huiusmodi; nam licet ex parte generis sit vnicum tantum extremū, sicuti etiā ex parte speciei prædicabilis: ex parte

tamen

tamen alterius extremi sunt plurea termini: siquidem sunt plures species, & plura indiuidua: ergo non sunt verè relata.

Respondeo, quod hoc argumentum petit explicationem illius difficultatis, quæ tractari solet cap. de relat. de patre, qui plures filios habet: vtrum vnica relatione referatur ad illos, vel pluribus: quā nos etiam ibi examinabimus. Pro nunc tamen, in sententia eorum, qui volunt, patrē vnica relatione referri ad plures filios: potest responderi ad hoc argumentum, dist. ma. relatio debet versari inter duo extrema, totalia, conc. & sic vnum relatum vnicum dumtaxat sortitur terminum totalem, licet habeat plures partiales: vnde genus refertur ad omnia sua inferiora, tāquam ad vnum terminum totalem, & ad plures particulares: sicut etiam species in ordine ad indiuidua.

In sententia tamen eorum, qui volunt patrē pluribus relationibus referri ad plures filios; fatentur enim tot esse in patre paternitates, totq; relationes, quot habet filios, neq; inconueniens esse docēt, plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto reperiri, siquidem (aiunt) accidēs non sumit suam indiuiduationem à subiecto, cui inhæret: sed potius à se ipso p propriā entitatem, per quam habet, quod sit hoc accidens in indiuiduo: idq; sic probant, quia p id res est hæc, & indiuidua, per quod constituitur actu in rebus, cum per illud sit singularis: sed per propriam entitatem est actu in rerum natura: ergo per eandem entitatem, quælibet res est vna numero, & indiuidua: ergo, & accidens per suammet entitatē, habet quod sit indiuiduum, & non à subiecto.

Cæterum licet verū sit, non esse inconueniens plura accidentia solo numero diuersā in eodē subiecto reperiri, vt nos etiā diximus disp. prima proœm. nihilominus tamen, id non prouenit ex eo, quod accidens sumat suam indiuiduationē à suamet entitate: sed ex eo, quod diuersimodē habeat afficere subiectū: cum iudicem, totum esse acciden-

tis

dicatur: ergo essentialiter refertur ad illa: ergo hic respectus est illi essentialis. ma. cum vtraq; consequẽtia patet: mi. prob. quia quãdo species prędicatur de indiuiduis, vel habet veram rationẽ prædicati, & indiuidua veram rationẽ subiecti, vel non: hoc secũdũ dici non potest, quia prædicatio speciei de indiuiduis, est essentialis: ergo veram rationem ipsa habet prædicati; & indiuidua veram rationẽ subiecti: ergo species verè refertur ad indiuidua, & è contra: ergo est relatiua respectu ipsorum: ergo dicit essentialem ordinem ad ipsa; nam prædicatio est relatio: ergo prædicatio essentialis est relatio essentialis: ergo relata prædicationis essentialis, sunt relata essentialia.

. Cõfirmatur hoc idẽ: omne genus essentialiter conuenit suis speciebus: sed vniuersale est genus ad speciem: ergo essentialiter conuenit illi: ergo ratio vniuersi essentialiter cõpetit speciei: sed ratio vniuersi formalis, est respectus ad inferiora: ergo hic idem respectus est etiã essentialis speciei.

Item prob. cuicunq; competit alicuius essentia, eidem cõpetere debet eius propria passio: sed per Caiet. respectus subijcibilitatis est de essentia speciei; respectus autem prædicabilitatis est propria ipsius passio: ergo cuicunque prior competit, posterior competere debet: sed speciei intermediæ competit respectus subijcibilitatis: ergo debet etiam illi competere, tanquã propria passio, prædicari, vt species, de plurib⁹ indiuiduis; hoc autẽ est cõtra ipsummet Porphyrium, & contra rationem: ergo, &c. quod sit contra Porph. patet: nã assignans ipse diffinitionẽ speciei prædicabilis, nempè, quod prædicetur de pluribus numero differentibus: subdit, hanc diffinitionẽ solum conuenire speciei specialissimæ, non subalternæ, quod autem sit contra rationẽ, etiam patet; nam species intermedia, intantũ dicitur species, inquantum concipitur cum ordine ad superiora: cum verò concipitur cum ordine ad inferiora, non iam species dicitur, sed genus, cũ habeat dicere tãtum partem

materialem essentiæ ipsorũ. Sed nota, quod quãdo dicimus, vtrumq; respectũ essentialiter cõuenire speciei, non sumimus speciem, vt sic, quatenus est quid cõmune subijcibili, & prædicabili, cum sensiam, potius æquiuocè, speciẽ prædicari de illis: cõueniunt, nãq; in solo nomine speciei: nõ autẽ in ratione præcipua, significata per tale nomen: nam q absolutè dicit, speciẽ, proculdubio de specie prædicabili præcisè loquitur, cum hæc præcipuè intendatur in tractatu prædicabilium, vbi de specie agitur, & licet conueniant in ratione relationis rationis: id non obstat, nam hoc non est conuenire in ratione speciei: namq; etiã canis terrestris, marinus, & cælestis conueniunt in ratione substantiæ corporeæ: non tamen sunt vniuocata, sed æquiuocata, cum æquiuocè conueniant in hoc nomine, Canis: vnde sicut qui dicit, canẽ, absolutè, de cane latrabili loquitur, ità qui absolutè speciem dicit, de specie prædicabili loquitur; & sicuti non bene diceremus, Cani essentialiter cõuenire rationes essentiales, tam canis terrestris, quam marini, &c. ità falsum est asserere, speciei, vt sic, essentialiter competere subijcibilitatem, & prædicabilitatẽ: dicimus ergo, quod speciei, diuersimodè cõsideratæ, vterque ille respectus conuenit: nam si consideretur præcisè, quatenus subijcibilis est, reduplicatiuè, includit essentialiter respectum ad superius genus: si verò consideretur præcisè, quatenus prædicabilis est, essentialiter dicit ordinẽ ad inferiora indiuidua.

## SECTIO SECVNDA.

### *An Genus in vnica specie, & species in vnico indiuiduo possit conseruari?*

PRO tituli intelligẽtia, not. quod hic non est sermo de genere, & de specie sumptis Metaphisicè; idest pro naturis abstractis ab inferioribus cum ordine solũ ad

ad earum prædicata superiora: quia, vt sic nulli dubiũ est, & genus in vnica specie posse conseruari, & speciẽ in vnico indiuiduo: siquidem in qualibet specie verè reperiuntur omnia prædicata superiora sui proximi generis: & in quocunque indiuiduo prędicata superiora suæ speciei: nam in die Iudicij, destructis reliquis animantiũ speciebus, sola humana specie remanente, ipsa vtiq; erit substãtia corporea, animata, sensiens: & cæteris huius naturę indiuiduis, solo Christo domino remanente, destructis, ipse vtiq; erit animal rationale: versatur igitur tantummodo quæstio de genere, & specie formaliter, & Logicè sumptis, idest cum ordine ad inferiora, de quibus prædicantur.

Item not. cum Patre Did. disp. 7. q. 4. differentiam indiuidualem nõ addere nouum gradum essentialẽ diuersum à gradu essentiali speciei contractæ per ipsam ad tale esse indiuiduale: sed tãtum addere, quasi quendã modũ essentiæ, vt suo loco latius dicam, & in Parua nostra Logica id idẽ tetigimus lib. 1. hinc est, naturã principaliter intẽdere speciẽ, vt optimè explicauit D. Th. p p. q. 85. art. 3. ad 4. indiuidua verò tãtum propter cõseruationem speciei. Item perfectio vniuersi postulat, ꝙ in ea dentur omnes gradus substantiæ, v.g. Corporis, viuentis, rationalis, & irrationalis, &c. non verò postulat, nisi accidentaliter, multiplicationem plurium indiuiduorum eiusdem speciei: per se enim loquendo, quodlibet indiuiduum capax est omniũ operationum, quas species exerceri postulat, exercereq; potest. Igitur multiplicatio indiuiduorum nõ intenditur per se à natura, cum non addant nouũ essentiæ gradum: bene verũ multiplicatio specierũ; cum enim quælibet species nouum gradum perfectionis essentialis inducat, maximè perficit genus, maximumque decorẽ, & ornamẽtum affert naturæ.

His adnotatis, quicquid alii qui recentiores dicant, dicendum nobis est primo; speciẽ, quatenus vniuersa formaliter, est, & Logicè, non posse con-

seruari in vnico indiuiduo probatur euidenter: de ratione vniuersi formalis est actu plura inferiora respicere: non in potentia (vt diximus disp. de vniuer. vbi docuimus, vniuersum formale non fieri per abstractionem: sed per actualem comparationē:) ergo species, quatenus vniuersa formaliter est, plura indiuidua actu respicere debet: & ex consequenti nequit in vno saluari.

Dico secundo genus, quatenus vniuersum Logicū est, vtiq; saluari poterit in vnica specie, dummodo illa species plura habeat sub se indiuidua, vt in die Iudicij optimè cōseruabitur genus animalis in specie hominum. Hæc est contra omnes Doctores, qui apertè fatentur, nullo modo posse genus Logicū in vnica specie saluari: cæterum mihi videtur certissima: pro cuius probatione nota, quod non loquor modo, quod intellectus posset, vt possibiles plures alias species concipere, & sic tunc genus prędicaretur non solum de illa vna specie, quæ actu est: sed etiā de alijs possibilibus, saltem per intellectū; sed loquor præcisè de ipso genere. relato solū ad ipsam vnicam speciem. Item certū arbitror, neque genus posse veram rationē generis Logici habere, præcisè quatenus respicit illam vnicā speciem, cū relatio vniuersalis formalis debeat esse in ordine ad plura: dicimus ergo, quod genus veram rationē habet generis Logici relatum ad indiuidua illius vnius speciei, de quibus etiā, prædicatione generis, prædicatur: prob. hoc breuiter, & facile: de ratione generis Logici est, quod sit vnum in multis, tanquā pars materialis ipsorū, & nil aliud requiritur ad rationem essentialē ipsius, vt alibi diximus: sed relatum ad illa indiuidua vnius speciei, iam habet esse vnum: nam ab illis omnibus indiuiduis, quid vetat posse abstrahi vnam rationem animalis? item habet esse in multis: nam hoc supponimus, q illa species plura habeat sub se indiuidua; immò hoc habet cum sui multiplicatione: non enim eadē est à parte rei (vt vidimus disp. de vniuer.)

anima-

animalitas Petri cum animalitate Francisci: sicuti non est eadé vtriusq; humanitas, cũ non sit eadem vtriusq; differétia indiuidualis, per quam omnia superiora prædicata contrahuntur, & cũ qua identificantur: & tandem, quod etiã genus habeat dicere tantum partem materialem ipsorum, patet: quia ratio animalis, vbicunq; reperiatur, præcisè secundum se tãtum dicit partem materialé compositi Methaphisici: vt supra etiam probauimus: ergo nil deest illi ad hoc, vt veram rationẽ habeat generis Logici, collatum ad illa indiuidua vnius speciei: ergo optimè poterit conseruari in vnica specie, dummodò plura habeat indiuidua sub se.

Bene verũ est, quod genus in vnica illa specie, non habebit omnẽ perfectionẽ, quam habere posset in pluribus speciebus: siquidem (vt diximus in 2. not.) species addunt maximam perfectionem generi: & sic non erit integrè perfectum: nihilominus tamẽ, cum perfectio rei non sit de essentia ipsius: nã si hoc esset, paruuli, & amentes nõ essent homines, cum careant perfectione rationis: fit, quod genus non defineret esse genus ex eo, quod in vnica specie non haberet omnẽ perfectionẽ.

Solent hic disputare aliqui Iuniores: vtrum species infima possit esse genus? nã Rodul. Agric. lib. 1. de Inuent. cap. 6. Martialis Cappella, & alij fatẽtur; Hominẽ esse genus respectu maris, & feminæ: probãtq; primo ex Arist. in lib. de Longit. & breuit. vitæ, vbi ait: genus hominum, diutius viuere, quam genus equorum: & ratione probãt: quia sub homine continẽtur mas, & femina: sed mas, & femina distinguntur specie, & probatur, quia, quæ habent proprietates quarto modo diuersas distinguntur specie: sed mas, & femina habẽt proprietates quarto modo diuersas: nam proprietas maris est, posse in alio generare, & proprietas feminæ est, posse generare in se: ergo, &c.

Nihilominus tamen dicendum est, speciẽ infimã nullo modo posse esse genus: ideò enim dicitur species infima,

quia diuidi in alias species inferiores non potest, vel quæ ita species est, vt nõ possit esse genus: & sic in recta serie prædicatorum, infimum obtinet locum: id idem expresse docet Aristo. multis in locis, & præsertim 3. Met. cap. 3. ijsdẽ Porphyrij verbis.

Quarè Respondeo ad locũ Philosophi, ibi loqui de genere naturali, non autem de genere Logico, idest sumit genus pro natura, & idem est, ac si diceret: naturam hominis diutius viuere, &c.

Ad rationem verò Respondeo, quod proprietates quarto modo debent fluere, & dimanare ab essentia, debentq; conuenire omni, soli, & semper: posse autem in alio generare, vel in se, nec dimanat ab alicuius essentia, nec conuenit omnibus indiuiduis alicuius speciei: non enim omnes masculi sunt potentes in alio generare, nec omnes feminæ in se, nec id solis animantibus competit: sol namque etiam potest in alio generare, cum sol, & homo hominẽ gignãt: immò tot metalla in terræ visceribus sol producit, tot lapides prętiosos in sinu maris, & terra cum sit omnium mater, in se tot generat plantas, atq; metalla, vt omnibus manifestum est: tandem, nec semper hoc, quod est posse in alio, vel in se generare, hominib⁹ conuenit, cum pueri, atq; decrepiti generationẽ nequeãt attingere, & hæc de hac disputatione.

# DISPVTATIO SEXTA
## DE INDIVIDVIS.

PRO tituli intelligentia not. quod licet aliquibus videatur indiuiduum absolutè nõ posse diffiniri: tùm quia, cum diffinitio sit instrumẽtum sciendi, solũ deseruire potest obiecto scibili: cumque de indiuiduis non habeatur scientia (vt docet Porph. in hoc cap. vbi ex sententia Platonis docet, non esse descendendum à speciebus, siquidem de indiuiduis non est scientia:) sequi videtur

tur euidentur, non posse indiuidua diffiniri. Tùm etiam, quia cum indiuidua corruptibilia sint, de corruptibilibus scientia non datur.

Nihilominus tamen dicendum, indiuiduum dupliciter sumi posse, & primo intentionaliter,& secundo intētionaliter, indiuiduū primo intentionaliter nil aliud est, quam natura quædam singularis,& incommunicabilis, quæ indiuidua dicitur, idest nō diuisa in plura: immò quatenus singularis, omninò vniuersalitatis incapax: indiuiduo secūdò intentionaliter est secunda intentio denominans realē naturam indiuiduam, cōnotando tamē ipsam, sicut dictum est de genere,& reliquis prædicabilibus.

Sed indiuiduum, primo intētionaliter sumptum, potest etiam dupliciter considerari, vel in cōmuni, quatenus scilicet dicit naturā aliquam contractam ad esse singulare per differentiam aliquam indiuidualem, abstrahēdo ab hoc, vel illo indiuiduo, vel in particulari, dicens hāc naturam (nempè humanam) cōtractā per hanc differentiam indiuidualem (nempè francischeitatem) ad tale esse particulare (nempè Francisci.)

Cæterum aduertite, quod indiuiduum primo intentionaliter, in cōmuni sumptum, nō est quid vniuocū ad hoc, & illud indiuiduum in particulari, sed potius ad summū, quid analogum, cū per prius dicatur de indiuiduis substantiæ: secundario autem, de indiuiduis accidentium.

Pro quo etiam not. quod in quolibet indiuiduo duo reperiuntur, primum, natura specifica; Humanitas v.g. in Francisco: secundo inuenitur hæc humanitas, quæ supra naturam specificā addit differentiam quandam numericā realem, per quam natura redditur incommunicabilis alteri, & in se vna, & indiuisa: & hæc duo in omnibus indiuiduis, tam substantiæ, quā accidētis reperiuntur. Ast præter hæc in indiuiduis substantiæ particulatiter, & precisè reperitur quidam modus substantialis, qui dicitur subsistentia, per quem redditur alteri supposito natura incommunicabilis,

bilis, & omninò per se, non solum perseitate substantiæ, quæ opponitur inhærentiæ accidẽtis: sed perseitate, quæ opponitur etiã rationi essendi in alio, tanquam in supposito: licet enim per differẽtia numericã; natura sit inferiori bus incõmunicabilis, adhuc tamen communicari potest supposito, si nõ habeat illum modum subsistentiæ (vt dicã cap. de substantia disput. 12. sect. 3.) Humanitas.n. Christi Domini singularis erat, & numerica, & incommunicabilis alijs inferioribus, de facto tamen communicata est supposito Verbi Diuini, cuius persõnalitate subsistit (vt docent cõmuniter Patres Theologi 3. par. in materia de Incarnatione) totum hoc secundum not. mutuauimus ex P. Didaco hic disp. 7. q. vltima.

Quo supposito sic modo probo, indiuiduũ in communi p̃ prius dici de indiuiduis substantiæ: secundariò verò de indiuiduis accidẽtium: de eo per prius dicitur aliquod prædicatũ, cui magis competit ratio formalis ipsius: sed ratio formalis indiuidui magis competit indiuiduo substantiæ, quã accidentis: ergo; &c. mi. prob. ratio formalis indiuidui est, esse incommunicabile, & indiuisum in se: sed magis incommunicabile est, & indiuisun indiuiduum substantiæ, quam indiuiduũ accidentis, cum indiuiduum substãtiæ, ex natura sua sit etiam incommunicabile alteri, tanquam supposito, cum illi debeatur propria subsistentia, p̃ quã hoc modo redditur incõmunicabile, quomodo nõ potest incommunicabile dici indiuiduum accidentis, cum p̃pria suppositalitate careat, neq; sit illi debita: ergo magis cõpetit ratio formalis indiuidui, indiuiduo substãtiæ: & ex consequenti, indiuiduũ vt sic non est vniuocum, sed analogum ad indiuidua substantiæ, & accidentis.

His adnotatis, dicimus verum esse, indiuiduum, primo intẽtionaliter, quocunq; modo sumatur, nõ posse diffiniri diffinitione doctrinali, quæ pertinet ad sciẽtiam, propter rationes adductas lib. 1. nostræ Paruæ Logicæ. punct. 3. præsertim, quia indiuiduum

non

non addit supra speciem aliquid, quod pertineat ad conceptum formalẽ naturæ, contentũ in ipsa specie: ergo non poterit esse diffinitum in diffinitione doctrinali: cõsequentia patet, quia diffinitio est oratio explicãs naturam rei: ergo si indiuiduũ nullum nouum gradũ perfectionis formalis addit ipsi naturæ specificæ, nil poterit de ipso peculiariter explicare diffinitio: antecedẽs verò probatur, q a indiuiduatio tantũ est modificatio, & determinatio quædam naturæ cõpletæ ad esse materiale talis subiecti: sed determinatio se habet ex parte modi, & non essentiæ: ergo nil addit supra speciem, quod pertineat ad conceptum formalem naturæ, quæ integer, & completus cõtineatur in specie: quarè diximus loco citato, solã specificam naturam posse diffinitione doctrinali diffiniri.

Cæterum nemo negabit, indiuiduũ primo intentionaliter sumptum in communi saltem accidentaliter diffiniri posse: nam modus ille cõtractionis, licet sit modus substantialis, & sic ad prædicamentũ substãtiæ reductiuè pertinet: est tamen accidens prædicabile; accidit enim naturæ specificæ esse cõtractam ad esse singulare per differentiã indiuidualem. Quarè sic poterit hoc indiuiduum primo intentionaliter in cõmuni diffiniri. Natura superior modificata per differentiam indiuiduale ad esse singulare. Illud tamen etiam verum existimo indiuiduum primo intentionaliter in particulari nõ posse aliqua diffinitione diffiniri; nõ quia repugnet illi absolutè diffinitio: sed quia eorũ differentiæ numericæ, & proprietates minimè cognoscuntur: tum etiam, quia propter eorũ corruptibilitatem, non curant de illis scientiæ, & de his indiuiduis coniungunt argumenta superius adducta.

De indiuiduo verò secundo intẽtionaliter si sermo sit, nulli dubiũ est, posse diffiniri, etiam doctrinali diffinitione: quia, vt, sic ens rationis est, & correlatiuum formaliter vniuersi formalis, præsertim speciei: & licet Porph. non diffiniat illud sub hac ratione præ-

 cise,

ènè, quatenus correlatiuum speciei est (vt expediebat: nã in tantum de indiuiduis est in prædicabilib' sermo, in quan tum terminant relationẽ speciei, &c.) nihilominus tamen ex diffinitione, quã adducit de specie subijcibili, facillimo negotio colligi etiam potest indiuidui diffinitio sub hac consideratione: nimirum, est id, quod immediatè subijcitur speciei in prædicatione: quæ diffinitio, quia per subijcibilitatem, & prædicationẽ passiuã datur, poterit descriptiua dici: verum etiam essentialiter sic poterit meo videri sub hac consideratione indiuiduum diffiniri. Id, quod naturam specificam in se actu continet, tanquã totam ipsius essentiam. Cæterum, quia indiuiduũ in præsenti considератur à Porph. in ordine ad se ipsum præscindendo ab ordine, quem dicit ad speciẽ: ideò videamus quomodo sub hac cõsideratione illud diffiniat.

38 Et ommissa illa largissima indiuidui conditionum explicatione, nimirum, Cuius collectio proprietatũ in alio esse non potest, quam lato vocabulo diffinitionem appellant Doctores, cum diffinionis nomen in rigore non mereatur, siquidem hoc non solum proprium est indiuidui, vt eius collectio proprietatũ non valeat in alio reperiri: sed etiam cujusuis alterius naturæ specificæ: optimè enim diceremus, naturam humanã esse, cuius attributorum collectio nulli alteri naturæ appropriari potest: dicenda ergo potius est explicatio quædam nominis indiuidui: qui enim dicit indiuiduũ, dicit naturam quandã taliter vnam in se, vt ea, quæ in ipsa sunt simul sumpta nequeant in alio reperiri: proprietates autem, quæ naturã aliquam indiuiduã denotant ab extrinseco, sunt ferè septem, quæ his duobus versibus continentur.

*Forma, Figura, Locus, Tempus,*
*cum Nomine, sanguis,*
*Patria, sunt septem, quæ non*
*habet vnus, & alter.*

quæ conditiones sic communiter explicantur: itaut Forma significet complexionem, seu qualitatũ temperamentũ. Figura, corporis molẽ. Locus, vbi nascitur. Tempus scilicet natiuitatis:

uitatis: Nomen quo nominatur. Sanguis, idest progenies, & Cognatio: & tandem Patria, quæ licet videatur contineri in loco, tamen pro loco possumus domum intelligere: pro Patria verò vrbem.

Hac ergo missa diffinitione, ad illam, qua Porph. indiuiduum diffinit sub ratione prædicabilis de vno solo accedamus examinandam. Est ergo diffinitio indiuidui à Porphy. assignata: Indiuiduum est, quod de vno solo prædicatur: quæ diffinitio descriptiua est non essentialis; siquidem datur per prædicari, quod non est attributum essentiale indiuidui, sed tantum accidens ipsius, ad summum propria passio dimanans ab eius essentia, vt etiam dictum est supra in diffinitionibus quinque vniuersalium.

Si tamen petas: quomodo potest essentialiter diffiniri indiuiduum hoc modo sumptum? dicendum posse sic essentialiter diffiniri: indiuiduum est vnum in vno; cum enim indiuiduum sub hac acceptione sit species relationis rationis, essentialiter distincta ab [illegible] vniuerso formali; debent in genere conuenire hæ duæ species; & sic conueniunt in hoc vnum: differunt autem per hoc, quod vniuersum in multis est: indiuiduum verò in vno solo: & ex hoc, quod est in vno tantum esse habet indiuiduum, quod de alijs nequeat prædicari, præterquam de se solo. Vnde possumus formare rationem ad probandum, hanc diffinitionem essentialem esse: id, quod est causa, & radix proprietatum, & passionum rei est ipsius essentia, sed esse vnum in vno est radix, & causa, quare indiuiduum de vno solo, & non de alijs prædicetur, quod est propria passio ipsius: ergo esse vnum in vno est essentia ipsius indiuidui.

Sed petes: quid diffiniatur in diffinitione Porph.? Resp. sicut etiam dixi de diffinitionibus prædicabilium, diffiniri secundam intentionem, connotando tamen naturam singularem: licet exercitium illius diffinitionis [illegible] [illegible] [illegible] Francisco, Carolo, &c. non [illegible]

risibile, hoc latrabile, hoc album, &c.

Item not. quod indiuiduū certum, seù nominatū, nempè Petrus, Carolus, &c. non potest nisi de se ipso, prædicatione omninò identica, prędicari, vt Petrus est Petrus, &c. in qua prædicatione prædicatū tantū distinctione rationis ratiocinatis, idest sine aliquo fundamēto in rè distinguitur à subiecto, vt dictum est disp. de ente rationis; reliqua verò indiuidua, tam specifica, vt hic homo, quam generica, vt hoc animal; quam differentiæ essentialis, vt hoc rationale, quam accidentium, vt hoc risibile, hoc album, licet possint eandem identicam omninò prædicationem habere, vt si dicamus, hic homo est hic homo; hoc animal est hoc animal, &c. nihilominus tamen omnia, hæc indiuidua, habēt inter se quendam ordinem; itaut hic homo videatur aliquo modo se habere, vt quid communius, & superius ad se tantum: & hoc animal adhunc hominē saltem secūdum modum significandi, & sic verè distingui distinctione rationis ratiocinatæ, cum verò fundamento in rè: qui enim dicit Petrus, videtur tantum dicere explicitè Petrum talem inconcreto: & qui dicit, Hic Homo, videtur explicitè dicere hanc humanitatē in hoc subiecto: & qui dicit, hoc animal, videtur explicitè dicere hanc animalitatem in hoc subiecto, quæ omnia videntur formaliter esse diuersa.

Quarè iurè optimo censendū existimo, huiusmodi omnia indiuidua, excepto indiuiduo certò, seù nominato, prædicari prædicatione formali, nō de se ipsis, sed de suis quasi inferioribus, nempè hic homo de Petro: hoc animal de hoc homine, & de Petro: hoc album de hoc animali, hoc homine, & Petro, &c. patet euidēter hoc dictum: non illa dicitur prædicatio formalis, in qua prædicatū se habet quasi forma respectu subiecti, & distinguntur ab illo saltē ratione ratiocinata: sed omnia prædicta indiuidua sunt huiusmodi: ergo, &c. prob. mi. nam in primis hic homo, quando prædicatur de Francisco

Fisco dicit totam ipsius essentiam, & aliud explicitè dicit, qui dicit, hic homo, ac qui dicit, Franciscus (vt vidimus.) Item, hoc animal, cum dicat tantum partem materialem essentiæ Frāgisci, & huius hominis, explicitè habet diuersum modum significādi, & se habet, vt forma respectu ipsorum: sic etiā hoc rationale, hoc risibile, hoc album, &c. ergo formaliter prędicantur.

Bene verum est (notate,) quod hæ prædicationes non sunt omninò scientificæ, & doctrinales: nam (vt bene aduertit P. D. d. disp. 7. q. vlt.) ad rationem prædicationis doctrinalis, & scientificæ, duo requiruntur, primum est, quod extrema adminus distinguantur distinctione rationis ratiocinatæ, idest cum vero fundamento in re: secundum est, quod sit inter terminos cōmunes: quia cum scientiæ sint de vniuersalibus, de singularib⁹ parum, vel nihil curant: vnde sequitur prædicationem omninò identicam nullo modo posse doctrinalem esse, & ad sciētiam pertinere, ob dictum binarum conditionum; extrema namq; tantū distinctione rationis ratiocinantis distinguntur, cum idem in illa de se ipso prædicetur: & quia vtrunq; extremū omninò singulare est. At verò prædicatio formalis reliquorum indiuiduorū, licet sit inter extrema singularia secūdum rem; tamen prædicatum, ex modo significādi, videtur esse quid cōmune: & etiam verè reperitur inter subiectum, & prædicatum illius propositionis distinctio rationis ratiocinatæ: quare comparatione prædicationis omninò identicæ, poterit dici doctrinalis: comparatione autem prædicationis verè, & propriè doctrinalis, & sciētificæ, qualis est ea, quæ datur per terminos communes, & vniuersales, erit idētica prædicatio.

Ex qua doctrina sequitur, prædicationē identicā, quæcunque illa sit, siuè sit oratio identica, siuè sit identica formalis, nō esse ità propriè prædicationem, sicuti sunt quæ doctrinales: licet sit naturalissima, & verissima prædicatio, & quo magis identica, eo verior, & naturalior: cum nulla

possit,

possit, tam vera assignari, quã illa, in qua idem de seipso affirmatur. Cæterum ad rationẽ propriè prædicationis pertinet, quod subiectum in prædicato conueniat, tanquam in ratione superiori, & cõmuni; quod non ità propriè accidit in prædicatione indiuidui, quæcunq; illa sit: quarè diximus supra disp. de genere, ly, prædicabile, analogicè conuenire vniuerso formali, & indiuiduo, cum proprius vniuerso conueniat, quàm indiuiduo.

Ex his colligetis, quid voluerit Arist. tùm in antepredicam. vbi sæpius docet, indiuiduum non dici de subiecto: tùm secũdo priorum cap. 27. vbi ait, singularia, quia singularia non prædicari: tùm tandem cap. de substãtia, vbi docet, indiuiduum substãtiæ de nullo enunciari: voluit enim, indiuiduum non prædicari prædicatione ad scientiã pertinente, quæ verè, & propriè doctrinalis sit.

Sed obijcit Tolet. cõtra id, quod diximus, indiuidua generum, differentiarũ, & accidentiũ formaliter prædicari, sicut hæ prædicationes; Petrus est hoc animal, hoc albũ, &c tantũ sunt idẽtidè veræ: nam, tam hoc album, quã hoc animal in illis prædicationibus dicunt totam subiecti entitatem: reddunt enim hunc sensum; Petrus est habens hanc animalitatem, hãc albedinẽ, &c. ergo nõ prędicantur formaliter. Resp. verũ esse, in cõfuso, & implicitè, hoc animal, & hoc album, &c. dicere totã subiecti entitatem: nõ tamen clarè, & explicitè: nam hoc album, explicitè, & distinctè tãtum dicit hanc albedinem in subiecto existentem: vnde sicut hæc prædicatio, corpus est album (secundum omnes Doctores) est formaliter vera: nam quamuis album implicitè contineat subiectum, tamen explicitè tantum dicit albedinem, quæ concipitur, tanquam forma corporis: ità, similiter, hoc albũ potest prædicari formaliter de Petro: qa explicitè, & distinctè tantum dicit hanc albedinẽ quæ concipitur, tanquam forma huius subiecti.

Sed quid dicẽdũ de indiuiduo vago, quale est, aliquis homo,

homo, quodam animal? Caiet. docet, indiuiduum vagum constituere sextum prædicabile: sed errat profecto: nam quidam homo non significat naturam humanam in vniuersum, sed modificatam per particulam, quidam, ad modum existendi singulariter: ideo, namq; ly, (quidam) dicitur nota particularis: quia particularē reddit naturā, cui iungitur: ad rationem autem vniuersi formalis pertinet dicere naturā cōmunē, & modo cōmuni, vt Animal, Homo, omne animal, &c. quarè indiuiduū vagum nullo modo vniuersū esse potest. Tum etiam, quia si indiuiduum vagum esset quid vniuersū formaliter; quicquid indiuiduo vago conueniret, conueniret etiam multis sub illo contentis: vt quia, esse rugibile leoni conuenit, conuenit etiā huic, & illi leoni: sed, quod competit indiuiduo vago sufficit, quod vni tantum, & nulli alteri conueniat: vt quia alicui homini competit esse Pontificem Maximum, Christique Vicarium, sufficit, quod hic titulus Paulo Quinto, nulliq; alteri conueniat, vt verum sit, aliquem hominem summum esse Pastorem Ecclesiæ: ergo nequaquā indiuiduū vagum habebit rationē vniuersi formalis. Præterquamquod, aliquis homo, non supponitur pro pluribus simul sumptis, vt est de ratione vniuersi formalis, sed pro vno tantū, hoc scilicet, vel illo, sub disiunctione: ad veritatē autem disiunctiuæ propositionis, vnius tantum partis veritas sufficit.

Dicendum ergo, indiuiduū vagum esse communem, purè æquiuocè ad omnia indiuidua certa: patet, quia secundum sui naturam supponitur tantum pro vno, licet vagè, & indeterminatè: cum verò pluribus simul velit quis illud applicare, tantum secundum nomen de illis pluribus tale indiuiduum affirmatur, nā in illis rationes omninò diuersæ relucebūt: quarè vera, & vniuoca prædicatione tantū de vno affirmabitur, sicut reliqua omnia indiuidua, & vt sic optimè collocabitur, cū reliquis sub vltima specie, cui subijcitur in prædicamento: quod si secundum eam ratio-nem,

nem,qua ęquiuocum est considereretur, in nullo prædicamento reperietur.

Sed obijcies molestũ argumentum ad probandum non dari tale indiuiduũ vagum,ꝙ de vno tantum prædicetur: si daretur, sequeretur dari non posse duas enunciationes subcontrarias in materia contingenti simul veras: hoc est absurdũ:ergo, &c.sequela prob. In his propositionibꝰ sub cõtrarijs:quidã homo est albus: quidã homo nõ est albus: vel ly,quidã homo,significat idẽ subiectum determinatum in vtraq; ꝓpositione,vel diuersum:si idẽ:ergo nõ sunt simul veræ,nam idẽ subiectũ determinatum, nequit simul esse album,& non album:si diuersum: ergo nõ sunt subcontrariæ: nam subcontrariæ propositiones cõstare debent eodẽ subiecto, copula,& prædicato,sicut contrariæ,&c.

Respon. neg.seq. ad cuius prob.dico,quod ly,quidã homo,in illis ꝓpositionibꝰ,neq; significat idẽ subiectũ determinatum,neque diuersum in vtraq;: sed significat idẽ subiectum vagè sumptum: nam subiectum in ꝓpositionibus subaduersis sufficit, quod sit natura vniuersa affecta nota particulari, quæ in vtraque enunciatione significat idem subiectũ nõ determinatè,sed vagè sumptũ,idest indiuiduũ vagũ, quod simul potest esse album, & non album.

Sed dices: Enunciationes contrariæ debent cõstare extremis synonimis: ergo similiter subcontrariæ:cum etiam sint cõtrariæ inter se: sed indiuiduum vagum non est synonimum: ergo non potest esse subiectum in enunciationibꝰ subaduersis.Resp.ꝙ quamuis indiuiduũ vagum nõ sit synonimum, cõparatum ad indiuidua certa,de quibus prædicatur ęquiuocè (vt dixi;) est tamen, quid synonimũ in enunciationibus subcõtrarijs: nam sumitur pro eadem natura vniuersa eadẽ nota particulæ affecta in vtraq; propositione: & ità bene potest indiuiduum vagum esse subiectũ in enunciationibus subaduersis. Et hęc de hac dispositione,& toto cap. de specie.

# CAPVT TERTIVM
## DE DIFFERENTIA.



IN duas secatur præsens caput partes, in quarum prima adducit Porphy. quinq; diuisiones Differẽtiæ, in secunda totidem diffinitiones. Prima diuisio est in communem, propriam, & proprijssimam; communis, vt sedere, album, nigrum, &c. & quodlibet aliud accidẽs commune, & separabile. Propria differentia est accidens inseparabile, vt cęcitas oculorum, cicatrix, &c. proprijssima tandem est differentia essentialis, & specifica, vt rationalitas.

Secunda diuisio est: quod licet communis differentia diuersum faciat; tamen quædã facit dissimile, idest diuersum secundum accidẽs, vt communis, & propria & quædam facit aliud, idest diuersum secundum essentiam, vt proprijssima: obseruat autẽ Porphy. quod differentiæ communis, & propria dicuntur simpliciter differẽtiæ: proprijssima verò cũ addito, scilicet constitutiua speciei: vnde nõ est colligendum, illas esse perfectiores differẽtias, cum potius è cõtra res se habeat: siquidem ex speciebus alicuius generis, illæ, quæ sunt imperfectiores simpliciter retinẽt nomen generis: vt ex speciebus animalis, quæuis species (excepto homine) dicitur simpliciter

citer animal: homo autẽ, quia perfectior ſpecies eſt, dicitur animal cum addito, ſcilicet rationale.

Tertia diuiſio differentiæ eſt, in ſeparabilẽ, vt eſt communis; & in inſeparabilem, vt propria, & propriiſsima. Subdiuidit quarto differentiã inſeparabilem, in inſeparabilem per ſe, qualis eſt propriiſsima, & in inſeparabilem per accidens, vt differentia propria, quæ accidentaliter rei competit: notat autem, differentiam inſeparabilem per ſe nõ ſuſcipere magis, & minus: non enim vnus homo magis rationalis eſt alio: bene tamen magis, & minus ſuſcipere differentiam per accidens inſeparabilem: vnus enim homo poteſt eſſe magis ſimus alio: vnde collige, proprias paſsiones, ſeù accidentia propria, qualia ſunt riſibilitas, rugibilitas, &c. non comprehẽdi ſub hac diuiſione, non enim inſeparabilia ſunt per ſe, ſiquidem aſſerit ipſe in tex. quod differentiæ inſeparabiles per ſe ingrediũtur diffinitionem eſſentialem rei, cuius ſunt per ſe differentiæ, & faciunt diuerſum eſſentialiter, neq; poſſunt dici inſeparabilia per accidens, cum riſibilitas non ſuſcipiat magis, & minus: cum enim in omnibus ab æquali eſſentia dimanet, ſicuti æqualiter omnes homines in rationalitate cõueniunt, ità in riſibilitate.

Et not. quod quãdo Ariſt. in Elencis dixit, vnum hominem eſſe magis rationalem, quam alter, nõ loquitur de potẽtia: ſed de vſu actuali ratiocinationis: nam vnus poteſt propter meliorem diſpoſitionem

ſubiecti, magis,& melius vti ratione,quam alter.

Vltima diuiſio eſt: Differentia,vel eſt conſtitutiua ſpeciei,vel diuiſiua generis:vbi addit,quod vnus, & idem gradus differentialis diuidit genus, & conſtituit ſpeciem, vt rationale diuidit animal,& conſtituit hominem.

In ſecunda parte capitis: primo ſic diffinit differentiã. Id per quod ſpecies ſuperat genus: nam ſpecies continet omnia attributa generis,& præter illa continet etiam ſuam differentiam per quam conſtituitur, & ſic ratione illius differentiæ dicitur ſuperare genus: ideſt plura actu continet ſpecies, quam genus , eo quod continet etiam differentiam ſpecificam,quam genus non continet actu,ſed tantum in confuſo, & in potentia.

Secunda diffinitio:Differentia eſt,quæ prædicatur de pluribus in quale quid,ideſt in quale eſsẽtiale:licet enim dicat Porphy.de pluribus differẽtibus ſpecie: iam diximus alibi,ſeù potius innuimus hanc diffinitionem deficere, cum rationale differẽtia ſit, & tamen ſolum de pluribus numero differentibus prædicatur.

Tertia diffinitio: Differentia eſt, quæ ſeparat ea, quæ ſunt ſub eodem genere:vt rationale ſeparat hominem à leone,& reliquis ſpeciebus,cum quibus in ratione ſuperiori animalis conueniebat.

Quarta diffinitio: differẽtia eſt qua differunt à ſe ſingula: nam homo, & æquus nõ differunt ſecundũ

genus,

genus, ſed ſecundum differentias ſpecificas.

Vltima, quam exactiorem putat, eſt: Differentia eſt, quæ ad ſubſtantiam, rationemq; rei cõfert, & eſt pars eius, cuius differẽtia dicitur eſſe, ideſt, quæ pertinet ad eſſentiam rei, & eſt pars eſſentialis ſpeciei conſtitutæ per ipſam: vt patet in rationalitate, quæ ad hominis eſſentiam pertinet, & eſt pars eſſentialis ipſius.

Ex his licet colligere, quod ea, quæ diſtincta ſũt, & tamen non per aliquam peculiorem differẽtiam, nõ poſſunt dici propriè differre: id enim differre dicitur, quod per differentiam differt. quarè ipſæmet differentiæ inter ſe, & genera ſuprema cum non differant per aliquam peculiarem differentiã, aliàs deberent conuenire in aliquo ſuperiori genere, dicuntur primo diuerſa, & diſtingui ſe totis, vt ſæpius infrà dicetur.

Ne autem nos detineant res parui momẽti, circa diuiſiones, quas Porph. adducit in tex. eſt not. quod gradus differentialis, poteſt ſubſtare duplici denominationi, ſcilicet differentiæ, & prædicabilitatis: tunc denominatur à notione differẽtiæ, quando intellectus conſiderat illos gradus, tanquam rationes faciendi differre vnum ab altero, vt quando conſiderat vnum gradum facere differre eſſentialiter, denominatur talis gradus à ſecunda notione differentiæ propriiſſimæ: & quãdo conſiderat aliquem gradum facere differre accidentaliter, talis gradus de-

no mi-

nominatur à secunda natione differentiæ communis, vel propriæ: tunc verò denominatur huiusmodi gradus à notione prædicabilitatis: quando intellectus illos cōcipit in ordine ad aliqua inferiora, & hac ratione, differentia communis, propria, & propriíssima non sunt membra illius diuisionis primæ: nam differentia propriíssima cōstituit tertiam vocē prædicabilem; propria verò, & communis, quartam, & quintam: quarè mēbra primæ diuisionis debent accipi primo modo, ideſt quatenus denominantur à secunda notione differentiæ.

Item not. quod hæc diuisio poteſt ad duo membra exactè reduci, nempè, ad differentiam essentialem, quæ eſt propriíssima, & ad differentiā accidentalem, quæ includit propriam, & cūmunem: & hoc voluit innuere Porphy. quādo in litera dixit, quod omnis differentia diuersum facit: cæterum, communis, & propria faciunt diuersum per accidens: propriíssima verò facit diuersum per se, ideſt essentialiter: vnde duæ primæ diuisiones sunt vna tantum diuisio modo explicato: & nota quod per accidens eſt, differentiam accidentalem esse separabilem, vt eſt accidens commune, vel inseparabilem, vt accidens proprium.

Tertio not. quod hæc diuisio sic explicata, eſt diuisio vniuoci in sua vniuocata, sęù generis in species: patet hoc, quia quotiescunque ab inferioribus poteſt abſtrahi vna ratio cōmunis superior, in qua

æqua-

æqualiter conueniant, illa inferiora erunt vniuocata respectu istius rationis vniuocæ: vt patet, sed à differentia essentiali, & ab accidentali potest abstrahi vna ratio cõmunis, videlicet, facere differre: nam (vt ait Porphy.) omnis differẽtia diuersum facit, in qua æqualiter conueniunt ambæ in ratione differentiæ: nam licet differẽtia essentialis perfectius faciat differre, quam accidentalis: id tamen non prouenit ex vi rationis differẽtiæ in communi: sed ex vi particularium rationũ vtriusq;: quia scilicet essentialis differentia facit essentialiter differre, accidẽtalis verò accidentaliter: ergo erunt duo vniuocata respectu vnius rationis vniuocæ. Quod autẽ illa ratio sit generica, patet: quia illæ duæ differentiæ sunt differentiæ specificæ: siquidem differentia essentialis continet sub se plures differẽtias essentiales particulares: & accidẽtalis, etiam, plures sub se cõtinet accidentales differentias particulares.

Circa tertiam diuisionem, qua differentia diuiditur in separabilem, & in inseparabilem, nil est notatione dignum, præterquamquod est diuisio subiecti in accidentia; siquidem diximus, quod accidit differentiæ accidentali, esse separabilem, vel inseparabilem. Idem mihi videtur dicẽdũ de quarta diuisione, qua differẽtia inseparabilis diuiditur in eam, quæ est inseparabilis per se, & in eam, quæ est inseparabilis per accidẽs, cũ etiam accidat differentiæ inseparabili ille duplex modus inseparabilitatis.

Et

Et tandem de vltima diuisione, qua differētia diuiditur in diuisiuā generis, & constitutiuam speciei, mihi videtur dicendū, quod non sit propriè diuisio; siquidem vna, & eadem numero differentia est, quæ facit vtrunq; officium, nempè diuidit genus, & constituit speciem: potius ergo videtur esse distributio quædā formæ in suos effectus. Et hæc breuiter dicta sint circa litteram; quibus sufficienter explicata remanent nonnulla parū vtilia, quæ prolixis disputationibus solent ab aliquibus pertractari.

## DISPVTATIO SEPTIMA
## DE DIFFERENTIA.

CIrca hoc caput, ommissis difficultatibus diuisionum, restant tantum aliqua examinanda de diffinitionibus, quas Porphy. assignat, quæ quidem quinq; sunt, iuxta totidem habitudines ipsius differentiæ. pro quo not. summopere est, quod rationale v.g. sumi potest dupliciter: vno modo formaliter, & in præciso gradu differentiæ: alio modo materialiter, scilicet pro habēte gradū illum: si ergo rationale sumatur posteriori modo, habet habitudinē tertij prædicabilis; siquidem, vt sic confertur cum Petro, & Paulo, de quibus prædicatur in quale essentiale, tanquam pars formalis essentiæ ipsorum: si verò sumatur formaliter, & in præciso gradu, constituit, vt sic speciem; & rursus diuidit genus;

item

item distinguit speciem ab alijs; & tandem manifestat excessum speciei supra genus.

Has ergo omnes habitudines cupiens Porph. explicare, quintuplici diffinitione diffirentiā diffinit: primò sic, Differentia est id, per quod species superat genus: qua explicatur exactè excessus speciei supra genus: secunda diffinitio est: quæ prædicatur de pluribus, &c. en explicata habitudo prædicabilitatis: tertia est: quæ separat ea, quæ sunt sub eodē genere: en habitudo ad diuidendum genus: quarta: qua differunt à se singula: en habitudo ad distinguendas species: quinta tandem diffinitio est: quæ ad substantiam, rationemq; confert, & est pars eius, cuius differentia dicitur esse: qua exactè explicatur habitudo differentiæ ad constituendā speciem, quæ habitudines sunt quidem formaliter diuersæ: habitudo enim prædicabilis, est respectu inferiorum ipsius speciei: habitudo constituentis, est ad ipsammet speciem, quam componit: habitudo diuidentis, est ad genus: habitudo distinguentis, ad speciem etiam, sicut, & habitudo constituentis, sed aliter, & aliter: nam habitudo constituentis, est in ordine ad ipsam speciem secundum se, sine ordine ad alias: ast habitudo distinguētis, est in ordine ad eandem speciem, sed quatenus cum alijs speciebus sub eodem genere contentis confertur: tandem habitudo manifestantis excessum speciei supra genus, est in ordine ad speciem ipsam, cum genere tamen comparatam:

vndè optimè quinque diuersis diffinitionibus illas omnes explicauit: vt autem illæ omnes secundũ ipsius Porphyrij mentem dilucidentur sit.

## SECTIO PRIMA.

*In qua breuiter explicantur quinq; Diffinitiones à Porphyrio in tex. adductæ.*

Titulus quæstionis ex paulò supra explicatis clarus est; vbi nõ est cur immoremur in prima diffinitione, quæ satis patet, tùm ex dictis in expositione litteræ circa illam, tùm etiam ex his, quæ diximus capit. de Genere disput. 4. sect. vltima, vbi vidimus, genus non continere actu differentias, sed in confuso tantum, & in potentia: cumq; species actu suam contineat differẽtiam constitutiuam, vltra alia attributa superiora, quæ etiam genus ipsum continet, sequitur euidenter, per differentiam speciem genus excedere.

Circa secundam diffinitionem, qua diffinitur Differẽtia tertium prędicabile per hoc, quod est prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid; posset quis quęrere: an Porph. intendat diffinire Differẽtiam in generali: an verò solum Differentiã intermediam? In qua rè, Caiet. dicit, illa diffinitione rectè diffiniri Differẽtiam in genere, & sic, tam intermediam, quàm infimam; si sano sensu tamen intelligatur, ità videlicet, q ly, prędicari de pluribus differentibus specie, sumatur non repugnanter, non verò positiuè: ita ut sensus sit, Differentia est vniuersale, cui, vt differentia est, non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid; quẽ sensum existimat Caiet. subtilissimum, ac profundissimũ.

Fundamẽtum ad hoc asserẽdum ex his, quæ ipse adducit, hoc potest esse: si qua causa ista diffinitio nõ esset rectè assigna-

assignata pro diffiniédæ diffe rentia in communi, maximè, quia nō conuenit differentiæ infimę; sed supra dicto modo explicata conuenit etiā diffe rētiæ infimæ: quia illa est vniuersale, cui, vt differentia est, non repugnat prædicari de pluribus differentibus specie in quale quid: ergo ista diffinitio rectè tradita est pro diffinienda differentia in communi.

Explicatq; Caiet. hunc suū peculiarem modū defendendi Porph. exemplo diffinitionis Quanti, quā Arist. assignat 5. Metaph. dicens hanc diffinitionē differentiæ esse intelligendam, eo prorsus modo, quo intelligi illa Quanti diffinitio debet: scilicet; Quātum est diuisibile in ea, quæ sibi insunt, &c. quæ diffinitio nequit aliter intelligi, nisi p non repugnantiā; alias non posset conuenire quātitati humanę, quantitati cæli, &c. quæ inquantum tales, diuisibiles nō sunt, licet quatenus quantitates sunt, vt sic, sint diuisibiles: vnde sic debet exponi illa diffinitio, quantum est id, cui, quatenus quātum est, non repugnat diuidi in ea, quæ insunt, &c. Eodem ergo modo intelligendam esse, docet hic author, diffinitionē differentiæ, per non repugnantiā: non autem positiue.

Ceterū hic modus dicēdi Caiet. est omninò reijciēdus: tùm primo, quia id, quod per se conuenit alicui superiori, siuè in primo, siuè in secundo modo dicendi per se: per se etiam debet, & inferiori conuenire: non solum secundum rationem illam superiorē, vt sic, sed etiam secundum propriam rationem: v.g. sensibile per se conuenit animali, per se etiam cōuenit homini, non solū quatenus animal est: sed etiā quatenus homo, sęu quatenus animal rationale est: sed hoc, quod est prædicari de pluribus differentibus specie, &c. ponitur à Porphyrio in diffinitione differētiæ, tanquā quid conueniens illi, siuè in primo, siuè in secundo modo dicendi per se (de hoc .n. alibi dictum est:) ergo si hoc per se conuenit differentiæ in ratione differētiæ præcisè, & in communi: per se etiam necessario conuenit omni diffe-

rentiæ inferiori secundū propriam rationem: & ex consequenti verum est dicere, hoc, quod est prædicari de pluribus differētibus specie per se conuenire etiam differentiæ infimæ, non solum quatenus differentia est: sed etiam, quatenus differentia infima est: quod manifestè patet esse falsum: totus syllogismus legitimus est, vt patet.

Et Confirmatur, quia diffinitio, vel explicat essentiam, vel propriam passionem diffiniti, sed tàm essentia, quā propria passio positiuè conueniunt diffinito, nō autem per non repugnantiam: ergo diffinitio debet positiuè diffinito conuenire.

Tùm secundo: si diffinitio illa posset explicari per non repugnātiam: posset etiā homo optimè sic diffiniri, animal latrabile: & canis, animal rationale: patet: nam si ideò hæc est bona diffinitio differētiæ, quæ prædicatur de pluribus differētibus specie, &c. quia non repugnat differentiæ, quatenus differentia est, vt sic, hoc modo prædicari, licet repugnet differentiæ infimæ: ita à pari, licet hoc, quod est esse animal latrabile repugnet homini: & hoc, quod est esse animal rationale: repugnet cani: nihilominus tamen, in ratione præcisa animalis, vt sic, non repugnat homini, animal esse latrabile; & cani, animal rationale: quod quā magnum absurdum sit, considerati facilè patebit: nō est ergo admittēda hæc diffinitio per non repugnantiam: per quod patet ad fundamentū Caiet.

Ad id autem, quod adducit de quarto: Resp. primò cū Patre Didaco disput. 8. q. vlt. quod licet quantitati cæli, hominis, &c. vt in talibus subiectis est, repugnet actualiter diuidi posse, siquidem cum diuiditur quantitas, necessario subiectū, cui inest, ad eius diuisionē diuiditur, quod cælo, cū indiuisibile, & incorruptibile sit, repugnat: nihilominus tamen diuisibilitas, seù aptitudo ad diuisionē, quæ est quid positiuum, & per quod datur illa diffinitio, quātitati etiam cæli, & hominis, &c. adhuc inquantum talis est, conuenit: licet diuisionis actus impeditus sit ratione subiecti: itaquod

itaquod si per impossibile quantitas illa separetur à subiecto, posset optimè diuidi, quod fieri non posset, nisi nunc etiã diuisibilis esset: sicut intellectui, qui est in frænetico, etiam vt talis intellectus singularis est, positiuè conuenit esse discursiuum, & rationabilẽ; licet actus, ratione infirmitatis, aut subiecti infirmi, impediatur.

Vel secundo Respon. cum Soto 1. Phis. q. 4. & Caiet. 1. p. q. 7. ar. 3. ad secundũ, quod de ratione quantitatis est diuisibilitas secundum designationem: itaut sufficiat, quod possint partes saltem mente designari: sed capit. de quantitate de hoc latius.

Vel tertio Resp. not. quod quantitas à duobus consideratur secundum diuersos modos, à Mathematico, scilicet, & à Phisico: Mathematicus considerat illam abstractã ab omni materia sensibili: Phisicus verò non, sed prout est in materia, & put afficitur qualitatibus sensibilibus. hoc supposito dico, quod Aristoteles eo loco nullo modo definiuit quantitatẽ per nõ repugnantiam: & cum ait Caiet. quantitati cæli, in quantũ tali, repugnat diuidi in ea, quæ insunt, concedo: sed Aristoteles non definiuit quantitatem secundum considerationem Phisicam concernẽtem materiam sensibilem: sed secũdum cõsideratione Mathematicã abstrahentem ab omni materia.

Quarè dicendum est; Porphyrium solum comprehendisse illa diffinitione differentiam subalternam: non tamen infimã: hoc patet ex eo, quod solum illa de pluribus specie differẽtibus enunciatur, vnde solum adducit exẽpla in subalternis, nempè in rationale, & mortale: ex quibus rationale, secundum ipsius sententiã, est differentia communis nobis, & Dijs: mortale verò nobis, & Brutis, & in cap. de cõmunitatib. & proprijs inquit Porphy. in hoc distingui Proprium, & Differentiam: quia differentia prædicatur de pluribus differẽtibus specie: proprium verò tantum de vna, & subdit, quia differentia sequitur ea, quorum est differẽtia: non tamen conuertitur, quæ omnia conueniunt differẽtijs subalternis, & non infimis:

Porph.

Porph. enim licet cognouerit speciem infimam, & ex consequenti differētiam vltimam: non tamen cognouit per proprios conceptus simplices: & est sententia D. Th. 2. post. lect. 1. tract. 43. vbi inquit, quod Aristo. non fecit mentionem vltimarum differentiarū: quia erant illi ignotæ. Et ideo 1. Top. cap. 4. cōnumerans prædicata Topica, dixit; differentiam subalternā esse reducendam ad genus: quia generalis est, & non meminit differentiæ vltimæ, licet de subiecto communi prædicetur.

Insuper 1. post. cap. 1. tract. 4. inquit, quod quælibet pars diffinitionis seorsum sumpta est in plus quam definitio: quod non potest intelligi, nisi de differentijs subalternis. Hæc sententia non displicet Caietano, eamq; sequuntur Doctores Louanienses, Toletus, & alij: & si quis attentè legat Arist. 7. Met. tract. 3. inueniet, qua ratione docet cōstituere diffinitionē, ex pluribus differentijs subalternis, loco differentiæ vltimæ: vnde vltimam cognouit, vt complexam ex pluribus: ergo cum Porph. & Arist. cognouerint tātum differentias subalternas per proprios cōceptus, infimas verò per subalternas: hinc est, quod tantum Porph. definierit illa definitione differentiam subalternam.

Ex qua doctrina sequitur hoc corrolarium: quod licet Porph. cognouerit species infimas, & vnamquamq; illarū propriam essentialē differentiam habere, per quam constituitur in suo esse specifico: nō tamen cognouit proprios ipsarū differentiarū conceptus, & particularia nomina: quod idem est, ac dicere cognouit illas quoad an est: non verò quoad quid est: nimirum cognouit illas esse in rerum natura: ast non cognouit quidditatē ipsarum per proprias rationes.

Sed dices: cur ergo *Porph.* in illa diffinitione non dixit: Differētia intermedia est, quę prædicatur, &c. sed dixit absolutè, Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus specie? Respon. quod in tempore Porphirij solum cognoscebatur differentia subalterna, & non vltima: & sic idē

erat

erat differentia simpliciter, & absolute: ac differentia subalterna; quid autem sentiendū sit de ista diffinitione ex supra sæpius repetitis poteritis facilè colligere; vbi etiā proprio marte adduximus, tàm essentialem, quàm descriptiuam differentiæ in communi diffinitionem.

## SECTIO SECVNDA.

### *An Differentia infima specie differat à subalterna?*

PRO tituli intelligentia not. quod non quærimus de ipsis gradibus differentialibus primo intentionaliter sumptis, itaut sit sensus, an rationalitas specie differat à sensibilitate: de hoc. n. quid sentiendum sit, ex infra dicendis patebit: sed de ipsis differentijs secundo intentionaliter sumptis, itaut sensus quęstionis sit, vtrum vniuersalitas differentiæ sit eiusdē speciei in subalterna, & infima: an verò vniuersalitas subalternæ speciei differat ab vniuersalitate infimæ: & sic differentia infima sit diuersum prædicabile à differētia subalterna?

Circa hanc quæstionē multa cōgerit Pater Didacus 2. p. disp. 8. q. 2. quæ tamen nō militant contra modum dicēdi, quem sequimur in diffiniēdo hęc quinq; vniuersalia: quarè breuiter iuxta dicta alibi à nobis, dicimus, differētiam infimam eiusdē esse speciei cum differentia intermedia: patet manifestè, quia ea sunt eiusdem speciei, quæ habent eandem rationem essentialē: sed eadem essentialis ratio, & specifica est vtriusq; differentiæ, nimirū; esse in multis, tanquā pars formalis essentiæ ipsorū, vt patet: ergo eiusdē sunt speciei: quod autē illa plura sint, vel numero, vel specie differētia, hoc per accidens est ad rationem differentiæ, inquantum differentia est.

Sed molestū, illudq; certè difficilè argumentum contra hoc adducit Pater Did. Differentia est superior, & vniuersalis respectu suorum inferiorum tantum, non verò respectu

pectu speciei, quam cõstituit; vt sic enim, neq; superior dici potest ad illã, cũ sit illi æqualis, neq; vniuersalis respectu illius, cum de ratione vniuersalis sit ordo vnius ad plura; ille autem ordo differẽtiæ ad speciem, est potius vnius ad vnum: sed in inferioribus nõ est per modum partis formalis: sed per modũ totius, aliàs non erit in illis, vt vniuersalis: immò si aliquo modo esset p modũ partis, hoc erit per modum partis materialis, & contrahibilis per differẽtiã aliam horum inferiorum indiuiduorum parrticularem: rationale namq; in Petro potius habet rationem cõtrahibilis per Petreitate (vt ita dicam) ad hoc rationale, quam cõtrahentis: ergo ex duplici capite differentia per modum partis formalis non habet rationẽ vniuersalis: tùm quia vniuersale respicit inferiora, vt totũ, non vt pars: tùm quia non vt pars formalis, sed materialis.

Adducit ipse etiam quandam solutionem ad hanc vltimam partem argumenti (primam enim fatetur se nõ videre solutam) dicens, differentiam etiam in his inferioribus habere rationẽ partis formalis, non respectu alterius differentiæ, vt rectè probat argumẽtum, sed respectu generis, quod semper habet rationẽ materialis, etiam in inferioribus, in quibus est: sicut ergo genus in quocunq; inferiori, dicitur esse p modum partis materialis respectu differentiarum, à quibus cõtrahitur, ità quælibet ex differentijs cõtrahentibus, dicitur esse in inferioribus per modum partis formalis respectu generis, quod contrahit.

Sed contra hanc solutionẽ fortius vrget: quod licet differentia in inferioribus sit per modum partis formalis non habet respectu inferiorũ, nec vt respecit illa, sed vt respecit genus: sed illud quod non habet differentia respectu inferiorum nihil facit ad vniuersalitatẽ: quia hæc in ordine ad inferiora sumenda est: ergo quod sit per modũ partis formalis, vel non sit, nil facit ad vniuersalitatem differentiæ: quarè subdit hæc formalia verba hic author. Ideò in hac rè dubius hæreo, & hinc me

vocat

vocat authoritas, illinc ratio; satisfaciamus tamen vtrique, eo modo quo fieri potest: statuitque duas conclusiones, in quarũ prima probabile multum, iudicat, differẽtiam subalternam, & infimam, in ratione vniuersalis, specie differre, propter adductam rationem. In secunda verò, ne singularitatis nota iudicetur dignus, sequitur communem sententiam, nimirum, nequaquam specie distingui differentiam intermediam, & infimam.

Cæterũ licet hoc argumentum rè vera difficile prima facie videatur, petenda tamen est eius solutio ex his, quæ diximus disp. 4. de genere sect. 4. vbi quæritur, an genus prædicetur de suis inferioribus, vt pars, vel vt totum: vbi multa diximus, præsertim contra Patrem Didacum, & certè aliqua speculatione dignissima: vt autẽ huius argumenti tota vis debilitetur, supponẽdum est primo iuxta eoloco dicta, quamlibet partem intrinsecè duplicem respectum habere, & ad compartẽ, & ad totum, quod simul cum illa cõparte constituit. Item recolite ea, quæ ibidẽ diximus de distinctione, quæ reperitur inter cõpositionem Methaphisicam, & Logicã: diximus enim, compositionem Methaphisicam esse ex actu, & potẽtia; ex genere, & differentia: Logicam verò compositionem esse, ex partibus non manentibus formaliter in ipso toto, sed tantũ in confuso, & in potẽtia; eãq; fieri ex ipsis inferioribus, quæ dicuntur partes subiectiuæ superioris. Hinc totum resultãs ex partibus Methaphisicis dicitur totum actuale, siquidẽ fit ex partibus actualiter manẽtibus in ipso, essentialiterq; ipsum cõponentibus: at verò totum, quod resultat ex partibus Logicis dicitur totũ vniuersale, siuè virtuale, aut potentiale, quia resultat ex inferioribus, quæ non dicuntur formaliter in ipso superiori contineri.

Itẽ tertio recolite id, quod ibidem diximus, quod cum dicimus, diffinitionem, & speciẽ constare ex genere, & differentia, non est sermo de genere, & differentia, quatenus sunt quædã prædicabilia Logica, neq; de specie, quatenus

secúdum prædicabile est, sed loquimur de specie Metaphisica, idest de ipsa natura cum ordine ad sua prędicata essentialia, ex quibus coalescit; & ex ipso genere, ipsaque differentia, quatenus naturæ quædam particulares sũt componentes Metaphisicè ipsum totum Metaphisicum. Vnde sequitur, neq; genus Metaphisicè sumptum; neq; differentiã Metaphisicè sumptã posse de aliquo, vt sic, prædicari; sed potius esse partes eius, de quo genus, & differentia Logicè sumpta prædicantur: vniuersale .n. Logicũ respicit essentialiter plura inferiora, tãquã eius partes subiectiuas.

Quarto etiam supponẽdũ tanquam certum, nullum esse inconueniens, quod aliqua natura denominetur totum Logicũ respectu plurium inferiorum, & tamen dicat tantum vnam partẽ essentiæ ipsorum Metaphisicam, etiam inquãtum totum Logicum est: vt vidimus de Genere, quod etiam totum est respectu inferiorum suorum: nihilominus tamen dicit tantum partem materialem essentię ipsorum: pari etiam ratione idẽ dicendum est de Differentia, quæ quatenus quoddam vniuersale est constituens tertium prædicabile, dicitur esse totũ Logicum respectu omnium inferiorũ, in quibus est, & de quibus essentialiter prædicatur: nihilominus tamen dicit tantum partem formalem Metaphisicã essentiæ ipsorum inferiorum, quæ simul cũ genere, quod contrahit, illa cõstituit.

Ex his facilè solues argumẽtum, & primo, ad primam illam partem, quam vt insolutam relinquit Didacus, nempè, differẽtiam esse in inferioribus, nõ per modum partis, sed per modum totius: Resp. differẽtiã esse totum respectu inferiorum fiat dupliciter: primo itaut dicat totã essentiã, entitatemq; ipsorum, & hoc falsum est, vt sic enim tantum dicit partem essentiæ formalem, vt diximus: secũdo, itaut differentia, quatenus est vniuersum quoddã Logicum respiciat ipsa inferiora, tãquam partes potestatiuas, & subiectiuas sui ipsius, ex quib⁹ coalescit, & sic dicitur quoddã totum Logicum, & potestatiuũ:

quo modo non dicitur rè vera in ipsis inferiorib' esse; sed potius dicitur, sic concipi in ipsis ab intellectu, cum de ratione entis rationis sit cõcipi sic, vel sic, non autem sic esse in re: ipsa ergo differentia dicitur vna in multis, non quod vna re vera in illis multis sit: sed quia vna concipitur in illis, & ex consequenti, tanquã quoddã totum ex illis multis inferioribus constans: quod tamen totum nõ dicit totam essentiam, & entitatem ipsorum inferiorum, sed tantum partem formalẽ: aliud enim est, dicere totam essentiã inferiorum, aliud verò, dicere omnia inferiora: genus, & differentia, vt tota quædam sunt Logica dicunt omnia sibi inferiora: non tamen quicquid in ipsis inferioribus est: præcisè conceptu explicito.

Ad secundam autem illam partem argumẽti, vbi dicitur, quod si aliquo modo esset p modum partis materialis, & contrahibilis per aliam differentiam indiuidualẽ, nempè per Petreitatẽ: bene responsũ est illa solutione, quã ipsemet Pater Did. adducit. Vel possumus secundo respondere, q cum differentia indiuidualis non addat aliquem gradum peculiarẽ essentiæ specificæ, sed tãtum modum quendam accidentalẽ, vt alibi diximus: non poterit differentia essentialis, per modum contrahibilis, seu partis materialis essentiæ, respectu talis modi, se habere: sed semper per modum partis formalis se habebit.

Ad illud autem, quod contra primam solutionem adducit iste author, facilè etiam Respon. quod pars nõ solum dicit ordinem ad cõpartem: sed etiam ad id, quod cũ tali comparte componit, vt diximus: præterquã quod, de suis inferioribus non dicitur differentia prædicari, vt pars, sed vt totum Logicum, vt de genere diximus, licet, vt sic, & quatenus totum Logicum est tantum dicat partem essentiæ ipsorum de quibus prædicatur.

Sed quid sentiẽdum sit de ista secunda diffinitione Differentiæ, quã diffinitur in ratione tertij prædicabilis, facilè colliges ex his, quæ dixim' supra, quando assignauimus,

tùm essentiales, tùm etiã descriptiuas omniũ quinq; prædicabilium diffinitiones.

Circa tertiam Diffinitioné nil noui notatu dignum inuenio apud Doctores: verũ circa quartam quâ differẽtia sic diffinitur, qua differunt à se singula, cum contra illã possit hæc fieri obiectio: Rationale includit in suo conceptu animal, in quo cõuenit cum leone, item omnis differentia inferior includit differẽtiam superiorem essentialé, vt rationale includit sensibile, in quo pariter homo cũ reliquis animantibus conuenit: videtur, quod differentia sit ratio conuenientiæ, & consequẽter potest dici id, quo secũ alia conueniunt, sicut dicitur id, quo differunt à se singula: propterea examinanda est sequens quæstio.

## SECTIO TERTIA.

*Vtrùm Differentia includat in suo conceptu Genus, quod diuidit, Differentiamq; superiorem essentialem?*

PRO tituli intelligentia, not. quod non est hic sermo de Differentia, quæ induit rationé tertij prædicabilis: quia certum est illã includere in suo conceptu, tàm genus, quàm differẽtiam superiorem: illa enim sumitur materialiter; cũ dicat formã cum cõnotatione subiecti, & idem est, quod species, à qua solum differt in modo significandi, vt alibi habuistis. Est tantum quæstio de Differentia, quatenus differre facit vnam speciem ab alia: sic enim dicit præcisum gradum differétiæ formalé, & in abstracto.

Secundo not. est, quod ex his, quæ diximus disput. 4. de Gene. sect. 5. facilè colligitur, Differentiam hoc modo consideratã non includere in suo cõceptu genus: quod est contra Themistium, Canterum, & alios: nihilominus est communiter hodie in scolis receptum: habemus namq; ex Aristotele passim, genus esse extra essentiam differentiarum.

Præter-

Præterquã quod, sequeretur, apertè, duas differentias, quæ sunt sub eodẽ genere, differre inter se per alias differentias: & has per alias, & sic in infinitum: patet sequela: nam vtraque differẽtia conueniret in illo genere, quod vtraque includeret in suo cõceptu: ergo differrẽt per alias differẽtias. Item quia Differẽtia hoc modo considerata est pars essentialis Metaphisica compositi Metaphisici, nempè speciei, cuius altera pars est genus: sed si contineret genus non esset pars ab ipso genere distincta: ergo, &c. patet mi. qa vna pars necessario distinguitur ab altera: immò hoc est de ratione præcipua partis, non includi in altera, neq; illã includere: quarè non est cur hic immoremur: tãtum ergo quæstio est de Differentia inferiori respectu differẽtiæ superioris essentialis.

In qua rè Dico breuiter (res enim facilis est.) Differentiam superiorẽ nullo modo includi in conceptu Differentiæ inferioris: quod idem est, ac dicere, sensibilitatem non includi in conceptũ rationalitatis. Hæc conclusio hodie cõmunissima est inter omnes Doctores, eã expresse habent Arist. 4. lib. Top. cap. 2. D. Th. p. contra gen. cap. 17. Scotus in 4. dist. 11. q. 3. & 7. Meth. q. 17. quos reliqui omnes recentiores sequuntur: est tamen cõtra Canterum hic, Bartholomeum Spinam 7. Meth. defens. 16. quibus aliquo modo fauet Soncinas 7. Meth. q. 73. vbi probabile satis iudicat, inferiorem Differentiam superiorem includere in suo conceptu.

Assertio tamen nostra potest probari eisdẽ rationibus, quibus vidimus, genus nõ includi in conceptu differentię inferioris: valet enim non includitur in rationali animal? ergo neq; sensibile: patet cõsequentia: quia si sensibile in rationali includeretur, etiam & animal includeretur: quando enim alicuius essentia est de intrinseco conceptu alterius, etiam necessario de eiusdem intrinseco cõceptu esse debet, & id cuius est essentia: quibus enim intrinsecè conuenit rationalitas, intrinsecè etiam conueniet esse hominem,

nem, & è contra etiam: ergo si differentia superior, nempè sensibile contineretur intrinsecè in rationali, cõtineretur etiam animal, de cuius essentia est sensibilitas.

Sed ommissis illis rationibus, ea mihi videtur efficax ad hanc probandam conclusionem, videlicet, si rationale includit sensibile, (vt docet Cant.) ergo aliquid aliud includit præter sensibile, per quod speciem, cuius est essentialis differentia, & constitutiua, nempè hominem, constituat in suo esse specifico, in quo esse, nequit homo constitui per gradum sensibilitatis; siquidẽ necesse est, quod faciat etiam differre illũ à reliquis speciebus sensibilibus, tunc de illo præciso gradu, quod supra sensibile dicit ly rationale, peto: an etiam in illo includatur sensibile, nec ne? absurdũ est dicere, quod etiã ille specialis gradus sensibile includat, siquidẽ repugnãtia esset in verbis ipsis, dicimus enim, quod sit aliquid supra additum ipsi sensibili: ergo cũ ille simplex gradus superiorem alium non includat, & hic sit constitutiuus speciei, & faciat illam à reliquis speciebus differre, ille erit inferior differentia, in qua alia superior non includitur.

Ex his sequitur, Differẽtiã esse gradũ simpliciter simplicem, & incompositum omninò: nil enim aliud est, ex quo possit differentia excogitari composita, quam vel ex differentia superiori, vel ex genere: nã licet ens includat: hoc enim essentialiter dicitur de omni inferiori, & imbibitur etiam in vltimis differentijs, proprietatibus, & passionib⁹, modisq; omnibus realibus rerum: tamen ens propter eandem rationem non facit cum aliquo compositionem, cum nequeat habere rationẽ partis: de ratione namque partis est, quod non includatur in altera: vt suo loco dicam.

Contra tamen nostrã conclusionem solent adduci nonnulla loca Aristotelis, quæ tamen omnia intelligenda sunt de differẽtia sumpta materialiter: non verò formaliter, & pro gradu præciso differentiæ, (vt diximus in expositione tituli.)

Vnica tantũ ratio videtur, prima facie authoribus oppositæ sententiæ fauere, nimirũ: hæc propositio est necessaria, & essentialis: rationale est sensitiuum: sed illa dicitur tantũ propositio necessaria, & essentialis, in qua prædicatum necessario, & essentialiter cõuenit subiecto: ergo sensitiuum necessario, & essentialiter includitur in rationali: pbatur ma. hoc syllogismo facto in tertia figura in Darapti. omnis homo necessario, & essentialiter est sensitiuus: omnis homo necessario, & essentialiter est rationalis: ergo aliq. rationale necessario, & essentialiter est sensitiuum: vel in Barbara sic vniuersaliter: omne animal est sensitiuum: omne rationale est animal: ergo omne rationale est sensitiuũ: quod si minorẽ neges, ex eo, quod in illa supponitur gen⁹, quod est animal includi in differerentia, quod est rationale: potest sic illa minor probari: omnis homo est animal: omne rationale est homo: ergo omne rationale est animal: ex quo argumento videtur manifestè sequi, tàm differentiã superiorẽ, quàm genus includi essentialiter in conceptu differentiæ inferioris.

Nihilominus tamen facilis est huius argumenti solutio: patet namq; manifestè, sensibile, & rationale in dictis syllogismis sumi materialiter, nõ formaliter, idest pro habente sensibilitatem, & rationalitatem: non autem pro ipsa sensibilitate, seu rationalitate præcisè: quo pacto concedimus rationale includere, & differentiam superiorem, & ipsum genus.

Erat tandem vltima Differentiæ Diffinitio à Porph. assignata, quam exactiorẽ putat ipse, sic: Differentia est, quæ ad substantiam, rationemque confert, & est pars eius, cuius differentiæ dicitur esse: circa quam diffinitionẽ est examinandum, quomodo Differentia dicatur speciem componere vna cum genere: quare sit.

## SECTIO QVARTA.

*An Genus, & Differentia componant speciem sumpta omninò formaliter: an verò sumpta materialiter?*

PRO tituli intelligentia supponẽdũ est, tanquã à nemine controuersũ, speciem cõponi essentialiter ex genere, & differentia, non cõpositione rerum, siuè reali: sed compositione cõceptuũ, siuè rationis: pro quo not. ꝙ, (vt alibi sæpè docuimus,) duplex est cõpositio: altera realis, siuè rerum: altera rationis, siuè conceptuum: ad compositionem rerum quatuor conditiones requirũtur, quas adducit Caiet. p. p. q. 3. ar. 8. prima est, quod extrema cõponentia distinguantur realiter: secũda, quod realiter coniungantur: tertia, quod coniunctio sit secũdum aliquod esse, in quo coincidunt, & non solum secundum situm, vel habitudinẽ extrinsecã: quarta, quod se habeant, vt actus, & potentia: v. g. homo componitur ex materia, & anima, compositione rerum: quia scilicet materia, & anima rationalis realiter distingũtur: & rursus realiter cõiungantur, nec tantum per operationẽ intellectus: item coniunguntur secundum aliquod esse, nec tãtum secundum situm, aut habitudinem extrinsecã, quia coniunguntur secundum esse hominis; & rursus vnũ se habet per modum potẽtiæ, scilicet, materia, & aliud per modum actus, nempè anima rationalis: quia materia hominis est determinabilis, & actuabilis per animã, & anima est determinans, & actuans illã. Compositio rationis, siuè conceptuum ex cõpositione rerum deduci nullo negotio poterit: erit namq;, quæ has quatuor conditiones nõ habebit seclusa operatione intellectus; sed per illius operationẽ: vnde illa erit cõpositio rationis, siuè cõceptuum, quæ has quatuor cõditiones habebit: prima est, quod extrema cõponentia distinguantur tantum

tum per operationẽ intellectus: secunda, quod cõiungantur tantum per operationem intellectus: tertia, quod coniungantur secũdum aliquod esse cõpositũ à ratione: quarta, quod vnum se habeat per modum actus, & alterum per modum potentiæ.

Dicimus ergo; speciẽ componi ex genere, & differẽtia, cõpositione rationis, non reali: quod manifestè probatur: quia genus, & differentia in primis tantum distinguntur per operationem intellec. . . : & ex hoc, quod aliqua extrema distinguantur solum ratione, prouenit etiam, quod tantum per rationẽ vniantur: & secundum esse compositũ per rationem: Item genus se habet per modum cõtrahibilis, & sic habet rationem potentiæ: differẽtia autem cum se habeat per modum contrahentis, & actuantis, dicitur habere rationem actus: ergo nequeunt componere aliter, quam secundũ rationẽ ipsam speciem.

Hoc ergo supposito not. insuper est, quod alibi sæpè diximus: genus, & differentiã posse vsurpari materialiter, & formaliter: tunc genus dicitur materialiter sumi, quãdo consideratur inquantum inconfuso continet species: Differẽtia verò, tunc dicitur materialiter sumi, quando concipitur, prout cõtinet speciem, itaut identicè, & materialiter idem sit, ac ipsa species: tunc verò, tam genus, quàm differentia dicuntur formaliter sumi, quando concipiuntur secundum gradus præcisos proprios: quæstio ergò tantũ est: an supposito, quod species cõponatur ex genere, & differentia, componatur ex . . . sumptis materialiter: an verò omninò formaliter?

In qua rè est prima sententia communis apud recentiores Cõplutenses; speciẽ componi ex genere, & differẽtia, sumptis omninò formaliter, ac præcisè. Probatur autem primo sic: eadem ratione species componitur ex genere, & differentia, ac componitur diffinitio: sed diffinitio cõponitur ex genere, & differentia formaliter sumptis: ergo, &c. mi. prob. genus sumptum formaliter, & differẽtia claudun

tur intrinsecè, in ratione essentiali diffiniti, verbi gratia, animal sumptum formaliter pro natura sensitiua, & rationale, pro præciso gradu rationalitatis intrinsecè clauduntur in ratione hominis: ergo, vt sic, ipsius diffinitionem componunt.

Confirmatur: species componitur necessario ex differentia in præciso gradu: ergo etiã ex genere in præciso gradu: consequẽtia videtur nota: quia nõ est maior ratio de differentia, quam de genere: cũ ambo sint partes speciei: antecedens autem etiã patet: nã pars non debet esse æqualis toti: ergo cum differentia materialiter sumpta sit ęqualis speciei, sic non componit illam, sed sumpta in præciso gradu.

Confirmatur secundo: partes nil aliud debẽt includere, præter ipsum totũ: sed si species cõponeretur ex genere, & differẽtia sumptis materialiter, aliquid aliud continerent partes, præter ipsum totum: quoniam genus sumptũ materialiter includit differentias, & species, quas species ipsa non continet: ergo, &c.

Secundo principaliter probatur hæc sententia: quia species componitur ex genere, & differentia, secũdum quod habent rationem partis: non autem secundũ quod habent rationem totius: sed genus, & differentia sumpta materialiter habent rationem totius: quia, vt sic, prædicãtur de specie: ergo species non componitur ex illis sumptis materialiter, sed formaliter.

Cõfirmatur: species est pars generis sumpti materialiter, & secundum ea, quæ continet indeterminatè: sed nulla pars dicitur componi ex suo toto: ergo species non cõponitur ex genere sumpto materialiter.

Hæc sententia, quãtum ad id, quod asserit de differẽtia; nimirum, componere speciẽ in gradu præciso; vera est: siquidem, materialiter sumpta, tantum dicit, quãtum species ipsa, eamque adæquat, à qua solum differt in modo significandi, (vt alibi dictum est) cumq; de ratione partis sit, quod non adæquet ipsum totum, sit, differentiã non componere

ponere speciem, sumptá omninò materialiter, sed formaliter, & in gradu præciso. At verò quantũ ad id, quod docet de genere, nimirũ, etiam ipsum cõstituere speciẽ eodẽ modo, quo differẽtia, nempè formaliter, nõ placet: quarè.

Dicẽdum existimo, genus concurrere ad compositionẽ speciei, sumptũ materialiter, nõ verò formaliter, & in gradu præciso: probatur hoc dictum: compositio cõceptuum (vt supra diximus) debet esse ex partibus, quarũ altera habeat rationẽ actus, altera verò rationẽ potentiæ: ergo, & in hac compositione, genus habebit rationem potentiæ, siquidem differẽtia habet rationem actus: sed sumptum formaliter genus non potest habere rationem potentiæ: nam materialiter sumptum dicitur in potẽtia suas species continere, & sic posse ad illas per inferiores differẽtias contrahi: ergo sumptum materialiter speciem componit, non formaliter: mi. prob. tunc dicitur genus in potẽtia species continere, quando habet rationem totius potentialis respectu illarũ: sed materialiter sumptũ, & non formaliter, habet rationem totius potentialis: ergo, &c. prob. mi. eo modo sumptum dicitur habere rationem totius potentialis, quomodo sumptũ potest de ipsis speciebus in recto prędicari: sed solum materialiter sumptũ prædicatur sic de speciebus: dicimus enim; homo est animal, canis est animal, &c. ergo, &c.

Restat modo satisfacere argumentis contrarijs: & primo ad primum Complutensium, Resp. transeat maior, neg. mi. ad cuius probat. Resp. quod licet verum sit, quod animal sumptum formaliter claudatur intrinsecè in ratione essentiali hominis: nõ tamẽ sequitur, quod, vt sic, componat ipsum: nam etiam materialiter sumptum essentialiter competit homini hoc, quod est esse animal: immò id verum est, quando alicui subiecto essentialiter cõpetit aliquod concretũ (substantiale pręsertim) essentialiter etiã cõpetit illius abstractũ: cum hac tamen differẽtia, quod concretũ illi conueniet in recto: abstractũ verò

in obliquo: vt homo essentialiter est animal: homo essentialiter habet animalitatem.

Ad primā confir. neg. consequentia: non est enim eadē ratio de genere, & differentia in cōpositione speciei, vt dictum est: differētia, namq; habet rationē actus simplicis, & sic debet excludere omnem rationē potētię; quod si materialiter sumatur, includit etiā genus, & sic tantum diceret, quantum species ipsa: at verò genus cū habeat in cōpositione rationem potētiæ, necesse est, sumatur, eo modo, quo poterit rationē totius potētialis habere: cūq; non habeat rationem hāc, nisi materialiter sumatur: hinc fit, &c.

Ad secundam confir. Resp. dist. ma. partes nil aliud debēt includere, actu, præter ipsum totū, conc. quicquid in potentia includant: sed genus sumptū materialiter includit differentias, & species inferiores, actu, neg. in potētia, transeat.

Ad secundum principale, Resp. quod idē genus respectu speciei, quam Metaphisicè componit, contractū per differentiam essentialem Metaphisicā, dicitur pars actualis Metaphisica ipsius: & abstractū, seu conceptū præcisum à tali contractione, dicitur totū potentiale, & Logicum respectu omnium specierum sub ipso contētarum: & sic non est inconueniens, quod idē genus habeat rationē partis actualis, & Metaphisicæ, & etiam totius potentialis, & Logici respectu diuersorū; & diuerso modo consideratum.

Ad confir. Respo. speciem posse duobus modis concipi: vel quatenus totum quoddā est Metaphisicum actuale, & sic non dicitur pars generis: sed potius genus dicitur pars Metaphisica ipsius: vel quatenus est pars quædam potestatiua, & Logica, & sic genus se habet, vt totum quoddā potentiale in ordine ad illam, & reliquas sub ipso contentas. Et hæc dicta sint satis de toto hoc Capite de Differentia.

CAPVT

# CAPVT QVARTVM

## DE PROPRIO.



OSTQVAM Porphyrius disputauit de vniuersalibus essẽtialibus, idest, quæ essentialiter suis inferioribus conueniunt: agit in hoc, & sequenti capite, de his, quæ prędicantur extra essentiam suorum inferiorũ: & primo de Proprio, quod licet in hoc, quod est, prædicari extra essentiam, cum Accidẽti communi conueniat, dignius tamen illo est: quia non omninò independenter ab illa prædicatur, immò ab ipsa dimanat essentia, cõuerititurq; cum specie, cuius proprium esse dicitur; quo pacto nõ prædicatur Accidens, quod cum nullo modo dependeat ab essentia suorum inferiorũ, nequit cum illis conuerti: & not. quod agens Porph. de Proprio, nõ sumit Proprium, prout distinguitur contra Metaphoricum: secundũ quod, ridere, prato dicimus Metaphoricè conuenire, homini verò propriè: sed quatenus distinguitur contra commune: quo pacto dicimus, risibilitatem esse propriam hominis pasionẽ, albedinẽ verò communiter cõuenire omnibus corporibus mixtis, seù compositis ex quatuor elementis (dixi, mixtis, &c.) quia cælum etiam corpus est, & elementa ipsa corpora sunt, sed simplicia; & sic nequeũt esse colorata

aliquo

aliquo colore (vt ſuo loco dicetur:) ſed adhuc proprium, hoc modo ſumptum, poteſt etiã dici ipſa rei eſſentia, quæ taliter propria eſt ipſi rei, cuius eſt eſſentia, vt nequeat, etiam de potentia Dei abſoluta alteri rei conuenire: ſed non hoc modo ſumitur proprium hic à Porphyrio, ſed illud proprium vocat, quod extra rei eſſentiam eſt; illam tamen neceſſario conſequitur, vt ſunt propriæ rerum paſsiones, nempè reſpectu hominis, riſibilitas; rugibilitas reſpectu leonis, &c.

Vnde quadrupliciter, docet, poſſe Propriũ vſurpari: primo pro eo, quod licet ſoli naturæ ſpecificæ conueniat, non tamen cõuenit omni indiuiduo ſub tali ſpecifica natura contẽto: vt eſſe Logicum, Philoſophum, ſolum conuenit homini: non tamen omnibus hominibus, cum non omnes homines Logici ſint, & Philoſophi: ſecundo pro eo, quod, & alicui naturæ conuenit ſpecificæ, & omnibus indiuiduis illius: non tamen ſoli illi ſpeciei, vt bipedẽ eſſe, omnibus hominibus conuenit, non tamen ſolis: tertio pro eo, quod licet omnibus alicuius ſpeciei indiuiduis conueniat, ſoliſque illis: non tamen id ſemper cõuenit ipſis, ſed determinato quoddam tempore, vt in ſenectute caneſcere, inquit Porphy. conuenit omnibus hominibus, cum enim homines ſenio conficiuntur, caneſcunt: ſoli homini: non enim cætera viuentia vidẽtur caneſcere, docet ipſe; at verò non omni tempore id conuenit: nam ante ſenium non

cane-

canescit homo, vniuersaliter loquendo: vidi etenim hac ætate iuuenes, ob nimiam sollicitudinē, studiū laborem, aliasq; animi molestias, canos: quarto tandem pro eo, quod conuenit omni, soli, & semper: vt esse risibilem, conuenit omni homini, soli homini, & semper, & hoc magis propriè proprium dicitur.

Circa has quatuor Proprij acceptiones, not. est, præcipuè circa exemplum adductum pro tertia acceptione: asserit Porphyrius, caniciem soli homini conuenire: & alias Arist. 5. de generat. anim. cap. 3. & 5. docet, non solum hominem canescere, & Plin. 11. naturalis historiæ cap. 37. etiam tradit, canes, equos, lupos, & alia quoq; animalia canescere: immò ratio naturalis id apertè demonstrat: cum enim caniciei causa sit humor putrescens in radicibus capillorum, qui vi caloris naturalis iam multum extincti, & consumpti, nequit consumi: & hic humor non minus in lupis, & in equis, quam in hominibus reperiatur: imò, vt aduertit Masius relatus à Patre Didaco, lupi ex nimia voracitate redunt satis languidum calorem naturalem, vnde plus huius excrementitiæ humiditatis in illis potest generari, & minus consumi à calore naturali: sequitur euidenter, non magis hominē canescere, quam huiusmodi animalia: Vnde Porph. non est intelligendus in adducto exēplo in toto rigore: Philosophi enim in exemplis non requirunt accuratam, & omnimodam veritatem: sed quia canicies hominum est nobis magis

nota,

nota, quam canicies aliorum animalium: immò hæc neq; potest in rigore canicies appellari: vt bene notant quidam recentiores: sunt etenim, & nonnulli æqui albi, in quibus nulla canicies potest cognosci: immò, & nonnulli, qui numquam canescunt: ideò Porph. adducit exemplum de canicie hominis, &c.

Item not. est, quod inquit Porph. solũmodo Proprium quarto modo acceptum habere veri proprij rationem, nimirũ; quod conuenit omni soli, & semper: vnde patet esse falsum id; quod aliqui fatentur, nimirum, nigredinem in coruo esse propriam illius passionem, & albedinem in Cygno: tùm quia albedo, & nigredo sunt accidentia cõmunia: tùm etiam quia coruorum pulli semper albi nascuntur: immò Aristo 5. de part. anim. & 5. de generat. anim. cap. 8. Scaliger exercitatione 59. c. 1. & alij graues authores referunt, multos coruos in quibusdam partibus Scithiæ apparuisse albos: & Alfonsus Rex Siciliæ tempore Calixti Pont. Max. habuit coruum album, quem Neapoli vidisse testatur Lipontinus: immò quosdã coruos etiã canescere iam grandeuos Pater Didacus asserit, qui refert Caietanum ex Alberto tradere modum, quo Corui albescunt. Tùm tandẽ, quia propria passio rei dimanare debet ab essentia, principijsq; specificis ipsius: cum alienum omninò sit à veritate, nigredinem in Coruis, & albedinem in Cygnis proflui ab essentijs ipsorum: siquidem sunt accidentia prorsus extrinseca ipsis essentijs Coruo-

rum,

rum,& Cygnorum. Addo,quod propria passio cõuerti debet cũ specie,cuius dicitur esse propria passio,& tamen,neq; nigredo cum Coruo conuertitur, neq; albedo cum Cygno, vt patet manifestè: quare ad plurimum dicenda sunt accidẽtia inseparabilia.

Dixi,propriam passionẽ debere dimanare,& profluere à principijs specificis: quia (vt optimè docet D. Tho. cap.7. de ente, & essentia) omne accidens, etiam commune, dimanat à principijs substantiæ: albedo enim,quæ est in Petro ex temperamẽto substantiæ Petri dimanat: immò de potẽtialitatibus ipsius subiecti, cui insunt, dicuntur accidentia educi (vt in Phisicis latè disputabimus:) at verò noluit D. Tho accidentia omnia dimanare à principijs specificis,seu Metaphisicis:sed potius à principijs indiuidualibus,siue Phisicis,vt à materia, à forma, à composito: non tamen à differentijs essentialibus, nimirũ à rationalitate,quod profluat albedo Petri,&c.

Diximus præterea supra, Propriam passionẽ conuerti cũ eo, cuius dicitur esse propria passio: valet enim,inquit Porph. quicquid homo est,risibile est,& è contra,quicquid risibile est,homo est:non etenim datur homo,quin sit risibilis: neq; aliquid aliud datur risibile,quin sit homo, hoc etiam docet Arist. 1. Topic. cap.4.

Sed contra hoc posset quis obijcere: à priori ad posterius non valet consequẽtia: sed subiectum est prius passione: ergo non valet consequentia à sub-

iecto ad pafsionem: fed homo eft fubiectum rifibilitatis, quæ eft propria pafsio ipfius: ergo ab homine ad effe rifibile non valet confequentia, quod fubiectum prius fit pafsione nulli dubium eft: ma. certa; confequentia patet etiam. Refpon. tamen, maiorem illam propofitionem effe intelligendam in his, quæ fe habent ficut fuperius, & inferius, vt homo, & animal: non autem in his, quæ fe habent æqualiter, vt fubiectũ, & propria pafsio. Vel dico, Propriam pafsionem, & fubiectum non conuerti fubfiftenti prædicatione; itaut fi hæc fit directa, homo eft rifibilis, etiã, & hæc, rifibile eft homo, directa fit: & ratio eft: quia hæc propofitio: rifibile eft homo, eft indirecta; fiquidẽ (vt docuimus in noftra Parua Logica) illa dicitur prædicatio directa, quando prædicatum fe habet, vt forma, vel vt quid fuperius refpectu fubiecti: fed fic eft, quod homo, cum fit fubiectum rifibilitatis, nõ fe habet, vt quid fuperius ad ipfam, neq; vt forma refpectu ipfius: non vt quid fuperius, cum æqualiter fe habeant: non vt forma, cum potius fubiectum habeat rationem materiæ, & propria pafsio rationem formæ: fiquidem 1. Phif. dicitur, de ratione materiæ effe, fubiecti rationem habere: cum ipfa materia fit primum fubiectum, (vt eo loco docebimus) vnde colligitur euidenter, non effe directam illam prædicationem, fed indirectam.

Cæterum poffet quis obijcere contra hoc: prædicatio directa proculdubio eft illa, in qua diffinitio,

vel pars diffinitionis prædicatur de diffinito:sed homo,& quodcunq; subiectũ est pars diffinitionis suæ propriæ passionis:cũ quodlibet accidens,præcipuè proprium, diffiniri debeat per subiectum suũ: ergo subiectum directè prædicatur de propria passione, & ex consequẽti erit directa hæc prædicatio, risibile est homo. Resp.illam propositionẽ maiorem esse intelligẽdam de partibus, quæ ponuntur in diffinitione:ita ut intrinsecè,& essentialiter conueniant diffinito, quales sunt Genus, Propriũ,& Differẽtia: non verò de partibus,quæ ponuntur in diffinitione,tanquam additũ,quo modo ponitur subiectũ in diffinitione accidentium,& propriarum passionum.

Notate insuper cũ P.Didaco hic disp.9.q.1.dub.3.& Sanchez q.70.cap.de Proprio,quod quando in præsenti sermo est de Proprio,nõ intelligimus Proprium indiuiduale,& particulare: sed vniuersale,& specificũ, siuè genericũ: datur namq; Propriũ indiuiduale,quod ab indiuidua,& singulari alicuius indiuidui essẽtia dimanat: sicut enim differentiã indiuidualẽ tribuimus cuilibet indiuiduo,quæ sit ipsi essentialis,eo prorsus modo, quo speciei differentia specifica:licet nobis non innotescat:ità etiã tribuenda est omnibus indiuiduis peculiaris, & indiuidua propria passio dimanans à tali eorũ essentia, nobis etiam ignota: de hac non loquitur Porph. cum non pertineat ad rationẽ vniuersi formalis, siquidẽ quid reale est,non rationis,& singulare in vno solo indi-

uiduo, nõ in multis, quod sit talis propria pássio realis, certũ est, siquidẽ de ratione cuiuslibet propriæ pássionis est, quod cõuertatur cũ subiecto, cuius est propria passio, eiusdẽq; sit ordinis cũ illo, quantũ ad realitatẽ: cũq; propria passio indiuidualis debeat cũ indiuiduo, cuius dicitur esse propria passio, cõuertis illudq; realiter existat, sequitur, & ipsã propriã passionẽ esse realẽ. Est ergo sermo de Proprio vniuersali, siuè specificũ sit, vt est risibile respectu hominis, siuè genericũ, vt est esse diuisibile respectu quãti, q (vt dicã cap. de quãto) est propriũ ipsius. Ratio autẽ formalis huius proprij vniuersalis nullo modo dici potest, q sit realis, formaliter loquẽdo, sed tantũ intentionalis, & rationis, vt bene probat P. Didac. vbi supra, & ratio est: quia, vt sæpius diximus, adhoc, vt aliquid dicatur pluribus inferioribus cõuenire formaliter, necessè est, abstrahatur primo ab ipsis, & postea per actũ cõparatiuũ intellectus cõparetur illis pluribus: hoc autẽ nequit risibilitas, v. g. ex se habere, & à parte rei, sed solũmodo per operationẽ intellectus: ergo, &c. Adde, quod ratio proprij vniuersalis non est ratio plurium, sed vnius: non vnius numerici: ergo, vel specifici, vel generici: sed diximus, nullam aliam vnitatem dari realem, & a parte rei præter vnitatem numericam: vnitatem autem specificam, & genericam esse vnitates rationis: ergo, &c. & hæc circa textum.

DISPV-

# DISPVTATIO OCTAVA
## DE PROPRIO QVARTO
## PRAEDICABILI.

SOLENT hic recentiores disputare: An reliqua Propria, à Porphy. assignata pertineant ad hoc prædicabile, vt videre præsertim est apud P. Dida. hic disp.6. q.1. dub. 1. Sanchez q.70. Ruuio cap. de proprio q.1. & alios fære omnes: sed nullius momenti videtur esse quæstio: præterquam quod omni caret difficultate: siquidem Aristo. 1. Top. cap. 4. hæc habet de Proprio, quod nos quarto modo dicimus (Proprium est, quod nõ indicat quid est esse rei: soli autem inest, & conuersim prædicatur.) De alijs etiam proprijs à Porphy. positis sic habet. (Nemo enim proprium dicet, quod contingit alijs inesse, neq; si forsitã per aliquod tẽpus inest soli, &c.) & in fine capitis inquit: (Manifestum est autem ex his, quoniam accidens nihil prohibet, & quando, & ad aliquid proprium fieri: simpliciter autem proprium nõ erit, &c.) vbi notant communiter expositores, præsertim Ruuio loco citato, quod per Proprium, Ad aliquid, intelligit Proprium acceptũ primo, & secundo modo: quia in ordine ad alia tale dicitur, hoc est: quia conuenit soli, & non omni; vel omni, & non soli. Per proprium autem, Quãdo, intelligit Proprium tertio modo acceptũ: nam, Quãdo, significat tempus, & cũ Proprium tertio modo solum conueniat pro determinato tempore, dicitur ab Arist. Proprium Quando.

Sed, & ipsemet Porph. hoc etiam expresse manifestat cap. vltimo sui libri, vbi de differentijs prædicabilium inter se, & in quibus conueniant disserit: docet enim inter alia in tribus distingui quartum, & quintum prædicabile: primo, quia Proprium solum conuenit vni speciei, cuius essentiam sequitur, eiusq; indiuiduis: accidens verò pluribus alijs cõuenit: differunt verò, quia proprium conuertibiliter prædicatur de subiecto;

iecto; quomodo nequit prædicari cõmune Accidẽs: vltimo, quia Proprium non suscipit magis, & minus; sed communia Accidentia suscipiunt. Hæc autem triplex differẽtia respectu Accidentis solum cõuenit Proprio quarto modo: ecce quodomo Porph ipse docet, solum Propriũ quarto modo acceptum ad hoc Prædicabile spectare.

Cæterum potest primo esse dubitatio de exẽplis adductis à Porph. in prima acceptione Proprij, nimirum, illud esse, sçù dici primo modo Propriũ, quod cõuenit soli, sed non omni, vt esse Medicum, Geometram, &c. siquidem, licet actu Medicum esse, & Geometram sint Accidentia cõmunia, cũ possint adesse, & abesse, absq; subiecti corruptione: tamen aptitudo, & potentia ad quamcumq; facultatem, & scientiam proculdubio ità propriè conuenit homini, vt nulli alteri speciei valeat conuenire: immò hoc, quod est, esse disciplinabile, scientiarumq; capax, ab ipsa hominis essentia dimanat, & natura: vnde Aristo. inquit, omnis homo naturaliter scire desiderat, idest, habet inclinationem, & aptitudinem ad scire; quatenus intellectualis naturæ est.

Verum pro solutione istius dubij nota cũ Sanchez, & Rubio vbi supra, quod esse Medicum, Geometrã, &c. potest tripliciter considerari, vel pro illa aptitudine, & capacitate, sçù pro illa vniuersali inclinatione, quæ in omnibus est hominibus ad scientias: omnes namq; homines (vt dicebat Arist. & bene adducitur in dubitatione) natura sua scire desiderãt; ex eo, quia (vt optimè D.P. August.) creauit Deus hominem, vt summum Bonum intelligeret, idq; medijs scientijs per ipsum acquirendis, & vt sic certum est, talem capacitatem pertinere ad Proprium quarto modo dictum: cõuenit enim omni, soli, & semper; prouenit à principijs specificis naturæ: & conuertitur cũ ipsa specie: omnis namq; homo disciplinæ capax est; & è contra, quicquid est capax disciplinæ est homo; & non intelligit hoc Porph. in exemplis adductis de Proprio primo modo sumpto.

Secun-

Secundo potest vsurpari ly, esse Medicũ, &c. pro peculiari inclinatione, & aptitudine alicuius indiuidui ad hanc peculiarem sciẽtiam potius, quã ad alias: certum enim est, aliquos magis inclinari ad Medicinam, quàm ad Theologiam, alios magis ad Astrologiã, &c. quæ inclinatio oritur in indiuiduis, ex principijs indiuidualibus, idest particularibus: non enim ĩmediatè oritur à forma specifica, & à natura intellectuali, vt sic, sed potius à natura intellectuali, quatenus est in tali indiuiduo, & non in omnibus: & vt sic potest dici proprietas indiuidualis Petri, Francisci, &c. non tamen quarto modo, & in rigore, cum etiam alij possint eandem inclinationem habere, & sic potius pertinebit ad Propriũ secundo modo, licet enim conueniat Petro, v.g. non tamen soli.

Vltimo potest ly, esse Medicum vsurpari pro actuali denominatione, idest actu esse in facultate Medica, vel Geometrica, &c. versatum, & sic inquit Porph. esse Propriũ primo modo: hoc enim conuenit solis hominibus; nõ tamen omnibus.

Secundo potest esse dubitatio de Proprio secundo modo accepto, nempè, de eo, quod conuenit omni, & semper: nam de ratione Accidẽtis quinti Prædicabilis est, quod cõtingenter conueniat, non necessario, siquidem necessario alicui conuenire, est de ratione Proprij quarti Prędicabilis: sed quæ cõueniunt omni, & semper, necessario conueniunt: nam si non necessario conuenirent, non conuenirent omni, & semper, vt patet: ergo Propria sub hac acceptione sumpta habẽt veram rationem Proprij quarti Prędicabilis, & nõ Accidentis communis: quæ ratio mouit Fonsecam 5. Meth. cap. 28. q. 19. sect. 4. ad primum, & secundũ: Louanienses hic, & alios ad asserendum, etiam Proprium secundo modo habere rationem quarti Prædicabilis.

Cæterum friuola quidem est ratio: etenim si vim aliquam haberet, concluderet etiam de albedine Cygni, & nigredine Corui, quæ sunt Accidẽtia inseparabilia, & cõueniunt omni, & semper, quod pertinerent ad quartum Prædicabile, quod

patet

patet esse falsum: licet namq; inseparabilia sint, sunt nihilominus communia, & ad quintum prædicabile spectantia: siquidem possunt adesse, & abesse præter subiecti corruptionem: & quamuis nequeant secundum rem separari, sufficit, inquit Porph. quod per intellectū concipi possint abesse à *subiectis*, salua integritate essentiali, & omninò completa rei: certum enim est, intellectum nostrum posse concipere coruum, absq; nigredine: immò cum opposito eius, nimirum cū albedine; & è contra Cygnum, absq; albedine: immò cum nigredine, quid enim hoc prohibet? & tamen inuariata maneret, & inoffensa essentia, entitas, & substātia ipsorum. Adde, quod ad rationem proprij quarto modo accepti, requiritur, quod dimanet à principijs essentialibus, & specificis naturæ, cuius dicitur esse proprium, albedo autem in Cygno, & nigredo in Coruo, quis vnquam dixit, in illis prouenire, & emanare ab eorum essentijs, & naturis? Ita dicendum est ad propositam dubitationē, bipedem esse, &c. quod est proprium ex Porph. secundo modo, licet conueniat omni, & semper: cū non conueniat soli, accidens est commune: potest namque adesse, & abesse præter corruptionem essentiæ, licet non secundū rem, naturaliter loquendo, ad minus secundum rationem: possumus enim hominem sine bipeditate concipere, & tunc carentia bipeditatis, quid detrahet essentiæ hominis? nihil profecto; præterquāquod de facto, licet præter naturaliter, visi sunt homines monstruosi, vel omninò, absq; pedibus, & *cruris*, vel cum tribus, & quatuor etiā pedibus: & tamen homines essentialiter erant: præterquamquod, esse bipedem non prouenit ex principijs essentialibus, & specificis naturæ, cū huiusmodi partes dicātur partes integrātes, non essentiales, quas à quantitate recipit substantia, cum illas non habeat ex se, & ex natura sua: dicam enim infra cap. de quantitate, & etiam in Phisica, quod si Deus tolleret à substantia quantitatē, nullo pacto illa substantia haberet huiusmodi partes: quare ex dictis constat, solummodo proprium illud, quod conuenit omni

soli,

solij, & semper modo supra explicato, pertinere ad hoc quarto prædicabile.

Ommittentes igitur hanc quæstionẽ, posset esse alia quæstio de diffinitione Proprij, de qua tamen satis dictum est in superioribus prædicabilibus, vbi omnium prædicabiliũ diffinitiones, tàm essentiales, quàm descriptiuas assignauimus. Quarè sit.

## SECTIO PRIMA.

*An Proprium induat rationem quarti prædicabilis per ordinem, quem dicit ad speciem, cuius est proprium: an verò per ordinem, quem dicit ad indiuidua illius speciei?*

PRO tituli intelligentia not. est, quod licet detur etiam propriũ genericum, quod cum genere, seù specie intermedia cõuertitur, & ab eius essentia dimanat, & respicit illius generis species subijcibiles, de quib⁹ prædicatione proprij quarti prædicabilis prædicatur, ꝙ solet à quibusdã dici Propriũ subalternum, vt est, esse diuisibile, respectu quãtitatis, quod cum ipsa quantitate conuertitur, & dimanat ab eius essentia, nempè ab hoc, quod est, habere partem extra partem, & prædicatur de linea, superficie, corpore, &c. quæ sunt ipsius quantitatis species: eo prorsus modo, quo datur proprium infimũ, seù specificũ, quod conuertitur cũ sua specie, vt est, esse risibile, quod conuertitur cum homine, dimanat ab hominis essentia, nimirũ à rationalitate, & prædicatur de indiuiduis, &c. tamen titulus quęstionis solum petit de hoc vltimo proprio speciei specialissimæ: nam id, quod de hoc determinabitur, erit etiam verũ de Priori Proprio: an scilicet habeat rationem quarti prędicabilis ꝑ ordinẽ ad genus, an verò per ordinẽ ad inferiora generis, nempè ad species?

De hac re disputant omnes Doctores hoc loco, nõ tamẽ

omnes eodē modo Philosophantur, Louanienses.n. hic Fonf. 5. Meth. c. 28. q. 19. sect. 2. P. Did. hic disp. 9. q. 2. dub. vltimo, Sanchez q. 71. & alij quamplures docent, Propriū nullo modo posse dici vniuersale, nec habere rationē quarti prædicabilis respectu speciei, è cuius essētia dimanat: sed respectu indiuiduorū absolutè. Cuius sententiæ ratio fundamentalis ea est: quia de intrinseca ratione vniuersi formalis est, quod actu plura respiciat, (vt passim dictū est in superioribus:) sed quando Proprium de specie prædicatur nō refertur ad plura actu, sed ad vnum (vt patet:) ergo nullo pacto habebit rationē vniuersi formalis per ordinē ad speciē, sed per ordinē ad indiuidua, siquidē tunc quando comparatur ad indiuidua dicitur plura respicere. Adde, quod prædicatio vniuersalis debet esse prædicatio superioris de suis inferioribus: species autem nō dicitur inferior Proprio, cū sit illi æqualis: ergo non poterit habere rationem vniuersi formalis p ordinem ad speciē: At cum respectu indiuiduorū videatur esse superius: in ordine ad indiuidua habebit rationem vniuersi formalis.

Albertus Magn. tract. 5. de Proprio cap. 1. Caiet. & Conim. q. 1. huius cap. Tolet. in fine eiusdem, & alij etiam multi è contra docent, Proprium habere rationē vniuersi formalis, ex eo præcisè, quod speciem respicit, non indiuidua. Probant autē sic primo hanc sententiā: Arist. 1. Top. cap. 4. diffiniens proprium inquit, illud conuersim de re prædicari: tunc sic: Propriū dicitur Proprium per ordinē ad id, cum quo conuertitur: sed nō dicitur conuertibiliter de indiuiduis, sed solum de specie: ergo per ordinē ad speciem præcisè, & non ad indiuidua habet rationem vniuersi formalis. Dices, falsam esse consequentiā: nam licet respectu speciei dicatur Proprium, nō tamen per eundem ordinem ad speciem dicitur vniuersale formaliter: sed potius per ordinem ad indiuidua.

Sed cōtra: nam Proprium, respectu quorū est propriū, est etiam vniuersale formale: sed

sed est proprium per vos respectu speciei; ergo respectu speciei est vniuersale formale. mi. cum consequentia patent. ma. prob. quia Proprium inquantum Proprium est vniuersale; ergo respectu quorũ est proprium, est etiã vniuersale formale: antecedẽs prob. Proprium inquãtum propriũ prædicatur de multis conuertibiliter: sed de multis prædicari pertinet ad vniuersale formale: ergo Propriũ inquãtum proprium est vniuersale formale.

Secundo probant: nam risibile, v.g. prædicatur immediatè de homine, & mediatè de Petro, & Paulo: ergo habet rationem vniuersalis per ordinem ad speciẽ, & nõ per ordinem ad indiuidua: consequentia patet: nam in illo priori, quãdo concipimus risibile prædicari de homine, & non dum concipimus prædicari de indiuiduis, vel tũc habet rationem vniuersi formalis, vel non: secundũ dici non potest, quia prædicatur de subiecto vniuersali, vnde non potest esse prædicatum singulare: ergo antequam cõcipiamus Proprium prædicari de indiuiduis, iam concipimus illud, vt vniuersum formale: sed hoc est, quia prædicatur de homine: ergo habet rationem vniuersi per ordinem ad speciem, & non per ordinem ad indiuidua: probatur autẽ illa ma. nimirũ, risibile prædicari immediatè de homine, & mediatè de Petro, & Paulo: quia ideò Petrus est risibilis: quia homo est risibilis: nec enim risibile esset in multis indiuiduis naturæ humanæ; nisi prius conueniret homini.

Dices, risibile posse comparari duntaxat cum specie, è cuius essẽtia manat, & sic esse prædicatũ immediatũ æquale cum illa, & nulla ratione superius: vnde nec vniuersale est respectu speciei: potest etiam cõparari in ordine ad Petrum, Paulum, & reliqua indiuidua, & sic habet rationem vniuersi formalis, & immediatè prædicatur de illis prædicatione vniuersalis, & non mediante homine.

Sed contra: nam in hoc syllogismo: omnis homo est risibilis; Petrus est homo: ergo Petrus est risibilis: probamus

risibile de Petro mediatè homine: ergo illa prædicatio: Petrus est risibilis: non est immediata prædicatio vniuersalis: ergo prius, vt vniuersale, prædicabitur de homine.

Dices: in esse rei, & primo intentionaliter loquẽdo, conuenire Petro esse risibile mediante homine: nam hæc causalis est vera: quia homo est risibilis Petrus est risibilis: tamen, secũdo intẽtionaliter loquendo, & in esse vniuersalis, immediatè prædicatur risibile de Petro, & Paulo, tanquã vniuersale de suis immediatis inferioribus, à quibus est abstractũ, nec id conuenit ei mediante aliqua alia prędicatione vniuersali.

Sed contra: quia modus prędicandi sequitur modum essendi, & fundatur in illo: ergo si in esse rei Petro conuenit esse risibile mediante homine, etiam conueniet in esse prædicabilis: atque adeò illa erit mediata Petrus, est risibilis: illa autem immediata: homo est risibilis.

His tamen, & alijs non obstantibus, pro Dilucidatione huius quæstionis not. quod eo dẽ modo de Proprio philosophandum est, ac de Differentia supra diximus; possumus enim Propriũ, & primo intentionaliter, & secũdo intentionaliter cõsiderare. Proprium primo intentionaliter sumptum est natura ipsa Proprij, nimirum risibilitas, v.g. quatenus cõcipitur dimanãs à principijs essentialibus naturæ specificæ, scilicet humanę, quæ per abstractionẽ redditur (sicut de omni vniuersali suo loco diximus) vniuersa Metaphisicè: Proprium verò secundo intẽtionaliter sumptum est eadẽ natura pluribus inferioribus comparata, ex qua cõparatione resultat illi denominatio vniuersalis formalis. Hoc adnotato.

Sit prima Conclusio cum authoribus primæ *sententiæ*, nempe: Proprium, in quantum vniuersum quoddam est, dicitur vniuersum Logicũ, & formale ex eo præcisè, quod dicit ordinem ad indiuidua speciei; non verò, quia respicit speciem, à cuius essentia dimanat. *Hæc* cõclusio ex his, quæ diximus in disputatione de vniuersalibus satis liquet;

cuius

cuius præcipuum fundatum supra positū est in probatione primæ sententiæ. Præter quod Adde pro confirmatione illius rationis: si Proprium haberet rationé vniuersi formalis ex eo præcisè, quod dicit ordiné ad speciem, sequeretur, quod eius essentialis ratio posset per ordinem ad solam speciem saluari, præscindēdo omninò ab indiuiduis: hoc est falsū: ergo, &c. maior cū consequentia patent: quia si nequit eius essentia in hoc ordine saluari, neq; dicendū est, in hoc ordine præcisè cōsistere: mi. verò probatur: quia essentia Proprij, quatenus est quoddam vniuersum, est esse vnum in multis sed hoc præcisè, quod est esse vnū in multis nequit saluari in illo solo ordine ad speciem: siquidem in specie tunc consideratur solummodo eius natura, non multa inferiora: ergo, &c.

Dices: verum esse, in specie non esse plura actu, & formaliter: sed esse plura in potētia, & in virtute. Sed contra, quia potius natura specifica, tunc abstrahit à pluralitate indiuiduorum eius, siquidē abstrahit ab omni indiuiduali conditione, & omnia indiuidua in specie sunt vnum, & non multa, vt optimè Porphy. docuit, omnes homines participatione speciei esse vnum hominem: ad rationē autem vniuersi formalis requiritur non solum vnitas, sed etiam ipsa natura actu cōcepta, vt à pluribus participata, hinc enim docent sacri Theologi, naturam Diuinam non posse esse vniuersam formaliter, cū non reperiatur partita in Patre, Filio, & Spiritu sancto.

Sed Dices cū alijs, Propriū, cū prædicatur de specie, esse vniuersale formaliter, ex eo, quod species, de qua prædicatur, est vniuersalis, & prædicatum nequit esse deterioris conditionis ipso subiecto; vel enim communior esse debet illo, vel illi adminus æquale: vnde cum species sit vniuersalis, id quod de specie prædicatur, ex eo præcisè, quod de subiecto vniuersali prædicatur, vniuersale est: & sic Proprium per ordinem ad speciem est vniuersale.

Sed Contra: quia quando Proprium de specie prædicatur

tur

tur nõn est tunc species vniuersa formaliter, sed Methaphisicè, seu negatiuè, vt in disputatione de specie dictũ est; cũ tunc species habeat rationem subijcibilis, non prædicabilis: vnde non dicit ordinem ad inferiora, sed tantũ ad sua prædicata, quæ actu cõtinet: & sic ad summum in illa prædicatione habebit Proprium rationẽ prædicati cõmunis; non verò vniuersi formalis, seu prædicabilis vniuersalis.

Sit modo secunda conclusio cum Ruuio hic quęstione secunda: Proprium quartum prædicabile, in quantum est quartũ prædicabile, & quantum vniuersale, nõ habet esse tale vniuersale solummodo per ordinẽ ad indiuidua; sed per ordinem ad indiuidua, prout participant rationem speciei: hæc cõclusio est satis clara, neq; aliqua probatione indiget: in Proprio enim duo considerantur, & ratio communis vniuersi formalis præcisè: & particularis ratio essendi in multis, & predicandi de multis, per quam distinguitur à reliquis prædicabilibus: diximus in prima cõclusione, rationem vniuersi formalis precisè habere Propriũ per ordinem ad indiuidua; siquidem vniuersum formale petit plura inferiora pro termino: at verò rationem talis vniuersi formalis, nẽpè quarti prædicabilis, nequit habere per illum eundem ordinẽ precisè, prescindendo omninò ab ordine ad speciẽ; nam proprium non dimanat ab essentijs indiuidualibus indiuiduorum, sed ab essentia speciei: nec primo, & per se dicitur Proprium indiuiduorum, sed quatenus participant rationẽ naturæ specificæ, cuius principaliter est Propriũ; nec cum ipsis indiuiduis precisè conuertitur, sed cum specie: quarè concludimus (vt bene omnia hæc vidit P. Ruuius) rationem Proprij, prout tale vniuersale est, habere Propriũ per ordinem ad indiuidua, vt participant rationẽ speciei.

Vnde argumenta secundæ sententiæ, quæ aliquo modo videtur contra nos militare, facile soluuntur, & ad primũ, optimè ibi responsũ est; Proprium namq; præcisè, primo intentionaliter sumptũ, cum intel-

intelligatur dimanare à principijs essentialib. naturæ specificæ, dicitur principaliter ipsius naturæ specificæ esse propriā passionē: non autem per hunc ordinē præcisè efficitur vniuersum formale.

Ad replicā verò, cum dicitur; Proprium, in quātum proprium, prædicari de multis: distinguēda est hæc propositio, Proprium primo intentionaliter sumptum, in quātū tale, prædicatur de multis, neg. secundo intentionaliter, conc. & tunc concedo etiam minorem, & dist. consequens: ergo Proprium, in quātū Propriū, primo intētionaliter sumptū, est vniuersale formale, neg. consequentia: secundo intentionaliter, conc.

Ad secundum, optimè responsum est ibi, & ad vltimā replicam dico illam propositionem, nimirum: modus prædicandi sequitur modū essendi: sic esse intelligendam: modus prædicandi sequitur modum, quo intellectus cōcipit, naturam esse in multis: non autē sequitur modum essēdi in re ipsa ipsius naturæ: siquidem natura in re est vna in vno, & multiplex in multis: non tamen ita est modus prædicādi ipsius: sed vna de multis prædicatur: est ergo illa propositio sic glosāda, quod modus prædicandi sequitur modum, quo intellectus concipit naturam esse: cumq; intellectus concipiat primo, & immediatè naturā esse in pluribus: modus prædicandi cuiuslibet vniuersi est, prędicari primo de pluribus: bene verū est, quod loquendo de Proprio, quatenus tale vniuersū est, cum cōcipiatur esse in indiuiduis, non independenter à specie: sed quatenus participāt ipsam naturam specificam, modus etiam prędicādi Proprij, vt quartum prædicabile est, est prædicari de illis indiuiduis, prout participant illam specificam naturam, è cuius essentia emanat.

SEC.

## SECTIO SECVNDA.

*Vtrum Propria passio, saltem per Diuinam potentiam, possit ab eo, cuius est Propria passio separari?*

PRO tituli intelligentia not. est, quod passio potest multifariã, multisq; modis vsurpari: primo pro passione, quæ est vnum ex decẽ prædicamentis: secundo pro passione, quæ est quædã qualitatis species, tertia in ordine: & tertio pro passione, quæ dimanat ab essentia rei specifica. Certũ est, in præsenti nos tantum loqui de passione tertio modo accepta: sed adhuc passio hæc diuiditur in passionem transcendentem, vt sunt propriæ passiones entis, nimirum: verum, bonum, aliquid, res, vnum, &c. in passionem, quæ est quædam propensio, & inclinatio, seù potentia ad actum substantialẽ, vt est potentia, & appetitus materiæ primę ad formam: & tandem in passionẽ, quæ dicit potentiam accidentalem, siuè ad actum accidentalem, vel illa sit ad recipiendũ, vel ad agendum, seù ad eliciendum, quæ passiones dicuntur potentiæ actiuæ, vel passiuæ, huiusmodi dicuntur esse, intellectus, voluntas, & reliquæ potẽtiæ, tùm rationales, tùm sẽsitiuæ: vt quando intellectus intelligit, elicitq; actionẽ intelligendi, dicitur potentia actiua: q a actiuè se habet respectu intellectionis: quando verò speciẽ intelligibilem recipit, dicitur potentia passiua: vnde dictus est intellectus patiens, seù passibilis: ex his certum est apud omnes, passiones entis nõ differre realiter ab ipso ente, sed solummodo ratione, vt optimè docuit Arist. 4. Meth. tex. 2. & D. Tho. *ibid. lect. 4. cuius* fundamentalis ratio esse põt: quia passiones entis essentialiter includunt in suo conceptu ipsum ens, & non addunt aliquam realitatẽ supra illud: vnde si ens realiter ab illis distingueretur, cũ id, quod realiter ab altero differt non sit illud, à quo differt: accidens

enim,

enim, quod realiter differt à substãtia, nullo pacto substantia est; & lapis qui realiter differt ab homine, nullo modo est homo, &c. sequeretur, quod passiones entis non essent entia: & cum quicquid non est ens sit nihil, nihil etiam illæ passiones essent: quarè dicendum est, nõ distingui realiter ab ente eius passiones; & ex consequẽti, neque posse per Diuinam potẽtiam separari, cum Deus nõ possit separare ab aliquo id, quod est de intrinseca, & essentiali ratione ipsius, & nõ distinguitur realiter ab illo.

Item certum etiã est apud omnes (vt dicam 1. Phis.) potentiã materiæ primæ ad formã substantialem in cõmuni, (quã appello eo loco potentiam radicalem, & remotam: nam potẽtia proxima nõ est ad formam in communi, sed ad hanc, vel hanc in particulari,) neq; realiter ab ipsa materia distingui, cũ sit ipsamet essentia, & quidditas materiæ primæ, & ex consequẽti, neque hanc potentiam posse Deum ab ipsa materia separare: restat ergo tantum disputanda quæstio de potẽtijs ad actus accidentales, siuè sint actiuæ, siuè passiuæ. An scilicet, saltem per Diuinã potentiã, possint à proprio subiecto separari, vt risibilitas, quæ dicit potentiam ad actum videndi, ab homine.

Quæ quæstio vnum supponit, & alterum quærit: quærit (vt dixi) de separatione per Diuinã potentiã: & supponit, ꝓprias passiones realiter distingui ab essentia, cuius sunt propriæ passiones, & à qua dimanant. Suppositũ certum est hodie apud omnes, licet Greg. in 2. dist. 16. q. 3. Marsil. q. 7. art. 7. & Buridanus 2. de Anima q. 6. citati à Murcia 3. de Anima disp. 2. q. 1. oppositum docuerint de potentijs animæ, quæ sunt quædã propriè passiones ipsius dimanãtes ab illa; nimirum, non esse entitates realiter diuersas ab anima, sed solum ratione; & ex consequẽti eodem modo differre proprias passiones ab essentijs. Verum nostrum suppositum tenent D. Tho. p. p. q. 77. ar. 1. & q. 54. ar. 3. Alex. Alen. 2. p. q. 21. memb. 1. Alber. Magister in 1. distin. 3 ibi

Capreo q. 4. noster Argentinas art. 2 & reliqui D. Thom. discipuli super loca citata cũ Caiet. Sotus hic q. 2. Iauel. 2. de anima cap. 3. ibid. Illustrissimus Toletanus noster q. 3. ar. 3. & etiam in primo dist. 3. q. 1. art. 3. & 4. Murcia loc. cit. Pater Didacus hic disp. 9. q. 1. Ruuius 2. de anima c. 3. tract. de potẽtijs animæ q. 1. Tolet. etiam 2. de anima q. 9. & supponitur hoc loco etiã à Sanchez q. 76. sed (vt bene notãt ferè omnes) rationes, quæ adducuntur à Doctoribus, præsertim à D. Thom. & à nostro Toletano ad hoc probãdum non sunt adeò efficaces, vt videantur hanc veritatem demonstrare: sufficit ergo illas probabiliter cõcludere. (Habebis tamen in nostro tractatu de Gratia, quam primum Deo dante typis excudendo lib. 2. agẽtes de gratiæ subiecto fusius hanc quæstioné examinatã.) Potest ergo veritas ista sic probari. primo ratione desumpta ex ipso D. Th. nam in substantijs creatis, esse, & operari realiter distinguntur: quia potest inueniri esse sine operatione saltem de potentia Dei absoluta: posset enim Deus denegare concursum entibus creatis, quo cõcurrit ad eorum operationem, per quam subtractionem concursus non annihilaretur vtique ipsum ens: bene quidem est, quod non operaretur: ergo potentia, quæ prius respicit esse, distinguitur realiter à potentia, quæ prius respicit operari; sed potentia, quæ prius respicit esse, est subiectum, & potentia, quæ prius respicit operari, est ꝓpria passio: ergo ꝓpria passio distinguitur realiter à subiecto. Adde: quia actus, & potentia debent in eodem prædicamento collocari: ergo propria passio, quæ dicit potentiã ad actum accidentalẽ, vt risibilitas ad ridendum, &c. collocabitur in prædicamento accidentis, sicut ipse actus. Tũc sic: subiectum propriarũ passionum est substantia; sed substantia differt realiter ab accidẽti: ergo realiter differt propria passio à subiecto, & è contra. Adde, nam (vt dicã in Prædicamentis) naturales potentiæ collocantur sub qualitate, tãquam species ipsius, quæ qualitas acci-

accidens quoddã eſt. Vel adde cum noſtro Toletano lib. 2. de anima q. 3. quia omnis effectus immediatus debet aſſimilari ſuæ cauſæ: agens, n. ſemper intẽdit aſſimilare ſibi paſſum: ſed effectus immediatus cuiuslibet propriæ paſſionis eſt accidens (vt diſcurrẽti facilè patebit:) ergo, & ipſa propria paſſio erit accidens, & ex cõſequenti realiter diſfert à ſubiecto, & eſſentia.

Vel poteſt ſecundo principaliter eadẽ veritas probari: quia Propria paſſio prædicatur de ſubiecto in ſecũdo modo dicendi per ſe, (vt docet Ariſto. 1. poſt. tex. cap. 9.) ſed omnia, quæ ſic prædicantur, diſtingũtur realiter ab eo de quo prædicantur ergo, &c.

Et tandem omnes rationes, quibus probari ſolet ſecũdo de anima, potẽtias animæ realiter diſtingui ab ipſa anima, faciunt in confirmationẽ huius veritatis, illas omnes habebis lib. 2. cit. de Gratia.

Neq; valet primo dicere: ſicut ſe habet res ad eſſe, ità ſe habet ad operari: ergo idem eſt principium operandi, & eſſendi: ſed ſubiectũ p ſuammet entitatẽ, & eſſentiam eſt principium eſſendi, & nõ per aliquid diſtinctum ab ipſo: ergo ſi aliquid eſt principiũ operandi in ipſo, non diſtinguitur realiter àb illo, ſed eſt ipſummet ſubiectum, & ipſamet eſſentia ſecundum rem, ſub diuerſis tamen rationib⁹.

Nam Reſpondeo verũ eſſe, eſſentiá eſſe principium etiá operãdi: aſt non immediatũ, & proximum: ſed remotum, ſubſtantiale, & radicale: propria autẽ paſſio eſt principiũ proximum immediatum, & accidentale: vnde illud prius antecedens, nempè, ſicut ſe habet res adeſſe, ità ad operari, poteſt eſſe verum, ſi ſic intelligatur, nimirũ, quod, ſicut ipſa res ex ſe eſt principium radicale, & ſubſtantiale eſſendi, ità etiá eſt principium radicale, & ſubſtantiale operandi: tamẽ ſi intelligatur, quod eodem modo, ſicut eſt proximum principiũ, & immediatum eſſendi, ità etiam ſit immediatum, & proximũ principium operandi, falſum eſt omninò.

Sed not. quod ſupra dixi mus in prima probatione hu-

ius suppositi ex D.Th. In substantijs creatis esse, & operari realiter distingui: nam in accidentibus nõ est idem iudiciũ faciẽdum de principio essendi, & operãdi: siquidem eadẽ accidẽtis entitas, & forma est, & immediatum operationis principiũ: & ratio huius differẽtiæ est: quia formæ accidentales non tantum ordinantur immediatè ad esse, sed etiam ad operari: qua ratione calor est immediatum principium essendi, & operandi: accidentia enim sũt, quasi instrumenta substantiæ: at verò formæ substantiales potius ordinantur primario ad esse, quam ad operari, & hoc colligimus à posteriori in formis nõ viuentibus, qualis est forma ignis; illa .n. ordinatur ad operandum medio calore.

Si autẽ obijcias: si subiectũ, seu essentia nõ posset esse immediatum principium suarũ operationum, nisi mediante propria passione à se realiter distinctà, sequeretur neq; posse esse immediatũ principiũ ipsarũ passionũ, nisi mediante aliqua alia potẽtia, vel virtute accidẽtaria, & sic daretur processus in infinitum in proprijs passionibus, quod est inconueniens: ergo dicendum est essentiam esse immediatũ principiũ suarũ operationũ.

Respon. primo cũ Murcia loco supra cit. in responsione ad tertium, vbi glosat illã propositionẽ desumptã ex Arist. 2. Phis. nimirũ, substantiam non esse immediatum principium operandi: & ait, illã esse intelligendam de substantia perfectè producta: tunc autẽ (inquit) substãtia aliqua censetur perfectè ꝑducta, quando nõ solum quantũ ad suam entitatem substantialem, sed etiam quantũ ad sua accidentia est perfectè producta: tũc enim substantia operatur medijs suis accidentibus: tamen substantia antequam producantur passiones, & potentiæ eius est imperfectè producta; & ità non est *mirum*, quod sit immediatũ principiũ producendi suas passiones, vt in suo esse cõpleto perficiatur. Hæc solutio fortiter reijcitur à nobis lib. 2. de Gratia.

Vel secundo Respõdetur, & melius cũ nostro Doctiss. Toletano loco etiam cit. in

respon-

responsione ad rationes principales ad primã art. 3. quod non est simile de potentijs, & actibus, siuè operationibus: nam supposito, quod anima sit principium originans suarum potẽtiarum; sunt tamen potentiæ accidentia permanentia: actus verò sunt accidentia fluentia: & ideò licet actus nõ possint causari, siuè fundari ab essentia, quæ est p se stans, nisi mediante potentia, quæ est accidens permanens: quia in essentialiter ordinatis nõ est transitus de extremo in extremum, nisi per medium: poterunt tamen potentiæ fundari in ipsa essentia animæ, vel ab eadem originari, nullo alio mediante: quia tenẽt medium inter essentiã, & operationẽ, & de extremo ad mediũ non oportet, quod fiat trãsitus per aliud mediũ, alias esset processus in infinitũ. Vide alias duas solutiones illius obiectionis ex Ruuio, & Caiet. desumptas loco citato de Gratia.

Quod si obijcias, in essentialiter ordinatis, sicut infimum, medium, & supremũ: quicquid cõpetit infimo, & supremo, debet etiã competere medio: sed forma accidentalis, & forma substantialis, & Deus sunt adinuicẽ ordinata, sicut infimũ, medium, & supremũ, & ipsi Deo cõpetit agere immediatè p essentiam suam, aliter esset compositus: forma accidẽtalis etiam habet hoc idem: aliter esset processus in infinitum in formis accidentalibus: ergo agere immediatè necessariò debet etiam competere formæ substantiali, cum teneat medium inter ista. Et Confirmatur ista ratio: quia illud, quod conuenit perfectissimo enti, quale est Deus, magis debet cõpetere ei, quod magis appropinquat ipsi Deo, quã ei, quod magis distat ab eo: sed Deus per se ipsum immediatè, & sua essentia est sibi ratio agẽdi; cum ergo hoc competat calori, se ipso agere: quia non agit mediãte alia forma, multo fortius debet competere formæ substantiali, quæ propinquior est Deo, quã sit calor: quarè, &c.

Adde in confirmationem eiusdẽ rationis: quãdocunq; aliqua sunt essentialiter ordinata,

nata, sicut superius, & inferius, sicut magis perfectum, & minus perfectũ: quicquid est perfectionis in inferiori, & minus perfecto, totum illud est in superiori, & magis perfecto: aliter magis perfectũ esset minus perfectũ, quod est oppositum in adiecto: sed forma substãtialis, & forma accidentalis sic sunt adinuicẽ ordinata, quod forma substantialis est superior, & pfectior forma accidentali, & formæ accidentali competit esse immediatũ principiũ suæ actionis: ergo multo fortius debet hoc competere formæ substantiali.

Respondeo ad argumentũ principale cũ Toletano ibid. art. 1. quod Deo competit, ꝙ sit ratio agendi sibi ipsi, & nõ alteri: est .n. agens, idest ratio agendi sibi ipsi, & non alteri: quia se ipso agit: hoc autem nõ competit formæ accidentali: non enim est ratio agẽdi sibi, sed alteri: calor enim nõ est ratio agendi sibi, sed igni. Primum istorum dicit perfectionem simpliciter, quæ non potest competere alicui enti creato. Secũdum verò magis imperfectionem dicit, quod .n. sic est ratio agendi, est accidẽs alteri, vt qualitas. Et ideò formæ substãtiali, quia tenet medium, nec debet cõpetere vnum istorum, nec reliquum: sed tenebit medium: quia nõ aget se ipsa: quia hoc solum cõpetit Deo naturaliter: nec est immediata ratio agendi alteri: quia hoc cõpetit accidẽti: sed est principalis ratio agendi supposito: & hoc est proprium sibi; & per hoc patet responsio ad priorẽ Confirmationem: procedit enim ratio cum confirmatione ex falso fundamento: nam præsupponit, ꝙ immediatè agere, eodẽ modo cõpetat Deo, & accidenti, quod est falsum, vt patet ex dictis.

Ad secundam confir. quicquid sit de propositionib⁹ in se, dico: quod esse immediatũ eo modo, quo est forma accidentalis, non dicit perfectionẽ: immò magis imperfectionem, vt dictum est; & ideò nõ oportet, quod hoc competat formæ substantiali: sed erit ratio agẽdi principalis ipsi supposito, & dicit perfectionem multo maiorẽ, quam agere

vt immediatum, siuè, vt instrumentum alterius, quod competit accidẽti: restat ergo sufficiẽter probatum, essentiam, sęù formam substantialẽ operari suos actus media aliqua virtute, sęù potentia accidentali, quę realiter distinguatur ab illa: & sic proprias passiones patet distingui realiter à subiectis, sęù essentijs, à quibus dimanant, & quarum dicũtur esse propriæ passiones: eo prorsus modo, quo potentiæ animæ rationalis, vt Memoria, Intellectus, & Voluntas realiter distinguntur ab ipsa anima, cuius sunt potentiæ, & à quib' dimanant: quo modo autem huiusmodi propriæ passiones, sęù potentiæ dimanent, & producantur ab ipsis essentijs, & subiectis, dicã 2. Phis. disp. de natura, agens de grauibus, & leuibus, quomodo scilicet moueantur, an a se, an verò ab eorum extrinsecis generantibus, &c.

Et licet de potẽtijs animæ dicat Sãctissimus Parẽs Aug. 10. de Trinit. cap. 11. Intellectum, Voluntatem, & Memoriam esse vnam mentẽ, vnãq; vitam, vnamq; substantiam. Et in sermone de Immagine idem videatur docere, dum asserit, Animam esse Intellectum, Animam esse Voluntatẽ, Animam esse Memoriam: ex quibus locis posset colligi, ipsum sentire non distingui realiter potentias animæ ab ipsa anima, & ex consequenti, idẽ dicendum de Proprijs passionibus, & essentijs, sęù subiectis: siquidẽ ipsæ potentiæ propriæ sunt animæ passiones; nihilominus tamen dicẽdum est, illas Augustini prędicationes, nempè, Intellectus, Voluntas, & Memoria sunt vna substãtia, &c. & anima est Voluntas, Intellectus, &c. nõ esse formales, sed potius causales: sicut dicitur, quod odor est fumalis euaporatio: quia fumalis euaporatio est causa odoris: sic quãdo August. ait, animam esse Intellectum, Voluntatem, &c. vult, animã esse causam productiuam harum potentiarum: non autẽ, quod anima formaliter sit ipse Intellectus, Voluntas, &c.

Et licet Aristo. 3 de anima tex. cap. 19. dicat, ꝙ intellectus agens est substantia actu ens: sed, quod est substantia

non potest esse accidens animæ: nam, quod verè est substãtia nulli accidit secundum eundem 1.Phis.tex.cap.27.& 30. Tamen Respõdeo, quod substantia potest accipi dupliciter, vno modo propriè, pro omni eo, quod est in prædicamento substãtiæ condiuisum contra accidentia: alio modo largè pro omni eo, quod est essentiale rei, & de intrinseca ratione ipsius: sic etiam accidẽs accipitur per oppositum his duobus modis. Etiam aliquotiens dicitur accidẽs esse extraneum, siue sit substãtia, siue accidens, vt dicit Arist. 2. de anima tex.c.65. quod substãtia accidit colori: & ideò est sensibile ꝑ accidens: quando ergo dicit Aristo. quod intellectus agens est substantia, accipit substantiam largo modo, non propriè, & in rigore.

Hoc ergo supposito, quæritur in titulo, an huiusmodi propriæ passiones, iam, quod realiter differunt ab essentia, possint ab illa saltem per diuinam potentiã separari, eo modo quo potest Deus à ꝓprio subiecto separare accidentia, quæ sunt in sacramento altaris? In qua re breuiter me expediam: nam licet Caiet.p.p. q.54. ar.3. & Capreol. citatus à Soto, & Ferrara in tertio sententiarum, qui quãuis ita existimet, probabilem esse opinionem asserẽtium, vtique id fieri posse de potẽtia Dei absoluta; ipse tamen oppositum docet. Ait ergo Caiet. §. Ad tertiam rationem: quod, & si propria passio distinguatur à subiecto, tanquã res à re, non sequitur, quod possit ab illo separari: & quamuis dimanet in genere causæ efficientis à subiecto, & causalitatẽ effectiuã Deus supplere possit, intelligitur de pura effectiua, & propria, quæ est per actionẽ: non verò, quæ est per emanationem. Cæterum pars affirmatiua, sicut communior est hodie in scholis, ità verior: ꝓ qua not. ꝙ potest hæc quæstio disputari sub triplici sensu, primo: an Deus in illo priori, quando intelligitur subiectum secũdum suum esse præcisè substãtiale, & essentiale, possit impedire propriam passionem: itaut nõ sinat eam ab illo dimanare: secũdo: an producto subiecto cum sua propria

pria passione, possit Deus pas sioné iam productã destruere, saluo manente in suo esse substantiali, & essentiali subiecto? Tertio: an possit separare Deus ipsam propriam passionem à suo subiecto, & illã seorsim à subiecto seiunctam conseruare, & ex alia parte sine propria passione subiectũ?

Dico ergo primo. Dantur aliquæ ꝑpriæ passiones, quæ non distinguntur, tanquã res à re à suis subiectis, siuè essentijs vnde dimanãt, sed potius habent rationem modi; quæ licet possint separari à subiectis, itaut possit dari subiectũ de potẽtia Dei absoluta absque tali propria passione: nõ tamen potest ipsa passio taliter separari, etiam per potentiam Dei absolutã, itaut possit à Deo seorsim conseruari. Hæc conclusio mihi videtur certissima: & quãtum ad omnes eius partes euidenter patet de quantitate præsertim, quæ iuxta communiorẽ sententiã habet pro propria passione diuisibilitatem, quæ dimanat ab extẽsione partium in ordine ad se, quã dicemus cap. de quãtitate, esse eius rationem essentialem: & tamen licet posset Deus facere quantitatem in suo esse essentiali, absque diuisibilitate, vt patet in corpore Christi Domini in sacramento altaris: ibi enim Christus Dominus adest cum sua quantitate vera, & reali, (vt Sacri Theologi docẽt cõmuniter in Materia de Eucharistia, & nos aliquid dicemus infra cap. de Quantitate:) cæterum ad diuisionẽ panis, minimè frangitur, minimè laceratur, minimè diuiditur: sed est totum Christi Corpus in tota Hostia, & totum Christi Corpus in qualibet parte ipsius: ibi ergo est vtiq; quantitas Corporis Christi cum sua vera ratione essentiali, nimirum, cum extẽsione partium in ordine ad se ipsas: nõ verò cum extensione partiũ in ordine ad locum, & ex consequenti absque diuisibilitate. Nõ tamen poterit Deus separare hãc proprietatem quantitatis ab ipsa quantitate, & illam sic à quantitate separatam cõseruare: nam implicat cõtradictionem aliquid esse diuisibile, & non esse quantũ: diuisibilitas .n. supponit par-

tes: hoc autē, quod est habere partes extra partes est de ratione essentiali quantitatis, (vt loco citato non ineruditè dicam cum veriori Doctorū sententia:) habet ergo diuisibilitas respectu quātitatis rationem cuiusdā modi ipsius, & sicut modus rei implicat, quod possit cōseruari seiunctus ab ipsa re, cuius est modus; ita, &c. Et sic de alijs huiusmodi Philosophādum est, vt de inhærentia accidentiū, quę est propria passio ipsorū; & tamē videmus in sacramento altaris accidētia, absq; tali actuali inhærentia: nō tamen poterit dari inhęrētia aliqua, sinè aliquo accidenti, cum se habeat, vt modus potius, quā vt res, &c.

Dico secundo: illæ propriæ passiones, quæ realiter distinguntur à subiecto, tanquā res à re, vtiq; poterunt de potentia Dei absoluta à proprio separari subiecto omnibus illis superioribus enumeratis modis, & in primis, nescio quis negare audebit, quod in productione hominis, in illo priori, in quo homo intelligitur productus secundū suum esse substantiale, & essentiale præcisè, antequam incipiat eius essentia operari, possit Deus suspendere concursum, quo naturaliter cum omnibus secundis causis cōcurrit ad productionem suorum effectuū, quo posito operantur, & quo subtracto ab omni prorsus operatione cessāt necessario, vt dicam 2. Phys. disp. de causis, & Sacri Theologi cum D. Th. id docent multis in locis, præsertim 1. 2. disp. 109. ar. 1. & cum Magistro in 2. dist. 28. art. 1. vbi Aegid. noster egregius, ac fundamentalis Doctor, adducēs illud Augustini, quod proculdubio extingueretur operatio naturæ, si De⁹ subtraheret suam latentē operationem, inquit. Operatur Deus in omnibus operibus naturæ, non solum naturam conseruādo in esse, sed etiam ipsa opera naturæ operando; non quod res sint destitutæ proprijs operationib⁹, &c. & Angelicus Doctor in corpore ar. cit. asserit, actionem cuiuscunq; operis creati pendere à Deo in quātum ad duo: vno modo in quātū ab ipso habet perfectionem, siuè formam,

mam, per quam agit: alio modo in quantum ab ipso mouetur ad agendum: itaq; procul dubio in omni operatione, & ad omnem effectum naturalem cōcurrit, tanquam causa principalis Deus: & ipso subtrahente cōcursum cessat omnis actio causæ secundæ: cūq; nequeat necessitari Deus, simpliciter loquendo, ad concurrendum cum secundis causis, cum sit agens liberum, & libere, non naturaliter, seù necessario cōcurrat, & cooperetur; poterit, quando voluerit, concursum negare, & non operabitur creatura: & sic quando essentia ꝑducit suas proprias passiones, poterit Deus non concurrere cum illa ad talem productionē, & ità impedire talem productionē, seù emanationem: & ex consequenti erit productū subiectū absq; propria passione.

Neque valet dicere, quod propria passio nō producitur per aliquā veram actionē distinctam ab actione, qua ipsa essentia, seù ipsum subiectum producitur, sed per eandem omninò: nam contra hoc est, quod distincti realiter termini ꝑ distinctas realiter petunt fieri, & ꝑduci actiones: cūq; subiectum, & propria passio eius sint termini realiter distincti: subiectum namq; substātia est, & propria passio accidens, (vt supra vidimus) sequitur, quod necessario petāt produci per actiones realiter distinctas. Pręterquamquod, esse, sēper præsupponitur ad operari: & subiectum semper prius est sua passione, ergo nequeunt per eandem actionem produci.

Item assero, non implicare cōtradictionem, quod Deus destruat alicuius subiecti iam producti propriam passionē saluo manēte subiecto secundum suum esse substātiale, & essentiale: ratio est: quia Deus non solum concurrit ad productionē ipsius propriæ passionis, sed etiā ipsam iam productam conseruat: & cū simpliciter loquendo, ipsam libere, & non necessario conseruet; poterit, quādo voluerit, suspendere concursum, quo dictam propriam passionem conseruat, & sic ad nihilū per subtractionem talis cō ursus, sus cōseruatiui illam redige-

 bit;

bit; nihilq; essentiale tunc detraheret subiecto, siquidem diuerso concursu conseruat substantiã, ac accidens; perseueraret vtiq; in eo casu conseruare substantiam, siuè subiectũ illius propriæ passionis: & sic saluo manẽte subiecto posset ab illo sic remouere passionem propriã. & Cõfir. quia subiectũ non dependet à propria sua passione: ergo cõseruabitur sine illa: consequentia patet: quia quicquid ab alio secundũ suum esse nõ dependet, potest secundum suum esse sine illo, à quo non dependet conseruari: sed subiectum non dependet secundum suum esse à sua propria passione: ergo, &c. quod non dẽpẽdeat patet: quia subiectum, siuè essentia prius natura est, quã sua passio: ergo nõ dependet ab illa: antecedens certũ est: nam antequã intelligatur ꝑducta passio in subiecto, iam intelligimus ipsum subiectum esse cõstitutum secundum suum esse essentiale: prius enim est esse, quam operari: consequẽtia verò etiam patet: quia prius in quantum prius non dependet à posteriori. Præterquãquod id manifestè ex fide credimus in Sacramento altaris, vbi adest (vt supra dixi) quantitas Corporis Christi integra, & salua absq; diuisibilitate; seù absq; extẽsione partium in ordine ad locum, quæ est quãtitatis propria passio; & accidentia ibi manent integra absque actuali inhærẽtia, quæ etiam ipsorum est propria passio, vt sæpius dicam in inferioribus.

Tandẽ assero, illas proprias passiones, quæ realiter tãquã res à re distinguntur à subiecto, posse per diuinam potentiam seorsim conseruari. Hoc dictum etiam patet in eodẽ Sacramento altaris, vbi credimus, quantitatẽ esse ab omni subiecto corporeo seiunctã; & tamen (vt communior fert sententia) quantitas propria passio est substãtię corporeæ. Et huius ratio esse potest, q͂a sicut Deus conseruat in subiecto illam propriã passionẽ, sic etiam poterit illam extra tale subiectum conseruare.

Neq; valet dicere, non posse Deum extra subiectũ illam cõseruare, siquidẽ dependet essentialiter à tali subiecto.

Hoc enim falsum est: nā propria passio licet dependeat à subiecto in triplici genere causæ, efficientis scilicet, cum ab illo producatur; materialis, cum in illo subiectetur, & finalis, cum ad perficiendum subiectum ordinetur, & ad summum in fieri aliquæ propriæ passiones essentialiter dicantur ab essentijs depēdere, vt sunt propriæ passiones vitales, nempe risibilitas in homine, rugibilitas in leone, latrabilitas in cane, &c. sicut etiā pontētiæ animæ, Intellectus, nimirum, Voluntas, &c. quæ se habent, vt propriæ passiones ipsius animæ; & idē autumo dicendum de proprietatibus grauium, & leuium: grauitas enim videtur essentialiter dependere saltem in fieri, & produci à forma Graui, & leuitas a forma leui: & sic illæ essentialiter petant produci à principijs vitalibus: hæ verò ab ipsis formis grauium, & leuium; itaut neq; Deus de sua potentia absoluta posset producere huiuscemodi ꝓprias passiones absq; talibus principijs, ex quibus essentialiter dependēt in produci (vt alibi latius dicā) licet posset Deus (vt supra dixi) suspēdere cōcursum, quo cum talibus principijs ad ipsarum passionum productionē concurrit, & sic earum emanationem impedire: nihilominus tamen, semel productæ, (& si sint in essentijs proprijs, tanquā accidentia in subiectis) dependent à Deo in conseruari: vnde qui potest absq; actuali inhærentia conseruare accidentia in Sacramento altaris absq; subiecto aliquo; cur nō poterit, & illas passiones, iam productas in subiectis, seiunctas ab ipsismet subiectis ꝓprijs conseruare? in hoc nullam video implicationē. Nec ratio causæ finalis valet implicationē inducere: tum quia etiā accidentium communium causa finalis est subiectū; ordinantur enim ad perficiēdum subiectum sic, vel sic, & tamē de potētia Dei absoluta dantur extra subiectum: tum etiam, quia propria passio non tribuit perfectionem aliquam essentialem ipsi subiecto, cū iam illud supponat constitutū in suo esse perfecto secundum partes essentiales: sed

tantum

tantum perficit illud acciden taliter; vnde poterit separari: sequitur ergo, propriã passionem, & potentias animæ omnib' enumeratis modis posse per Dei potẽtiam absolutam separari.

Sed not. cum Murcia loco supra citato, quod supposito miraculo, quod Deus separaret propriã passionẽ ab essentia, seù subiecto, & potentias ab anima: si, & ipsa essentia, & anima ipsa relinquerẽtur suæ naturæ, absq; alio nouo miraculo, altera suam produceret passionẽ, altera verò suas potentias: ratio est: quia cũ essentia sit causa passionum, & anima suarum potentiarũ, & nõ causæ liberæ, sed naturales, & necessariæ, non secus, ac aqua est causa suæ frigiditatis: sicut aqua calefacta, & deinde suæ naturæ relicta, statim se reducit actiuè ad pristinã suam frigiditatẽ (vt dicã 2. Phis.) ità essentia causaret suas passiones, & anima suas naturales potentias.

Sed petes: supposito miraculo, quod Deus separaret intellectum ab anima, seù risibilitatem ab essentia hominis, intellectus sic separatus intelligeret nè naturaliter? & risibilitas posset nè exire sic separata in actum? & è cõtra, anima intellectu denudata posset nè naturaliter intelligere? & homo sine risibilitate ridere? Respõdeo, negatiuè: ratio est: quia cum intelligere, & ridere sint actus vitales, necessario, & essentialiter petunt produci à principio vitali, quale est anima ipsa rationalis, & licet ipsæ potentiæ, & propriæ passiones sint instrumenta ipsius animæ, seù essentiæ, tamen indigent actuali concursu illius, vt operentur, & ità, tàm potẽtiæ, quàm propriæ passiones nõ possẽt operari, neq; de potentia Dei absoluta sic separatæ: actus. n. vitales nequeũt produci, nisi à principio vitali (vt alibi dicam) quod Deus supplere nõ potest (vt in quæstionib' nostris quodlibeticis efficaciter probatur.) Et sic è contra dico, neq; posse animam rationalem, sine potẽtia intellectiua naturaliter intelligere: quia ex natura rei anima ordinatur ad operãdum medijs potentijs: & licet tunc etiã diceretur

retur rationalis: non tamen ideò rationalis diceretur, q a se sola posset elicere actum rationis: sed q a esset principiū radicale intellectus, & operationum ipsius, & non proximum: & homo absq; risibilitate nō posset ridere: careret enim potētia proxima, & immediata ad ridendum, licet posset etiam tunc dici risibilis radicaliter, & remote, cū adhuc esset in illo rationalitas, quæ est risibilitatis radix, & principium.

Et Hac doctrina solues illud argumentum, quod communiter fieri solet contra nostram conclusionem, ad probandum, quod nequit de potētia Dei propria passio à subiecto separari: videlicet: Hæc propositio est æternæ veritatis: Homo est risibilis: ergo nō potest aliter se habere per diuinam potentiā: quia propositiones æternæ veritatis connexionem essentialem dicūt. Respon. enim: Hæc ꝓpositio est æternæ veritatis, Homo est risibilis, radicaliter modo exposito: non autem æternæ veritatis ꝓpositio est, homo est formaliter risibilis.

Vel secūdo poteris respondere cum Sanchez quæst. illa 76. cit. hæc ꝓpositio est æternę veritatis: homo est risibilis conc. ergo habet causam formalē, quæ nequit, etiā p Dei potent à separari: distinguendum est hoc consequens: habet causam formalem secundum connexionem per se in secūdo modo perseitatis, concedo; habet causam formalē existentem tunc in subiecto, nego. Itaq; (inquit, & optimè Sāchez) si Deus tolleret à me risibilitatē, essem risibilis, non quia actu in me existeret risibilitas; sed quia connexio illius cum subiecto est in secundo modo perseitatis; & ità semper est risibilitas in homine secundum connexionem per se, licet nō secundum existētiam: esset tamen ista tunc falsa, homo existit risibilis: & illa propositio, homo est risibilis, reddit hunc sensum; risibilitas cōnectitur cum homine per se: sicut ista, homo est animal, est vera, etiā homine non existēte: quia facit hunc sensum, de natura hominis est esse animal, etiam si tunc non existat animal, &c.

Vel

Vel poteris respõdere cum Padre Didaco à Iesu, propositiones in secundo modo dicendi per se, qualis est illa: homo est risibilis, posse duobus modis sumi: altero, secundum naturalem facultatem, & propriam subiecti virtutem, & in hoc sensu semper est vera illa propositio: quia hoc modo propria passio nõ potest non conuenire subiecto: alio modo secundum virtutem super naturalem, & hoc modo non sũt huiusmodi propositiones necessariæ, & æternæ veritatis, siquidem cum prædicata non dicant essentialem cõnexionem cũ subiectis, poterit vtiq; illa Deus separare, & ex consequẽti in ordine ad Deũ illæ propositiones non erunt necessariæ semper.

Ex dictis etiã facilè solues aliud argumẽtum, quod fieri posset contra hoc, nimirum: si Deus posset de sua potẽtia absoluta separare propriam passionẽ à subiecto: ergo nulla erit differẽtia inter propriã passionem, quæ pertinet ad quartum prædicabile, & accidens inseparabile, quod pertinet ad quintũ prædicabile, vt est albedo Cygni, nigredo Corui, &c. patet sequela, q a vtriusque eadem videtur esse ratio: nam naturaliter loquendo nequit non esse albus Cygnus, & nõ esse niger Coruus; sicuti naturaliter loquendo nequit nõ esse risibilis homo, & rugibilis leo: & tamen per diuinam potẽtiam potest separari risibilitas ab homine; sicut per eandem potentiam potest etiã separari nigredo à Coruo: *ergo, &c. Respondeo* enim, tripliciter differre propriam passionem ab accidẽti inseparabili quinto prædicabili: primo, quia supposito miraculo, quod Deus separaret risibilitatem ab homine, licet homo non diceretur formaliter risibilis: esset tamen risibilis radicaliter, & principaliter: siquidem esset rationalis, vnde dimanat *ipsa risibilitas*: at si *separaret nigredinem* à Coruo, nõ posset dici Coruus radicaliter niger, cum illa nigredo non proueniat ipsi ab aliquo principio essẽtiali specifico, seù Methaphisico: sed potius ad plurimum à principijs Phisicis, & materialibus: secundo, quia in eo casu maneret

neret subiectum priuatum risibilitate semper cum debito habēdi talem proprietatem, & sic semper esset postulans illam, tanquam sibi debitam secundum naturam: at accidens commune inseparabile, ita separatur, vt nō remaneat debitum in subiecto habendi illud, & sic non postulabit naturaliter illud accidens, tanquam sibi ex sua natura debitum: tertio, quia licet posset Deus separare risibilitatē ab homine, non tamen ita poterit illam proprietatem separare, vt possit homo intelligi cū contrario illius passionis: at verò accidēs commune inseparabile ita potest separari, vt subiectum possit intelligi cū contrario accidēti, salua manente eius essentia; nō tamen solum potest nigredinē à Coruo separare, sed etiam potest tribuere Coruo albedinem. Adde etiā, quod propria passio, cum dimanet naturaliter ab essentia, necessario sequitur illam; & sic, si Deus separaret ab essentia propriā passionem, & postea relinqueret essentiam suæ naturæ, statim naturaliter emanaret ab ea eadem propria ipsius passio: non sic de accidenti inseparabili: nam cum nō dependeat in produci in genere causæ efficiētis, sicut propria passio, depēdet ab essentia subiecti, si separaretur ab illo, & relinqueretur subiectum suæ naturæ, non dimanaret vtiq; illud accidens: sit exemplū de cicatrice, quæ accidens est inseparabile, & tamen si Deus sanaret illā, & relinqueret corpus suæ naturæ, certum est, quod nō produceret denuo aliam cicatricem, &c. Adde tandē, quod si Deus separaret à subiecto proprio propriā passionem, non tamen posset illam alteri subiecto cōmunicare, quod operetur mediante illa eas operationes, quas proprium subiectū operatur cū illa; nimirum si separaret risibilitatē ab homine, nō posset illam cōmunicare cani; itaut canis mediante risibilitate dicatur formaliter risibilis, & eliciat actus ridendi: siquidē hoc implicaret contradictionē: actus namq; vitales rationales, licet proximè dependeant, tanquā ab instrumento, ab ipsa potentia acciden-

 tali,

tali, seù propria passione; requirunt tñ essentialiter produci à principio principali vitali rationali, & sic vbi non adest rationalitas, nequit risibilitas exire in actum suũ: & dato q; posset Deus illã risibilitatẽ sic separatã, sicuti extra subiectũ cõseruat, sic cõseruare in alio subiecto disparato; nõ tamen diceretur illud subiectum formaliter risibile, cũ illud accidens non haberet rationẽ formalem risibilitatis in eo casu, sed cuiusdã accidẽtis absoluti, quod tribueret tantũmodo esse accidentale, vt sic genericè, non specificè: at verò si separaret nigredinem à Coruo, posset illã cuilibet alteri subiecto cõmunicare, per quam illud subiectum proculdubio diceretur formaliter nigrum.

Et si cõtra hoc vltimũ obijcias diffinitionẽ Proprij quarto modo sumpti à Porph. assignatã; nimirũ, esse illud, quod cõuenit omni, soli, & semper: vnde per ly, semper, excludit ea accidentia, quæ aliquãdo, saltẽ per diuinã potentiã possunt separari; & per ly, soli, voluit, quod id, quod est alicui propriũ, non potest alteri cõuenire. Respon. primo, quod loquitur Porph. seruato ordine naturali, sine ordine ad potentiam Dei absolutã. Vel secũdo Respondeas, quod etiã si Deus separet risibilitatem, v.g. ab homine, adhuc homini conuenit esse risibilẽ secundum propriam subiecti virtutem, & naturalem facultatẽ; semper enim est debitũ in subiecto habẽdi risibilitatem, & inclinatio ad illã (iuxta superius dicta) semper adest, & sic semper conuenit homini risibilitas: per ly verò, soli, intelligit, quod ità propria passio conueniat soli subiecto, vt nequeat alijs conuenire eo modo, quo proprio subiecto conuenit: & sic licet Deus conseruaret propriã alicuius rei passionẽ in alieno subiecto: non tamen conueniret huic posteriori, vt propria passio, sicut priori conuenit, sed, vt accidens quoddam separabile, & cõmune: & hactenus de ista quæstione, & disputatione, & Capite de Proprio.

CAPVT

# CAPVT QVINTVM, ET VLTIMVM

## DE ACCIDENTI.



EN tandem ad id prædicabile accedit Porph. explanandum, licet breuissimè, quod omninò de suis inferioribus extra essentiã prædicatur, & independenter ab illa: & primo illud sic diffinit: q; adest, & abest præter subiecti corruptionem: albedo namq; potest adesse parieti, & abesse ab eo, absq; aliqua corruptione illius. Alias etiam duas assignat accidẽtis diffinitiones, quarũ altera, quæ cum priori coincidit, est: quod contingit eidem inesse, & non inesse: dixi, hanc cum priori coincidere, siquidẽ idem est dicere; adest, & abest præter corruptionem subiecti: ac dicere, contingit eidem inesse, & nõ inesse: id enim, quod inesse, & non inesse contingit, potest inesse, & non inesse absq; subiecti corruptione aliqua: altera tandem diffinitio est assignata per negationẽ aliorum prædicabiliũ, nempè: Accidens est, quod neq; est genus, neq; differentia, neq; species, neque Proprium: inest autem subiecto.

Diuidit etiam Porphy. accidens in separabile, & in inseparabile: separabile, inquit, vt dormire: inseparabile, vt nigredo in Coruo, Ethiope; albedo i.

Cygno, Cicatrix in facie, &c. vbi notat, vt occurrat cuidam obiectioni, quæ facile fieri posset de accidenti inseparabili, cui non videtur conuenire prima diffinitio accidentis ab ipso assignata: non enim potest adesse, & abesse, cum sit inseparabile: notat ergo duobus modis posse aliquid separari à subiecto, secundum rem, & secundum considerationem intellectus: primo modo, inquit, nō omne accidens potest à subiecto separari: bene tamen secundo modo: diffinitio autē assignata intelligitur, vel primo, vel secundo modo: nā licet nigredo Corui nequeat secundum rem separari ab ipso Coruo: bene tamen potest concipi Coruus sine nigredine, salua manente eius essentia, & natura. Nec valet inferre: ergo eadem est ratio accidentis cōmunis quinti prædicabilis, & accidentis proprij quarti prædicabilis: nam etiam proprium potest separari per considerationē intellectus ab eo, cuius est proprium. Nō enim hoc valet: nam vt in præcedenti disp. dixi, licet in hoc conueniant, in multis differunt; vt poteris videre in quæst. præced. propè finem; & hæc de textu dicta sufficiant.

DISPV-

# DISPVT. NONA DE ACCIDENTI QVINTO PRAEDICALILI.

PRO intelligentia eorum, quæ in præsenti disputatione tractanda erunt est animaduertendum, quod Accidens dupliciter potest vsurpari: primo, quatenus distinguitur contra substãtiam: vt quando distinguitur ens in substantiam, & accidens: secundo, quatenus distinguitur contra quatuor prædicabilia, & constituit quintum prædicabile: primum dicitur accidens prædicamẽtale, de cuius intrinseca ratione est, quod semper respiciat subiectum inhæsionis: siuè, quod idem est, posse inhærere; cũ enim accidens non habeat ex se, & sui natura aliquam propriam subsistentiam, seu perfectum existendi modum, (vt infra pluries dicam, præsertim in Phisica) vt habet ipsa substantia, fit, non posse per se subsistere, neq; perfecte existere independenter à subiecto. Accidens verò secundo modo sumptum dicitur accidens prædicabile, de cuius intrinseca ratione, (vt bene adnotauit Pater Didacus disput. 10. q. 1. statim in princ.) non est aliqua inhærentia, siuè actualis, siuè aptitudinalis: sed tantum dicit non essentiam, (vt citatus Doctor loquitur,) seu non essentialem connexionem cum subiecto, de quo dicitur: vnde, quod ità prædicetur, quod possit non prædicari ideò est, quia non habet connexionem cum subiecto, neq; essentialem, neq; accidentalem propriam.

Hinc collige, non repugnare substãtiæ prædicamẽtali, esse accidens prædicabile; & è contra, non repugnare accidenti prædicabili esse substantiam prædicamentalem: nam aliqua substãtia ità est extra essentiam alicuius, vt respectu illius dici possit accidens: exempli gratia; esse rationale, vtiq; substãtia est prædicamentalis: & tamen dicitur accidens prædicabile respectu animalis: hæc enim prædicatio, Animal est rationale, est prædicatio quinti prædicabilis: accidit namq; animali

esse

esse rationale: taliter, quod absq; rationalitate proculdubio cōseruaretur tota essentia animalis perfectè: hoc enim,quod est, esse sensibile, quod est essentia animalis, independens est ab hoc, quod est, esse rationale, vel irrationale. Idem dicendum est de his alijs prędicationibus: anulus est aureus: nummus est argenteus: sedes est lignea,&c. quia licet, hoc,quod est, esse aureum, argenteum,&c. substantiam dicant: tamen, quia accidit,& anulo esse aureum,& nummo esse argēteum, &c. fit,quod huiusmodi prædicata pertineant ad hoc quintū prædicabile, & dicātur accidētia prædicabilia,& sic sint substantiæ prædicamentales. Quare dicēdum est, quod hæ duæ accidentium acceptiones disparatæ se habeant: neque enim valet dicere,quod omnis substantia prædicamentalis dicatur accidens prædicabile, simpliciter, & absolutè: nam animal nequit dici accidens respectu hominis: neq; hæc prædicatio, homo est animal, est prædicatio huius prædicabilis, sed primi,nempè, generis de sua specie: neq; è contra, quod omne accidens prædicabile sit substantia prædicamētalis: nam, homo est albus,est prædicatio pertinens ad quintum prædicabile,& patet,ly, album, importare accidēs prædicam ētale etiā: bene verum est,quod omnis substantia prædicamentalis potest aliquo modo dici accidens prædicabile, respectu eorum subiectorum,quibus accidit esse illud,quod de ipsis prædicatur: & sic omnes hæ prædicationes substantiales, dicuntur accidentales,pertinentes ad hoc prædicabile,videlicet,substantia est corporea: corpus est viuens: viuens est sensibile, sensibile rationale, &c.

Item not. est, quod non omnis prædicatio accidentis prædicamentalis pertinebit ad hoc quintum prędicabile: prædicatum namq; accidētariū potest de pluribus sibi essentialiter inferioribus prædicari: color namq; potest prædicari de albedine,& nigredine, de hoc, & illo colore,&c. vt albedo est color: hæc albedo est albedo: in quibus prædicationibus, licet color,& albedo accidentia sint prædicamentalia: non tamen

men accidit albedini, esse colorem: immò sicut est de essentia hominis, esse animal: & de essentia Francisci, esse hominē: ità est de essentia albedinis, esse colorē, & de essentia huius albedinis, albedinem esse, quare prima prædicatio pertinebit ad primū prædicabile: color enim est genus respectu albedinis, & nigredinis: secunda verò prædicatio pertinebit ad secundum prædicabile: sicut enim homo est species respectu Francisci, Petri, &c. ità etiam albedo species est respectu huius, & illius albedinis: & sic vniuersaliter loquendo, accidens in abstracto; quando de suis inferioribus prædicatur, essentialiter de illis prædicatur, vel tanquam genus de suis speciebus, vel tanquam species de suis indiuiduis: bene verum est, quod potest etiam aliqua prædicatio accidentis in abstracto ad hoc quintum prædicabile pertinere, vt quando vna species prædicatur de genere suo, videlicet, color est albedo: accidit .n. colori, esse albedinem, &c. Ast prædicatio concreti accidentis de suo subiecto, vt homo est albus, paries est niger, manus est calida, &c. proculdubio ad hoc quintum prędicabile pertinet: accidit namq; homini, esse album; parieti esse nigrum, & manui esse calidam: siquidem, & essentia hominis optimè saluatur sine eo, quod homo albus sit; & essentia parietis sine nigredine, &c.

Dixi; Accidentia in abstracto prædicari de suis inferioribus essentialiter, vel vt genera, vel vt species, in quid, nō in quale: nam (vt optimè docet D. Tho. opuscu. de natura Accidentis cap. 2.) ità proprium est substātiæ, q; in ea sint genera, & species, vt nisi, quod fuerit substantia, vel habeat modum illius: seù, quod idem est, nil, quod non sit per se, vel habeat modū essendi per se, genus, aut species dici possit: & ratio huius est: quia genus, & species significant quidditatem rei: sed quidditatem propriè in rigore habere, substantijs duntaxat competit (vt colligitur ex Arist. 7. Met. cap. 4.) nam substātiæ tantummodo habent esse per se, & quicquid substantia non est, naturaliter, & essentialiter ad substantiā ordinatur: vnde sicut

Acci-

Accidens dicitur ab Aristotele entis ens, ita eius quidditas, & essentia, quidditatis quidditas, & essentiæ essentia dici potest. Vnde sequitur manifeste, quod sicut hoc nomen, ens, p prius dicitur de substantia, ita etiã hoc nomen, quidditas, per prius dicitur de substantia: & sic, esse genera, vel species tantũ conueniet, vel substantijs, vel saltim illis, quæ in prædicatione, & in modo significandi rationem, & vicem gerunt substantiæ. Cum ergo Accidens in abstracto per modum per se stãtis, & ad modum substantiæ significetur, poterit optimè rationem generis, & speciei respectu suorum inferiorum participare: & concreta accidentium, seu eadẽ accidentia in cõcreto sumpta, cum non significent per modum substantiæ, ver per se existentis, sed prout vnita, & applicata subiecto sit, vt nequeant hanc rationem generis, & speciei induere, quam doctrinam eisdem ferè verbis docet etiã Pater Didacus hic disp. 10. q. 2. Quibus sic positis, & præmissis sit.

## SECTIO VNICA.

*Qua ratione Accidens constituat hoc quintum Prædicabile?*

PRO tituli intelligentia not. est, quod duo petit præsens quæstio: alterũ est, quo pacto Accidens induat rationem genericã vniuersi formalis: alterum est, in ordine ad quæ inferiora habeat Accidens hãc rationem vniuersi formalis, & quinti prædicabilis? & idem est, ac quærere: An Accidens sit vniuersum formale? & de quib⁹ inferioribus prædicetur, quatenus tale vniuersum formale est: & q a tota difficultas principalis prioris partis quæstionis dependet à posteriori, nimirum ab hoc, quod est assignare propria inferiora, de quibus ipsum accidens prædicatur, ideò, vt breuiter, ac facilè in hoc puncto procedã, videamus prius, quænam sint inferiora accidentis quinti prædicabilis.

Pro quo not. secũdo, quod album,

album,v.g quod dicimus esse accidens quintum prædicabile, potest prædicari de hoc, & illo albo; & de Francisco, Petro, Cygno, Cane, &c. certum esse debet, quod quando album refertur ad hoc album, & illud, non habet rationem Accidentis quinti prædicabilis: sed potius habet rationem speciei: patet: quia tunc prædicatur essentialiter de illis, tanquam de pluribus indiuiduis solo numero differentibus in quid: quod essentialiter prædicetur, certissimũ est: hoc album enim essentialiter albũ est, sicuti hic homo essentialiter est homo; hoc animal essentialiter est animal; hoc rationale essentialiter est rationale; & etiam hoc risibile essentialiter est risibile: quod prædicetur de illis, tanquã de pluribus indiuiduis solo numero differentibus, etiam patet: quia hoc album est indiuiduum demonstratum, & sic indiuidualiter differt ab alio albo, etiam demonstrato per pronomen demonstratiuum hoc, illud, istud, &c. & tãdem, quod de illis prædicetur in quid, manifestissimũ est: nam interroganti, quid est hoc album? optimè satisfit dicẽdo, quod est album: sicuti interroganti, quid est hic homo? optimè responderetur, quod sit homo: & interrogãti quid est hoc rationale? quod sit rationale, &c. ergo cõcluditur, quod quãdo album refertur ad hoc, & illud album nõ habebit rationẽ accidentis quinti prædicabilis. Restaret ergo solum videndũ modo: an saltem quando refertur ad subiecta, & prædicatur de illis, nempe de Cygno, Cane, Francisco, pariete, &c. vt cum dicimus, Cygnus est albus, Canis est albus, paries est albus, &c. tunc habeat rationẽ accidentis quinti prædicabilis, itaut propria inferiora huius prędicabilis sint subiecta.

Et certum est, Franciscum, & Petrum, vt sic sumpta, quatenus precisè indiuidua quędam sunt, non posse esse propria inferiora huius prædicabilis, (vt alibi diximus) cũ, vt sic, sint inferiora immediata speciei: sed si aliquo modo sunt Accidentis inferiora, aliter necessè est considerentur, nimirum accidentaliter

sumpta in ratione subiectorum, quatenus substant accidentibus, vel quatenus accidentia coniunguntur cũ illis: & sic potest adhuc dubitari: an sub hac consideratione dicantur esse propria inferiora quinti prædicabilis.

Et pro parte negatiua potest argui. Illa dicuntur propria inferiora alicuius prædicabilis, de quibus immediatè illud prędicabile prædicatur: sed accidens non prædicatur de Francisco, Cygno, &c. immediatè: ergo, &c. ma. patet: quia ideò dicim⁹, species esse propria inferiora generis, & indiuidua speciei: quia, & species immediatè prædicatur de indiuiduis: & genus immediatè de speciebus, & indiuidua non dicuntur propria inferiora generis, quia non prædicatur de illis immediatè; licet mediatè de ipsis prædicetur: mi. verò prob. quia albũ prius prædicatur de hoc albo, & de illo albo, quam de Petro, & Cygno: ideò enim de Petro, & Cygno prædicatur album, quia verum est dicere, Petrus est hoc albũ, Cygnus est hoc album: vt patet in hoc syllogismo: Hoc albũ est album: sed Petrus est hoc album: ergo Petrus est album, en quomodo album prædicatur de Petro: quia est hoc album. Et potest ratione probari: nam omne accidens immediatus respicit id, quod habet formam suam determinate: quam id, cui hæc forma determinata nó necessario conuenit, sed potest côuenire, & non conuenire: sed hoc albũ habet determinatè formam albi, quam non habet determitatè Petrus: ergo albũ prius prædicatur de hoc albo, quã de Petro: quod si Petrus habeat albedinem, non dicitur esse in eo determinatè, quatenus Petrus est: sed quatenus est hoc album.

Secũdo arguitur: illa dicuntur propria inferiora alicuius vniuersalis, de quibus immediatè prædicatur vniuocè: sed indiuiduis non conuenit vniuocè accidés, v.g. album: ergo non erunt inferiora propria accidentis indiuidua substantialia: ma. patet: quia pluries diximus supra, de ratione vniuersi formalis esse, vniuocè prædicari de suis inferioribus:

bus: quare æquiuoca excluduntur à ratione vniuersi formalis, cum prædicétur solum secundum nomen, & non secundum rationem: & etiam excluduntur analoga, quia licet conueniant inferioribus secũdum aliqualem rationé, non tamen secundum omnimodam, vt dictũ est, & infra latius in disput. de analogia entis: mi. etiã patet: quia prædicari vniuocè est prædicari secundũ nomen, & omnimodam rationem: accidens autẽ nempè album, licet prædicetur secũdum nomen de Francisco albo, Pètro albo, &c. ratio tamen Frãcisci, & Petri est omninò diuersa à ratione albi: cũ albi ratio sit accidentalis: Petri verò, & Francisci substantialis, & essentialis. Vnde Arist. cap. de substantia dicit expressè. Accidens nõ esse vniuocũ respectu substantiæ, cum respectu illius non prædicetur nomine, & ratione.

Tertio: ea dicuntur esse inferiora vniuersi formalis, à quibus ipsa ratio vniuersi abstrahitur: sed ratio accidentis quatenus est quintum prædicabile non abstrahitur à Petro, Paulo, &c. sed ab hoc, & illo tali, v.g. ratio albi abstrahitur ab hoc albo, & illo: ergo non sunt indiuidua inferiora accidentis, &c.

Quarto ꝓbatur, potius esse species inferiora accidentis, quam indiuidua: nam nigredo, v.g. quæ est in coruis, proculdubio accidens est cõmune respectu illorũ: quia licet omnibus conueniat, non tamen solis: vel ergo illa nigredo conuenit vni coruo ratione alterius, vel ratione alicuius communis, quod per se reperitur in omnib⁹ indiuiduis illius speciei: nõ est dicendũ, quod nigredo vnius conueniat illi ratione alterius corui, quia eodem modo in omnib⁹ indiuiduis reperitur illa nigredo, & non in vno cũ dependentia ab alio: ergo dicendum est, quod conueniat illis ratione alicuius communis reperti in omnibus: ergo conuenit illis esse nigros, q̃a corui sunt: & ex cõsequẽti nigredo prius cõuenit coruo vt sic, quam huic coruo, & illi patet hæc vltima consequẽtia: quia propter quod, & vnũquodq; tale, illud magis tale: Hinc

Porphy. cap. de Communitatibus, assignat cōuenientiam inter Accidens, & Genus; q; sicut Genus prædicatur de pluribus differentibus specie: ita, & Accidens: sed differūt, quod Genus prædicatur in quid: Accidens verò in quale transmutabiliter.

Tandem hæ prædicationes sunt Quinti Prædicabilis; Homo est species, Animal est genus, substantia est prædicatū, &c. nam ly species, Genus, & Prædicatū omninò accidentaliter se habent ad Hominē, Animal, & substantiam: sed Homo, Animal, substātia, &c. non sunt indiuidua: ergo iam non erunt indiuidua propria inferiora Accidentis Quinti Predicabilis.

Non defuere, tùm ex antiquis, tùm etiam ex recentioribus, qui hisce rationibus, quæ videntur aliquo modo difficiles, cōuicti, in varias sententias sunt dilapsi. Alexander enim, & Ammonius, vt refert Canterus cap. 4. Prædicabili. quos, & ipse sequtur, dixerūt, Accidens nō esse essentialiter vniuersum: quibus fauet etiā Pater Suar. in sua Meth. 1. to. dispu. 6. q. 4. nu. 4. vbi ait Proprium, & Accidens non esse proprijssimè vniuersalia: nam proprijssima vnitas vniuersalium est respectu eorum, quæ sub illa essentialiter continentur: quia debet esse in illis per identitatem, quatenus de illis prædicatur, quod verum non est proprijssimè, nisi in vniuersalibus, quæ sunt essentialia suis inferioribus. Alij docent, esse vtiq; vniuersalia; sed Accidens nō referri immediatè ad indiuidua; sed potius ad quoddā illis commune, & de illo cōmuni prædicari immediatè, ratione cuius postea, aiūt, prædicari de indiuiduis, & ad illa referri. Alij verò in ea sunt sententia, vt fateantur, Accidēs esse vtiq; vniuersale formale essentialiter, tū non habere determinata inferiora: nam aliquādo prædicatur, accidens de pluribus specie differentibus: aliquādo verò, solo numero: & sic constitui vniuersale in ordine ad plura absolutè, siuè illa plura sint species, siuè indiuidua.

His tamen, & alijs non obstantibus, communi sententiæ nobis adhærendum est, tamquam

quam veriori; nēpè Accidens quintū prædicabile constitui vniuersale per ordinē ad plura indiuidua, quibus inest: & vt sic, esse verè, & propriè, immò essentialiter vniuersale, licet non essentiale. Pro quo not. est, quod longè aliud est dicere, Accidens esse essentialiter vniuersum, & aliud dicere, esse vniuersum essentiale; nam cum dicimus, esse essentialiter vniuersum, volumus, quod ratio vniuersi formalis conueniat essentialiter Accidēti quinto prædicabili: cum verò dicimus, esse vniuersum essentiale, dicimus, quod est de essentia eorum, respectu quorum dicitur esse vniuersum: primum ergo verū omninò est; secundum autē omninò falsum; sed vt vtrunque melius intelligatur, & veritas huius sententiæ clarius pateat, recolite id, quod supra disp. 9. de vniuersalibus diximus; nimirū, ad hoc, vt aliquid sit vniuersale verè, & essentialiter plura requiri: præsertim, quod sit quid vnū: per quod excluditur compositio: quod non sit vnum analogicè, vel æquiuocè: sed vniuocè, idest quod inferioribus conueniat secūdum nomen, & secūdum rationem: per quod excluditur ens, & reliqua analoga, & æquiuoca: item, quod ad multa comparetur: per quod excluduntur, & vniuersū reprefentādo, & vniuersum in causando, & vniuersum in significādo: & indiuidua, vt docuimus dispu. cit. sect. 1. propè finem. Item; natura aliqua, ad hoc, vt verè, & propriè dicatur, & sit formaliter vniuersa, oportet, quod in illis multis, ad quæ refertur, sit cum multiplicatione sui ipsius: p quod excluditur à ratione vniuersi formalis Natura Diuina, quæ licet vna sit in tribus Diuinis personis, nō tamen est in illis cum aliqua multiplicatione, sed in omnibus retinet propriam vnitatem indiuidualē: eadem enim numero natura diuina, quæ est in Patre, est etiā in Filio, & Spiritu sancto. Illa ergo natura, quæ omnia hæc requisita habuerit, verè, & propriè dicenda est vniuersa formaliter.

Secundo notandum est: q Arist. cap. de substātia, loquēs de substantia prima, & secunda:

da: inquit, primam substantiã esse magis substantiam, quam substantiã secundã: vocat autem substantias primas indiuidua: secundas verò substãtias appellat, genera, & species: & assignans huius rei rationem, ait, quia indiuidua magis substant, quam genera, & species: genera enim, & species substant solum suis prædicatis superioribus: ast indiuidua, cũ sint infima ex his, quæ continentur in recta linea; nè dum substant illis, quibus genera, & species substant: sed etiam ipsis generibus, & speciebus: & præterea Accidẽtibus, quibus nõ substant genera, & species, nisi quatenus sunt in indiuiduis. Vnde colligo, propria subiecta accidẽtium, esse ipsa indiuidua, non quatenus sunt præcisè talia, vt Petrus, Paulus, &c. sed quatenus induunt quandam secundam intentionẽ subiecti: vt sic enim determinant accidentia in concreto, vt dicebam supra cũ huius quęstionis titulum explicabamus: quarè Frãciscus, Petrus, Cygnus, &c. quatenus induũt hanc secundam intentionem subiecti, dicuntur esse per se inferiora huius quinti prædicabilis; cui essentialiter competit, illa respicere: non quia essentialiter illis cõueniat, sed quia est essentialiter vniuersale, & ex consequenti essentialiter est vnum in multis cũ sui multiplicatione, idest essentialiter illi cõuenit, referri ad illa multa: hoc enim est de essentia vniuersi formalis, ad multa referri.

Vnde not. tertio, ꝙ quãdo dicitur, de ratione vniuersi formalis esse, quod cõueniat inferioribus secundũ nomen, & secundum rationem: non inde licet inferre: ergo essentialiter debet illis conuenire; siquidem debet cõuenire secundum rationem significatã per illud nomen: nam ly, ratio, abstrahit ad essentiali, & accidentali: & licet de tribus prædicabilibus essentialibus, nempè genere, specie, & differentia, necessario dicamus, illa suis inferioribus conuenire, nè dum secũdum nomen, verum, & secundum rationẽ essentialem: de reliquis tamẽ duobus, nempè Proprio, & Accidenti, quæ sunt vniuersalia accidentalia, licet essentialiter

liter vniuersa, sufficit dicam⁹, quod inferioribus conueniant secundum rationem accidentariā significatā per nomen.

Et not. quarto ex his, quæ diximus disp. 3 de vniuersalibus sect. 4. §. Cæterū not. &c. quod vniuersale formale debet æqualiter participari ab omnibus inferioribus: itaut ratio ipsa superior non communicetur principalius vni ex inferioribus, quam alteri: quamobrē excluditur ab omnibus à ratione vniuersi formalis ens, quod prius, & principalius dicitur de subſtātia, quam de Accidēti: Cæterum bene potest ipsa ratio superior ab ipsis inferioribus inæqualiter participari: nō quod ipsa ratio secūdum se conueniat magis vni, quā alteri: sed quia ipsorummet inferiorum essentiales differentiæ id postulāt: nempè, quod differentia vnius inferioris perfectiori modo cōtrahat illam rationem superiorem, quam cæteræ: cum inter ipsas species detur perfectior, & imperfectior: quæ inæqualis participatio non tollit vniuocationē: nam licet homo sit perfectius animal cane, leone, & reliquis omnibus: non tamen inde sequitur, Animal nō conuenire vniuocè ipsis: nam hæc inæqualitas nō prouenit ab ipsa ratione superiori, sed à perfectiori, vel imperfectiori differētia ipsarum specierum, per quam perfectiori modo contrahitur ratio animalis ad esse hominem, quam ad esse leonem, canem, &c. ità ad propositū, dico: quod ratio vniuersi formalis secūdū se æqualiter distribuitur omnibus quinq; vniuersalibus: at verò, quia priora tria essentialia perfectiori modo participāt ipsam, quam Proprium, & Accidēs, quæ sunt vniuersalia accidentalia, fit quod genus, species, & differentia dicantur perfectiora vniuersalia, Proprio, & Accidēti: quæ tamen inæqualis participatio non est sufficiens ad hoc, quod ratio vniuersi formalis non conueniat vniuocè omnibus quinq;, & quod Proprium, & Accidens non sint propriissimè vniuersalia: & sicut formica, v.g. quę est imperfectissimum animal, vel vermiculus dicūtur essentialiter animalia, & essentialiter

ter illis conuenit ratio animalis, quæ est, esse sensibile: ità Proprium, & Accidens sunt essentialiter vniuersa, licet imperfecta in comparatione ad Genus, Speciem, & Differentiam: & illis essentialiter competit ratio essentialis vniuersi formalis, quæ est plura respicere: quarè licet illa plura, quæ respiciunt Proprium, & Accidens, non contineantur essentialiter sub illis, sicuti sub Genere, Specie, & Differētia continētur eorum inferiora: tamen verū est, ꝙ Proprium, & Accidens habent essentialiter referri ad illa accidentaliter, & de illis accidentaliter ꝑdicari: ità docet inter alios Sanchez hic quæst. 79. in 2. conclu. sicut enim de essentia generis est, esse essentialiter in pluribus specieb⁹, & de essentia speciei, esse in pluribus indiuiduis, &c. ità est de essentia Proprij, & Accidentis, esse accidētaliter in subiectis sibi inferioribus.

His adnotatis, clarè patet huius nostræ sentētiæ veritas, & rationum oppositę solutio. Vnde dicimus primo, inferiora propria, & essentialia Accidētis quinti prędicabilis, quatenus quintū prædicabile est, esse indiuidua, nō secundum se considerata, quatenus indiuidua alicuius speciei sūt, sed quatenus induunt secundam intentionem subiecti, & vt sic dicuntur indiuidua substantialia, tamen accidentaliter sumpta, quia concipiuntur cum illa ratione accidentali: & vt sic, nempe, accidētaliter sumpta dicimus esse essentialia inferiora, & proprijssima huius prædicabilis, non quod essentialiter illis conueniat accidens: sed quia fundant rationem essentialem vniuersalitatis formalis Accidentis; iuxta dicta in notabilibus: nā Accidens, quatenus quintum prædicabile est, habet essentialiter hoc, quod est accidentaliter esse in pluribus indiuiduis substantialibus, accidentaliter tamen sumptis, quod si non referretur sic ad illa, nō esset quintum prædicabile. Hæc conclusio non indiget alia probatione.

Secundo dicimus consequenter ad dicta: Accidens quintū prędicabile esse essentialiter vniuersum formale,

non

non essentiale, sed Accidentale: quæ conclusio etiam patet; nam de essentia vniuersi formalis est, quod sit vnum in multis cum sui multiplicatione, præscindẽdo ab hoc, quod sit essentialiter in illis multis, vel nè: sed Accidens in concreto sumptum, nempè, esse album, est vnum in pluribus indiuiduis, & cũ sui multiplicatione, nam nõ habet idem esse album à parte rei Franciscus, ac paries, iuxta dicta in disput. de vniuersalibus; ergo est essentialiter vniuersum formale: nulli namque competit essentia alicuius rei, quin sit ipsamet res: cui enim cõpetit esse rationale, conueniet etiã necessario esse hominẽ: ergo si Accidenti quinto prædicabili conuenit essentia vniuersi formalis, erit proculdubio formale vniuersum. Dicimus tamen, nõ esse vniuersum essentiale; idest (vt diximus) non cõuenit essentialiter suis inferioribus, sed tantum accidentaliter, & hoc est de essentia ipsius, sic conuenire suis subiectis: sicuti de essentia generis est, essentialiter conuenire suis speciebus: & de essentia speciei essentialiter conuenire suis indiuiduis.

Tertio dicimus: perfectiori modo participatur ratio vniuersi formalis à Genere, Specie, & Differẽtia, quàm à Proprio, & accidenti: patet, quia perfectius est conuenire inferiorib⁹ essentialiter, quã accidentaliter: tria priora prædicabilia conueniunt inferioribus essentialiter: Propriũ verò, & Accidens conueniunt accidentaliter, ergo, &c.

Quarto dicimus: Hæc inæqualis participatio nõ est sufficiens tollere vniuocationẽ; itaut ratio vniuersi formalis non conueniat vniuocè omnibus: patet, quia tũc inæqualis participatio tollit vniuocationem, quando prouenit à ratione superiori: itaut ratio superior secundum se inæqualiter communicetur inferioribus, & primo conueniat vni, deindè reliquis, vel quod reliqua participent illam rationẽ cum ordine ad illud prius: ast quando illa inæqualis participatio non prouenit à ratione superiori, sed potius à perfectiori differentia alicuius inferioris, nõ tollitur vniuocatio,

vt diximus de Animali respectu hominis, leonis, & formicæ: ex quibus homo perfectius participat rationem animalis, ratione suæ differentiæ essentialis pfectioris reliquis, non quia ipsa ratio animalis per prius conueniat Homini, quam reliquis: sed licet non ità perfectè participent rationẽ vniuersi formalis Propriũ, & Accidens: id tamen nõ prouenit ab ipsa ratione superiori, quæ, quantũ est ex se, æqualiter omnibus quinq; prædicabilibus cõmunicatur: hoc namq; quod est, vnum in multis cum sui multiplicatione, æqualiter cõmunicatur, tàm Generi, Speciei, & Differẽtiæ, quàm Proprio, & Accidenti: sed prouenit ex eo, quod per fectiori modo cõtrahitur illa ratio ad esse Generis, Speciei, & Differentiæ, ratione peculiarium differentiarum essentialium ipsorum, quã ad esse Proprij, & Accidentis: perfectius enim est, conuenire pluribus essentialiter, quam accidentaliter: ergo hæc inæqualis participatio non tollit vniuocationem.

Quinto dicimus: Accidens quintum prædicabile conuenire indiuiduis substãtialib. accidentaliter tamen sumptis sub ratione subiecti, vniuocè, idest secundum nomen, & secundum rationem, non essentialem, sed accidentariam, in quo optimè saluatur ratio vniuocationis: hæc etiã conclusio certissima est, & patet ex dictis not. 3.

Restat modo satisfacere argumentis pro contraria sententia adductis; & primo ad primum Resp. conc. ma. neg. mi. ad cuius prob. dico, quod Album, v.g. potest considerari, vel quatenus quintum prædicabile est; & vt sic, quatenus accidẽtaliter suis inferioribus accidentalibus conuenit: vel quatenus potest esse species respectu aliquorum inferiorum, quibus essentialiter conuenit: si consideretur, vt quintũ prædicabile est præcisè, eius immediata inferiora sunt Frãciscus, Petrus, Cygnus, paries, &c. quatenus induunt secundam intẽtionem subiecti: quibus accidẽtaliter conuenit albũ: at verò si consideretur secundo modo, sic certum est, quod immediata

eius

eius inferiora erũt hoc albũ, illud,&c.siquidem de his prędicatur essentialiter in quid, prędicatione speciei,& vt sic, non est quintum prędicabile, sed secũdum, & licet album, præcisè sumptum,prius dicat conuenientiam,& respectum ad hoc,& illud album, quàm ad Franciscum,Cygnum,&c. quia de hoc,& illo albo essentialiter prædicatur, non verò de Francisco, Cygno, &c. & omne prędicatũ prius respicit subiectũ, de quo prædicatur secundum essentiam, quam illud,de quo tantum accidentaliter prædicatur:immò omne, quod est per accidens, reducitur ad illud, quod est per se: hoc tamen non tollit rationem vniuersalitatis à quinto prædicabili, nec tollit, quin ipsa indiuidua,accidentaliter sumpta, sint immediata inferiora Accidentis quinti prędicabilis, de cuius essentia est, quod accidentaliter conueniat ipsis indiuiduis modo dicto sumptis;non autẽ huic, & illi albo, quibus conuenit essentialiter,& vt est secundũ prædicabile.

Ad secundum neg. mi. ad cuius prob. dist. secundã partem mi. quando dicitur, ratio Francisci,& Petri est omninò diuersa a ratione albi, cum ratio albi sit accidentalis, ratio verò Francisci, & Petri essentialis: si Petrus, & Franciscus sumantur præcisè, quatenus indiuidua substantialia sunt, conced.& vt sic,non sunt inferiora Accidentis immediata: si verò considerentur, quatenus induunt secundam intentionem subiecti, vt sic sunt potius inferiora,licet substantialia,tamen accidẽtaliter sumpta, & his vtique competit, nedum nomen albi, verũ,& ipsa ratio accidẽtalis per illud nomen significata, vt patet,& ità docet etiam D.Tho. 1. contra Gentes cap. 33. ratione 3. Ad Aristotelẽ autem dico,loquutum fuisse de vniuoco essentiali, non verò de accidẽtali, & sic inquit cap. de substãtia, nõ posse esse accidens vniuocum ad substãtiã. Vel voluit, non posse vniuocè conuenire substantiæ,in ratione substantiæ,non autem negauit,posse vniuocè cõuenire indiuiduis substantiæ, tamen accidentaliter sumptis.

Ad tertium Respondet optimè Pater Didacus hic disp. 10. q. 2. ad 4. quod etiã albedo abstrahitur à subiectis: q̃a cum abstrahi nil aliud sit, quã representari vnum sine alio, cum albedo representetur in specie intelligibili sine subiectis, etiam ab illis abstrahitur, pręcipuè cum albedo non sit in phantasia, nisi simul cũ subiecto, sicut dicitur abstrahi ab alijs indiuiduis conditionib⁹, ità, & à subiecto, in quo erat, hæc abstrahetur.

Ad quartum Respon. cum Sanchez q 80. nigredinem in Coruo repertam omnibus Coruis conuenire, nõ ratione alicuius proprietatis specificæ, quæ reperiatur in omnibus indiuiduis illius speciei, nec vni ratione alterius: sed ratione cuiusdam complexionis indiuidualis, ex principijs Phisicis cuiuscunq; indiuidui talis speciei ortæ, quæ cõmunis est singulis Coruis: vnde nõ sequitur hoc, quod est, esse nigrum prius dici de specie, quam de indiuiduis: nam hoc verum esset, quando conueniret illis ratione alicuius proprietatis specificæ: prius ergo intelligimus nos nigredinem in hoc Coruo, & illo, quam conuenire Coruo, vt sic.

Nec obstat, cõditiones indiuiduantes proprias esse huius, vel illius indiuidui, & non omnibus cõmunes: nam licet verum sit, omnes conditiones indiuiduãtes vnius indiuidui collectiuè sumptas, adeò esse vni proprias, vt nequeãt alijs cõuenire: nihilominus tamẽ, nõ repugnat, quod aliqua ex ipsis possit esse in vno, & in alijs etiam alia similis reperiri quo pacto in casu argumẽti contingit.

Neq; Porph. loco adducto in argumento est contra nos: nam licet verum sit, quod aliquod accidens pluribus possit speciebus cõuenire, vt esse album, homini, æquo, &c. ex hoc tamen non sequitur species esse immediata inferiora Accidentis: nam non prædicatur de illis speciebus immediatè, sed mediãtibus indiuiduis, quæ sunt propria accidentium subiecta: ideò enim Homini cõuenit esse album, & Cani: quia albedo reperitur in pluribus indiuiduis speciei humanæ, & Caninæ: & sic

sic indiuidua sunt immediata inferiora Accidentis quinti prædicabilis. Hæc doctrina est Arist. cap. de substātia, vbi docet, indiuidua magis substare, quam genera, & species; quia substant ipsis generibus, & speciebus, & etiā Accidentibus, quibus non substāt genera, & species, nisi quatenus sunt in ipsis Indiuiduis.

Ad vltimū tandē Respondet Sanchez loc. cit. quod illa vniuersalia æquiualent singularibus; quia supponunt simplici suppositione: vnde sicut respectu huius, Petrus est albus, non est aliquid, ad quod descendatur vlterius: ita nec in illis, Homo est species, Animal est genus. Quæ cōclusio licet vera sit: tamen videtur nimis obscura: vnde, vt respōdeamus, recolite ea, quæ nos supra docuimus in disput. de vniuersalibus sect. 4. vbi diximus, quinq; prædicabilia esse quinque species vniuersi formalis: cum quodlibet eorum, quatenus vniuersum formale est, cōtineat solum singularia sub se: genus enim solum continet hoc, vel illud genus scilicet hanc, vel illam intentionē, quæ denominat Animal vel colorem, &c. quæ sunt intentiones singulares.

Qua doctrina posita, facilis est applicare illam ad soluendum argumentum propositum; nam genus duplici prædicatione prædicatur de hoc genere, & illo: vel enim hoc, & illud genus sumūtur secundò intentionaliter, idest pro ipsis notionibus denominantibus naturas, & sic de illis essentialiter prædicatur, ly genus, prædicatione speciei, iuxta dicta: vel sumitur primo intentionaliter, idest pro ipsis naturis denominatis, vt sunt Animal, color, &c. & sic accidentaliter, & denominatiuè de illis prædicatur genus prædicatione quinti prædicabilis, & tàm Animal, quā color habens rationem indiuiduorum, non autem naturarum vniuersalium: sic enim quælibet secunda intētio de primis intentionibus prædicatur; cuius signum est, quod Animal solo numero differt à colore, si considerentur in ordine ad illam secūdam intentionem, nēpe, Genus, quæ de illis dicitur. Videatur hoc latius explica-



# INDEX OMNIVM DISPVTATIONVM,

Sectionum, rerumquè notabilium, quæ in hoc Opere continentur.

## DISPVTATIO PRIMA PROHOEMIALIS de Natura, & Attributis Logicæ.

### SECTIO PRIMA.

*An sit, & Quid sit Logica, scientia nè, vel Ars?*

SEC-

## SECTIO SECVNDA.

*Qualis scientia sit Logica, practica nè, vel speculatiua?*

## SECTIO TERTIA.

*Quodnam sit subiectum, siuè obiectum in Logica?*

## SECTIO QVARTA.

*Quotuplex scientia sit Logica? an scilicet, vna tantum, & vna simplex qualitas?*



alijs

## SECTIO QVINTA:

*Quamobrẽ ſit Logica: neceſſaria nè ad alias ſcientias cõparãdas?*



Multi-

## DISPVTATIO SECVNDA.

*De Ente rationis.*

## SECTIO PRIMA.

*An detur ens rationis, & in quo consistat eius essentia.*



 uenit,

## SECTIO SECVNDA.

*An quilibet intellectus possit ens rationis efficere?*



Satisfit

## SECTIO TERTIA.

*Quotuplex sit ens rationis?*

Proba-

SEC-

## SECTIO PRIMA.

### *An sit, & quid sit vniuersale Logicum?*



Plato

## SECTIO SECVNDA.

*Vtrum seclusa operatione Intellectus, Natura, quæ potest denominari vniuersa, habeat aliquam vnitatem distinctam ab vnitate numerali?*



non

## SECTIO TERTIA.

*An vniuersum formale fiat beneficio intellectus agentis, an patientis?*

obiec-

## SECTIO QVARTA.

*An vniuersale formale sit Genus ad quinq; vniuersalia Porphyrij, eorumq; subiectum?*



ratio-

## CAPVT PRIMVM DE GENERE.



est

## SECTIO SECVNDA.

### *Quod nam sit Genus Diffinitionis Porphy.*

## SECTIO TERTIA.

*Vtrum bene descripserit Porphy. Genus? & quænam sit exacta huius prædicabilis Diffinitio? vbi etiam determinatur Quid sentiendum de Diffinitionibus reliquorum prædicabilium?*

## SECTIO QVARTA.

*Vtrum Natura, quæ denominatur Genus prædicetur de sibi inferioribus, quatenus pars ipsorum est, vel quatenus est quoddam totum?*

## SECTIO QVINTA.

*Vtrum Genus prædicetur per se de Differentijs.*

## SECTIO SECVNDA.

*An Genus in vnica specie, & species in vnico indiuiduo possit conseruari?*



Speciem

## DISPVT. SEXTA DE INDIVIDVIS.

## CAPVT TERTIVM DE DIFFERENTIA.



## DISPVT. VII. DE DIFFERENTIA.

# INDEX.

## SECTIO PRIMA.

*In qua breuiter exponuntur Diffinitiones Differentiæ à Porph. adductæ in tex.*



## SECTIO SECVNDA.

*An Differentia infima specie differat à subalterna?*



## SECTIO TERTIA.

*Vtrum Differentia includat in suo conceptu Genus, quod diuidit, Differentiamq; superiorem essentialem?*

## SECTIO QVARTA.

*An Genus, & Differentia componant speciem, sumpta omninò formaliter: an verò sumpta materialiter?*



## CAPVT QVINTVM DE PROPRIO.

## DISPVT. OCTAVA DE PROPRIO

*Quarto Prædicabili.*



## SECTIO PRIMA.

*An Proprium induat rationem quarti prædicabilis per ordinem, quem dicit ad speciem: an verò per ordinem ad indiuidua?*

## SECTIO SECVNDA.

*Vtrum Propria passio, saltem per Diuinam potentiam, possit ab eo, cuius est propria passio, separari?*



Quo

dens

## CAPVT VLTIMVM DE ACCIDENTI.



## DISVT. NONA DE ACCIDENTI.



de

## SECTIO VNICA.


*Qua ratione Accidens constituat hoc quintum Prædicabile?*



*Hic adnota (Studiosa Inuentus) non imputandum cōtradictioni, quod supra dixerim, Accidens in abstracto, quia per modum per se stantis se habet, induere rationem generis, & speciei: non verò concretū, pag. 352. & hoc loco assero, concreta accidentium posse prædicari de suis inferioris prædicatione primi, & secundi prædicabilis, vt, Album est coloratum: hoc album est album: nam ibi loquimur de prædicatione Accidentiū in ordine ad subiecta: hic verò per ordinem ad propria, & essentialia inferiora, respectu quorum concreta se habent etiam aliquo modo ad modū per se stantis: non enim de ratione omnis concreti est, habere se ad modum alteri adiacentis, cū hoc sit proprium termini connotatiui: legge ea quæ docui, & in Parua Logica, & Disp. de Genere de differētia inter terminum connota-*

nota-

FINIS.




# Huius partis errata sic corrige.

PAg.4.col.2.ver.20 conficantur,emenda.conficiantur.p.6.c.1.v.5.necessariæ.em.necessaria.p.12.c.2.v.31.adsin.em.adsint.p.18.c.2.v.34. arus.em. artis. p.23.c.1.v.20.exedni.em.extendi, & v.21. speculantes.speculantis.p.30.c.2.v.4.dispurandi.disputanda. p.32.c.1.v.21.inadęquatdm.inadęquatum,& c.2.v.34.ftar.ftra.p.47.c.1.31.specificatem.specificationem. p.49.c.1.20. habitus.habitibus. p.56.c.2.v.11. dictione.distinctione. p.62.c.1.v.8. & p.64.c.1.v.30. & c.2.v.3. æquus.equs. p.69.c.2.v.12. male.reale.p.72.c.1.v.1.disceptatis.disceptationis.p.75.c.1.v.14.neg.non.p.78.c.2.v.27.concipit.concipiat.p.84.c.1.v.32. Deo.Dei, & c.2.v.2. distionem.distinctionem.p.99.c.1.v.5. accidens.antecedens. p.116.c.1.v.vlt indiuisum.diuisum.q.121.c.1.v.21.ocsionem.occasionem.p.134.c 2.v.4.diuersam.diuersa.p.145.c.1.v.7.loquent.liquent.p.149.c.2.v 28.fälsa.falsam.p.150.c.2.v 6. substantia.substantiam.p.161.c 1.v.28.si.si. & c.2.v.11.comparo.comparatio.p.165.c.1.v.26.de Generatione.de genere.p.166.c.2.v.8. cognognatur.cognoscatur.p.171.c.2.v.13.vniuersè vniuocè.p.187.c.1.v.12.prædicabilia.prædicabilis,& c.2.v.8.vauet.valet.p.193.c.1.v.19. prædicabilis.prædicabilitatis,& c.2.v.4.prædicabitis.prædicabilitatis.p.196.v.1.percollatione.pro collectione.p.200.c.1.v.11. connotande.connotando.p.201.c.1.v.4.diffiniri.diffinire, & v.15.nam non.p.203.c.1.v.21.connotatiui connotatiuus.p.216.c.2.v.19.pino.primo.p.222.c.2.v.12.præsenti.præsertim.p.233.c.1.v.26.prædicabilis.prædicabilia.p.251.c.2.v.1.corporeum.corpoream, & v.2.incorporeũ.incorpoream. p.261.c.2.v.24.nam.non.p.269.c.1.v.12.reperiatur.reperitur.p.271.c.1.v.17.indiuiduo.indiuiduum.p.272.c.1.v.7.differentia.differentiam.p.277.c.2.v.25.non.nam.p.278.c.2.v.27. oratio.omninò.p.281.c.2.v.32.dispositione.disputatione.p.282.v.17. communis.communes.propria.propria.p.286.v.1.natione.notione.p.292.c.2.v.16.quarto.quanto.p.315.v.8.diffini.diffinitione.p.319.v.27. monit.mouet.p.321.v.2.quarto.quartum.p.340.c.2.v.23.fert.refert.p.360.c.1.v.32.rationũ.rationis.p.365.v.21.confilusio.solutio.

Et alia, licet parui momenti, errata reperies, quæ tot,tantisquè laboribus præpeditus, & assiduæ Theologicæ lectionis, cæterorũq; mei muneris exercitiorum, & Quadragesimalis prædicationis: &, quod molestius, graui petitus ægrimonia, alienæ censioni cõmissa, inemendata relicta sunt. Ea tu prudens corrige Lector.